


V
B
J
C
239
II

Svatopluk [illegible]



ACTA
LITTERARIA
REGNI POLONIAE
ET
MAGNI DVCATVS LITHVANIAE
A. MDCCLV.
PVBLICATA.
TRIMESTRE PRIMVM.





CVM SERENISSIMI REGIS POLONIARVM PRIVILEGIO.

VARSAVIAE ET LIPSIAE,
TYPIS MIZLERIANIS.

SVMMA CAPITVM.



PRIVILEGIVM
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
REGIS POLONIARVM.

AVGVSTVS III, Dei gratia, Rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae, Samogitiae, Kiiouiae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Liuoniae, Smolensciae, Seueriae, Czerniechouiaeque: Nec non haereditarius Dux Saxoniae et Princeps Elector.

Significamus praesentibus literis Nostris, quorum interest, vniuersis et singulis. Cum generosus LAVRENTIVS MIZLERVS de KOLOF, Philos. et Medicinae Doctor, in aula Nostra Consiliarius et Medicus, Academiae Moguntinae scientiarum vtilium in medicis et historicis Socius ordinarius etc. Acta litteraria regni Poloniae et magni ducatus Lituaniae, quorum iam primus tomus, ex quatuor consistens partibus, sub titulo bibliothecae Varsauiensis ad annum praeteritum in lucem prodiit, in scientiarum in Polonia incrementum typis impressa euulgare in animum induxerit, Nobisque submisse supplicauerit, vt euitando damna, quibus eum, tam exteri, quam indigenae typographi et bibliopolae afficere possent, reimpressionem huius operis, tam in natura, quam etiam aliam in linguam translati, ad certum temporis spatium inhibere dignaremur: Nos praefatae supplicationi, vti iustae, benigne annuentes, omnibus et singulis in regno et dominiis Nostris existentibus typographis et bibliopolis mandamus, serio inhibentes, ne praefata acta litteraria Poloniae, absque consensu generosi auctoris quocunque idiomate imprimere vel reimprimere, nec non compendia inde confici curare, intra spatium viginti annorum audeant, sub poena mille aureorum Hungaricorum, cuius summae dimidia pars auctori ad resarcienda damna, si casus exi-

ſtat, altera pars dimidia, ad bona opera ſecundum iudicium fori competentis adiudicanda, reimpreſſum vero hocce opus in quacunque extra regnum typographia confiſcationi irreuocabili omnium exemplarium, ſi talia in regno et dominiis Noſtris inuenientur, ſubeſſe et praefato auctori extradi debere declaramus. In quorum fidem praeſentes manu Noſtra ſubſcriptas, ſigillo regni muniri iuſſimus. Datum Vſchouae die XXVI menſis Maii, anno Domini MDCCLV, regni vero Noſtri XXII anno.

AVGVSTVS REX.



ADALBERTVS RAKOWSKI,
S. Regiae Maieſtatis et ſigilli maioris regni
Secretarius.

Cancellariatu
Illuſtriſſimi et Excellentiſſimi Domini
IOANNIS comitis in Konskie et Bialaczow a Malachowice MALACHOWSKI,
ſupremi regni cancellarii, Oſtrolencenſis etc. capitanei ſigillatum.

CEL-

CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

IOSEPHO ALEXANDRO

DE PRVSSIIS S. R. I. PRINCIPI IN IABLONOW

ET LACHOWICE,

COMITI IN ZAWALOW ET LISIANKA,

LIBERO BARONI IN PODHORCE ET VICHOLZ

IABLONOVIO

PALATINO NOVOGRODIENSI,

BVSCENSI CVM IVRISDICTIONE GVBERNATORI,

NEC NON

CORSVNENSI, DZWINOGRODENSI, VOLPENSI,
ONYXTINENSI, ZAGOSTENSI CAPITANEO,

ORDINIS S. HVBERTI PALATINI RHENI EQVITI

COHORTIS LORICATAE MILITVM TRIBVNO,

RELIQVA,

MAECENATI
MVSARVMQVE POLONARVM PATRONO
BENIGNISSIMO,
PROTECTORI AC FAVTORI SVO OPTIMO,

ACTA HVIVS ANNI LITTERARIA POLONIAE

D. D. D.

LAVRENTIVS MIZLERVS.

CELSISSIME PRINCEPS,

MAECENAS MVSARVMQVE POLONARVM PATRONE BENIGNISSIME,


Singularis Tua gratia est, Celsissime Princeps, *consiliumque Tuum prudentissimum, vt haec acta litteraria Poloniae, quae praeterito anno sub bibliothecae Varsauiensis inscriptione Germanorum exaraui idiomate, nunc maiorem in vsum tum Polonorum tum exterorum prodeant Latino. Tanta Polonorum est scriptorum copia, omni fere scientiarum genere excellentium, vt mirum sit, paucos eorum tantum in exterorum huc vsque venisse notitiam, multos etiam, in Polonia ipsa, obliuione fuisse obrutos. Hinc illa exterorum, historiam Poloniae litterariam ignorantium, praesumta animi opinio, paucissimis duntaxat Poloniam gaudere bonis scriptoribus, et paucos in scientiis artibusque curam ponere. Inter eos, qui praeconceptam hanc opinionem suo nostris temporibus refutant exemplo, Tu,* Celsissime Princeps, *facile primas tenes, licet ex modestia aliis concedas. Non solum enim vere doctos viros adiuuas, ornas, omnibusque musis patrocinaris, sed ipse etiam calamum ad scribendum inuitante Minerua sumis, et non paucorum operum auctor es celeberrimus, egregio popularibus Tuis exemplo, principes proceresque maxime decere, vt scientiarum, in patriae vsum generisque humani vtilitatem, curam habeant.*

Aureum illud, quod sub Poloniarum regibus SIGISMVNDO AVGVSTO, SIGISMVNDO I, *vsque ad* VLADISLAVM IV, *vi-*

gebat

gebat in Polonia literarum saeculum, regnante Serenissimo felicissimoque AVGVSTO III, patriae patre indulgentissimo, *nunc iterum reuerti videtur, cum varii Poloniae ac Lituaniae proceres, inter quos Tu,* Celsissime Princeps, *enites, musis litent Polonis, easque iam propitiores in honore habeant, atque adeo illarum ministros, ingenia excellentia vtiliaque, bonitate ac beneficentia foueant. Quid enim in libera republica scientiis artibusque dignius? Quid magis ad generis humani patriaeque praecipue vtilitatem, quam sana ratio a iuuentute recte exculta, confert? Quid laudabilius, quam vniuersae conditoris naturae leges penitius introspicere, easque ad commodam hominum vitam accommodare? Saeculi elapsi forte error fuit, cum musae Polonae magis ingemiscerent, quam scriberent, a proceribus maxima ex parte se derelictas esse sentientes. Quo feliciora Nostra nunc sunt tempora, quibus hoc incommodum maxima ex parte est propulsatum. Musae iterum arrident, atque a persecutione ignorantium sunt integriores, cuius felicitatis magnam partem et Tibi, literatissimo Principi debent. Est nunc* AVGVSTVS, *sunt* Maecenates, *certe non deerunt* Flacci, Marones. *Gratulor Tibi,* Celsissime Princeps, *submisse in hoc, quod literatos non solum protectione Tua dignaris, sed et ingenia de Polonia bene merentia beneficentia ornas, Tuoque, non satis laudando ad scribendum exemplo, animas ac firmas. Cui ego opportunius acta huius anni litteraria, quam Tibi,* Celsissime Princeps, *offerre ac dedicare potuissem, qui eorum auctor es, vt Latine prodeant, qui sumtus ad ea imprimenda benigne suppeditas? Si quid boni igitur ex hac quacunque opella in scientiarum in Polonia incrementum, si quid commodi in exteros inde redundet, Tibi vni tribuant, necesse est.*

Magnum illud Poloniae decus, magnum illum, inquam, IOANNEM ZAMOSCIVM, *quondam supremum regni cancellarium et summum exercitus Poloni ducem, felicissime imitaris,* Celsissime Princeps, *qui saepissime in ore habebat, dicebatque:* is, qui reipublicae salutem curare velit, ante omnia de recte educanda iuuentute et scientiarum incremento cogitare debet. *Hoc Tu, benignissime Poloniae Maecenas, alter* ZAMOSCIVS, *magna diligentia*

et

et facis et efficis, regni senatoris summum praeclare implens officium. Multa adhuc haberem, quae de caeteris eximiis Tuis virtutibus, integritate, prudentia, humanitate, eruditione, dicerem, magnus mihi etiam campus apertus, in quo excurrere ac de maiorum Tuorum, gloria, summisque in rempublicam meritis disserere possem, illud autem modestia Tua, mihi prohibet, hoc melius fides historica comprobabit, recensendo breui CROMERVM, LONGINVM, PAPROCIVM, *qui de gloriosa* IABLONOVIANA *domo cum laude scribunt omnes. Sed hoc maximae Tuae laudi est*, Celsissime Princeps, regumque sanguinis Affinis, *quod maiorum Tuorum gloria, licet magna, non indiges, cum propriis fulgeas virtutibus.*

Deus ter optimus Te, Poloniae Maecenatem ad seros vsque annos integrum saluumque conseruet, vt musae Polonae quam diutissime suo gaudeant Apolline. Me autem atque haec Poloniae acta litteraria protectioni ac beneuolentiae Tuae, Celsissime Princeps, *etiam atque etiam commendo, qui singulari animi deditione, ac submissione sum ad cineres vsque*

CELSITVDINIS TVAE,

POLONIAE MAECENATIS BENIGNISSIMI,

Varsauiae,
decimo Calendar. Augusti,
A. C. MDCCLV.

submissus atque obsequentissimus
seruus,
AVCTOR.

I.

Epistola ad Polonos literatos.

POLONIS SVIS VARIIS IN SCIENTIIS DOCTISSIMIS,

SALVA VNIVSCVIVSQVE DIGNITATIS CONDITIONE LONGE HONORATISSIMIS

S. P. D.

LAVRENTIVS MIZLERVS DE KOLOF.

Philos. et Med. Doctor, in Sereniss. Regis Poloniarum aula Consiliarius et Medicus, Acad. Moguntinae scientiarum vtilium in medicis et historicis Socius ordinarius, nec non Societ. scient. mus. in Germania Senior.

Nunquam animo ad scribendum fui alacriori, quam ab eo tempore, quo scientias artesque in Polonia renascentes praesens vidi, et nil iucundius antiquiusque mihi accidere potuit, cum Poloniam ante duodecim annos cum illustrissimo supremo regni cancellario, IOANNE comite MALACHOVSCIO, Poloniae Maecenate, et vero doctorum atque honestorum virorum protectore, ingressus, KONSCIIS, oppido et illustrissimae Malachouscianae domus sede primaria, per sex annos in seruitiis illustrissimi cancellarii feliciter viuerem, quam, vt in familiaritatem praestantissimorum in Polonia ingeniorum, illustrissimi cancellarii bibliothecae ope, venirem. Mox illa praesumta animi opinio, qua, vt extraneus, infectus Polonos scriptores faciebam parui, ingenue fateor, euanuit, erubescens, me ingeniorum inclytae gentis foetus, quorum cognitionem nondum cepissem, posthabuisse. Cumque sedem iam fixam Varsauiae, indulgentissimi Domini mei consensu, eligerem, horas quasdam subcisiuas, quotidie praxi medicae, medicamentorumque elaborationi subtractas, cum musis Polonis vtiliter consumsi, in quo celeberrima bibliotheca Zalusciana, quae nulli eruditorum quid negat, abunde mihi profuit. Hinc per duodecim annos, tanta mihi cum musis Polonis intercessit consuetudo, vt religioni mihi duxerim, labores meos qualescunque Poloniae ex modestia subtrahere, idque eo magis, cum antea nunquam eiusmodi ephemerides literarias in Polonia scriptas fuisse intellexissem, qui tamen in gloriam atque

emolumentum Polonorum vſumque exterorum facere poſſent. Vitio quidem a quibuſdam hoc mihi datum fuit, me nimium indulgere literis Polonis, id quod medicum minime deceret, atque adeo, ignorantes quidam, quod magis ridiculum, non melius ſe exiſtimationem meam in Polonia offendere poſſe crediderunt, quam ſi dicerent, me ſtudiorum illuſtriſſimi cancellarii filiorum moderatorem fuiſſe, quaſi ſcientiae et honorificum eiuſmodi apud regni optimatem officium medico officerent. E contrario omnis medicus, qui tempore verus et felix eſſe velit, tantum in ſcientiis, philoſophia, matheſi et phyſica experimentali in primis, proficere debuit, vt ad minimum eas iterum alios academicorum more docere poſſit. Sed hoc non omnes in Polonia adhuc capiunt, qui puros putos iſtos practicos tanquam optimos medicos aliis rationalibus praeferunt. Quale autem animalium genus puri puti iſti practici, vna cum puris putis logicis, conſtituunt, notum eſt. Summo mihi honori duco, prudentiſſimum regni procerem me et ſtudiorum filiorum illuſtrium moderatore et medico ſimul vti potuiſſe. Tanta eſt inuidorum imprudentia, vt vituperando etiam laudent. Sed abeſt tantum, vt eiuſmodi incuſationes a coepto ſemel propoſito me abſtrahere poſſint, vt potius nouas mihi addant vires, qui in animum induxi omnes horas ſubciſiuas omnino in literarum in Polonia commodum impendere. Hunc in finem Vos, literatiſſimos viros, ea qua decet et reuerentia et humanitate accedo, vt veſtros labores mecum in Polonae gentis gloriam patriaeque vſum in commune benigne conferre velitis. Quippe non vnius hominis eſt, eiuſmodi librum periodicum diu continuare, ſed plures iique diuerſis inſtructi ſcientiis ad opus hoc requiruntur. Ita continuatis per aliquot annos his actis literariis aliam exteri de Polona gente, ſcientias quod attinet, melioremque accipient opinionem, qui hactenus nullam vel obſcuram ſcriptorum Polonorum notitiam habentes ſine vlla ratione eos poſthabuerunt. Iudicia breui ſperamus de Poloniae eruditae fama aequiora, acri et ſeuero iſto D. HVME, Angli, in ſermonibus ſuis politicis propalato, quodque in nouis exterorum literariis, Pariſiis impreſſis, (Journal etranger) menſis Maii, p. 226 repetitum, ſequentem in modum: pour appuyer ce qu'il avance, il cite l'exemple de la Pologne, où les ſciences et les arts ſont moins cultivés, qu'en aucune autre partie de l'Europe, et qui eſt cependant le pays, ou la venalité et la corruption publique ſont le plus à la mode, hoc eſt: *ad affirmanda ea, quae dicit, laudat Poloniae exemplum, vbi ſcientiae et artes minus excoluntur, quam in vlla alia Europae parte, quae tamen illa regio eſt, in qua venalitas et publica corruptio maxime in vſu ſunt.*

Noſtrum

Noſtrum nunc eſt, eiuſmodi incuſationem publicam et iniquam efficaciter refutare, non clamando, vel auctorem eius conuiciis afficiendo, quod, vt mihi videtur, viris vere doctis indignum, ſed bonos libros ſcribendo, vtiles Poloniae ſcriptores, quorum adhuc magna pars typis nondum exſcripta, imprimendo, optimos iam impreſſos exteris ſub oculos ponendo, omniaque quae ad ſcientiarum in Polonia incrementum faciunt, contribuendo. Sic iniqua iſta de literis Polonis fama ſua ſponte euaneſcet, iique erubeſcent, qui de rebus ſibi ignotis praecipitanter iudicarunt.

Quale autem meum ſit inſtitutum, Vobis nunc, viri literatiſſimi, exponam.

I. Non nudas ſcriptorum Polonorum illorumque qui ad Poloniam pertineant recenſiones promitto, ſed ſuccum eorum et ſanguinem vtiliſſimum extractum, corrigendo atque addendo quae vtilia videbuntur. In primis dabo operam, vt ea quae ius publicum, reipublicae leges, regni hiſtoriam procerumque familiarum attineant, exacte et fideliter enarrentur.

II. Geographiam Polonam, quae valde adhuc obſcura, emendare ſtudebo.

III. Prae caeteris ſcientiis eas maxime colam, quae maximum generi humano, ac Poloniae praecipue, vtilitatis fructum praebent, nempe matheſin, philoſophiam, medicinam, phyſicam experimentalem, chymiam, oeconomiam, hiſtoriam naturalem.

IV. Neque tamen omittam ea, quae ad poeſin, eloquentiam, antiquitatem, philologiam, et literas humaniores generatim, ſpectant, hiſtoriam etiam Academiarum, collegiorum, vitas maecenatum, eruditorum, artificum excellentium, nouas inuentiones atque experimenta ſuppeditabo.

V. Praeter exactas ſcriptorum Polonorum recenſiones, integras diſſertationes ex omni ſcientiarum genere, in Polonia, vel a Polonis apud exteros etiam, ſcriptas, inſeremus, ſi argumentum quoddam graue atque vtile recte explicetur, neque eae tres philuras typis impreſſas excedant. Prae caeteris optamus obſeruationes medicas nouas ſingulares, fideliter exaratas, deſcriptiones atque explicationes rerum naturae ſingularium, inuentiones et experimenta noua, ad vſum hominum accommodata, praecipue quae oeconomiam agrariam et pecuariam attinent.

Leges autem, quas mihi in ſcribendis his actis literariis ipſe impoſui ſunt ſequentes:

Prima: Quidquid contra religionem non ſolum Romano catholicam in Polonia dominantem, ſed etiam Euangelicam, et ſic dictam reformatam,

in Polonia toleratas et a serenissima republica priuilegiis munitas, scriptum sit, locum hic non habet, cum nil magis religioni christianae in genere noceat, quam theologorum falsa religionis aemulatione correptorum altercationes, qui, cuiuscunque sint religionis christianae, prae caeteris societati hominum innumera intulere mala. Praecepta nempe Seruatoris nostri obliti, omnia in contrarium fecere, animos videlicet christianorum inter se exacerbando, quos componere eis incumbebat, malefaciendo iis, quibus benefaciendo se commendare, et deinde ex amore instruere eos debuissent, persequendo eos, quos amare ex Christi doctrina conuenisset, confectando maledictionibus et horridis conuiciis aliter sentientes, cum modestia, humanitas ac moderatio eos maxime deceret. Quid enim viro probo atque honesto indignius, quam fratrem suum odio prosequi, eique male facere, hanc solam ob causam, quia a parentibus in quibusdam fidei capitibus a iuuentute aliter fuit institutus, ideoque nobiscum non idem sentit? Melius certe est, si a religione prudentum stantes ab omni hoc verborum inanium farragine plane abstineamus, nil nisi quae virtutes christianas, amorem erga Deum atque homines, bona opera, moderationem, puram fidem, omissis omnibus animi commotionibus, explicant ac commendant, recipientes.

Secunda: Quidquid regni administrationi, aulae et serenissimae reipublicae honori vel minime contrarium sit, angue peius fugimus, qui omni modo calamo, rationibus et documentis pro incremento scientiarum et Poloniae honore militabimus.

Tertia: Quidquid bonam existimationem personae cuiusdam, cuiuscunque conditionis, imminuere vel laedere possit, abhorremus. Caeterum liberum sit, vitia, deprauatos mores, nociuos abusus in Polonia generatim perstringere et videndo prodesse. Haec libertas scribendi et philosophandi multum ad incrementum scientiarum confert, licet non omnes eam in Polonia ferre posse videntur, ii nempe, quos magis pudet, vitia, quibus inquinati, perstringi, quam ea committere. Nostrum omnium et literarum in Polonia incrementi interest, vt nullo modo ab eiusmodi hominibus, seruitutis in scribendo iugum nobis imponatur, quod non solum viris eruditis indignum, sed etiam reipublicae literariae Polonae valde perniciosum esset, id quod Vos, viri prudentissimi, melius quam ego, intelligitis.

Quarta: Librorum nouorum, qui ad celeberrimam bibliothecam Zaluscianam, a Vobis, viris literatissimis, transmittentur, vt ibi Vestrum in honorem et publicam vtilitatem reponantur, prae caeteris citius mentio-

nem

nem faciam, ſperans fore, vt magis magiſque ad hanc librorum gazam Varſienſem beatam, generoſe laudabiliterque contribuatis. Quid enim vir doctus praeclarius vtiliusque facere poteſt, quam ingenii fructus ad publicam conferre vtilitatem, poſteriſque prodeſſe? Veri quippe eruditi non fucoſae eruditionis oſtentandae cauſa laborant, ſed vt patriae, ſocietati humanae poſteriſque proſint.

Nulla in tota Europa gens eſt, quae ſuas non habeat ephemerides literarias, in quibus clarorum ingeniorum monumenta exponuntur, inque publicam vtilitatem euulgantur. Polonia autem, cum non minus, quam aliae nationes in excolendis ſcientiis artibuſque laboret, cur ſuas diuitias in patriae vtilitatem exponere etiam haud debeat, non video. Qui enim labor dignior fructuoſiorque, quam virorum vniuerſae gentis doctorum inuentiones, ſcriptiones, literarum monumenta in vnum colligere, digerere, recenſere, lectoribuſque indicere, vbi omnia, quae ſcitu vtilia ſint, ſine temporis diſpendio inuenire queant. Eiuſmodi ephemerides ſunt foruli librarii, quorum ope, quae variis in ſcientiis inclyta gens a longo tempore effecit, geſtaque eorum vno quaſi intuitu inſpicimus. Quaecunque enim vnquam homines vlla in re inuenere, et vel bene vel male geſſere, ea omnia libris continentur et literarum beneficio ad poſteritatem omnium ſaeculorum propagantur. Cum igitur literae magnam felicitatis humanae partem conſtituant, atque adeo ſolae a caeteris animalibus nos diſtinguant, vix ſpero vt tam inuidus reperiatur, qui noſtrum inſtitutum contemnat. Qui enim literas ſcientiaſque contemnit, re vera ſe ipſum contemnit, ideoque plus commiſeratione, quam refutatione, dignus.

Iam nil habeo, quod Vobiſcum, viri doctiſſimi, communicem, hoc vnicum tantum obnixe rogans, vt vtiles Veſtros labores ad inſtitutum noſtrum, in Poloniae vſum et gloriam benigne contribuere velitis, qui omnem mouebo lapidem, vt Poloniae, Vobiſque, aſſidue laborando et ſincere ſcribendo placere, atque vtilis eſſe poſſim. Non enim ſolum operam medicam aegrotis omni ex parte, ſed horas ſubciſiuas etiam Poloniae literatae vtilitati dicaui, nil amplius quaerens, quam, vt variorum, qui me protectione Sua honorant, maecenatum mandatis multorumque amicorum verorum petitionibus, quantum pro exiguis viribus potero, ſatisfaciam. Valete, viri in Polonia doctiſſimi, prudentiſſimique, meque Vobis addictiſſimum beneuolentia atque amicitia Veſtra haud indignum habete. Scribebam Varſauiae calendis Maii, anno Seruatoris noſtri CIϽIϽCCLV.

II.

Anecdota quaedam ſingularia celſiſſimae de Pruſſiis ducum, ac S. R. I. principum IABLONOVIORVM *domus, ex archiuo celſiſſimae familiae priuato, ac ex ſua, iam nunc publica, bibliotheca, collecta, publiciue iuris facta per* IOSEPHVM ANDREAM ZALVSCIVM, *ſupremum in regno referendarium, abbatem Vonchocenſem in Polonia, Fontaneti in Gallia, Villariae Betnaci in Lotharingia, praepoſitum regiae baſilicae Varſauienſis, canonicum capitularem Cracouienſem, ſupremi Parliamenti Nanceiani conſiliarium praelatum honoris etc. Varſauiae in typographia S. R. M. et reipublicae collegii ſcholarum piarum, MDCCLV. in 4to. Tria alphabetha et ſex plagulas continentia.*

Nil magis ad ditandam regni hiſtoriam, eamque accuratam reddendam confert, quam variarum procerum familiarum hiſtoriae peculiares, ſi eae ex illarum ſcriniis fideliter concinnentur. Multa enim ſemper, quae ad publica pertineant negotia, ſcriptores autem plerumque fugiunt, reperimus anecdota. Hanc ob cauſam eo libentius exactam de celſiſſima IABLONOVIANA domo ſuppeditabimus hiſtoriam in compendio, quo digniora ſunt memoria IABLONOVIORVM geſta, quorum in rempublicam Polonam merita longe lateque patent. Celſiſſimae IABLONOVIANAE domus ſummum noſtris temporibus decus eſt IOSEPHVS ALEXANDER IABLONOVIVS, palatinus Nouogrodienſis, princeps, vt ingenio et virtute, ita et doctrina atque humanitate eximie ornatus, cui illuſtriſſimus auctor haec anecdota conſecrauit, qui itidem magnus laborioſiſſimuſque muſarum Polonarum patronus omnia ſua ad ſcientiarum in Polonia incrementum prae multis aliis confert. Accedamus ad ipſam rem. Licet hoc opus in libros et capita non ſit diuiſum, vnum quodque tamen argumentum peculiarem habet inſcriptionem, quarum prima: *De origine Stemmatis comitum* IABLONOVIORVM *gentilitii, nec non eorum familiae.* PRVSSVS, quem DOBROGOZONEM, BVITHILLI filium, priuilegium vocat Srzenenſe, Pruſſiadem vero ſeu Pruſſii filium, in lingua Polona PRVSOWICZ, Paprocius in opere de ſtemmatibus nobilium, ille Pruſſus, inquam, cum eſſet CASIMIRI I, Poloniarum regis, ſupremus copiarum dux, MASLAI, Maſouiae ducis, exercitum fudit et plus quam ſemel deleuit, cui rex MASLAI filiam relictam in matrimonium conceſſit. Quia vero

MASLAVS,

MASLAVS, falcibus vtebatur pro insignibus, in perpetuam memoriam falcibus sua adiunxit insignia, quae tunc PRVSS, vice secunda, dicebantur, teste OKOLSCIO Tom. I. p. 475. Gentilitium autem Prussii nostri insigne erat sesqui crux, et ex his duobus insignibus Prussii stemma conflatum erat. Prussii vero vxor, seu filia MASLAI, e sanguine regio erat, confirmante OKOLSCIO Tom. II. p. 546. his verbis: *contulit Casimirus rex gratiam militi et duci exercitus sui, dum ducis filiam et sanguinem regium nobili Polono, de Prussiorum familia in matrimonii sacramentum concessit, sed viro digno, meritis et triumphis claro, qui et bellator et protector esset regis et regni.* Praeclaram vero illam familiam ex Borussia regia esse oriundam, expressis verbis confirmat codex scriptus manu in bibliotheca Zalusciana asseruatus, p. 707. Bis deinde iterum signum gentilitium hoc fuit mutatum. Nunc autem comitum PRVSSIIS IABLONOVIORVM stemma est tale: Falx occupat dextrum scuti latus, solea dimidia sinistrum, sesqui crux ponitur supra falcem et soleam, acumine vtriusque inferius posito. Supra galeam scutariam coronatam est pes loricatus et ocreatus, genu coronae cacumen tangens. Campus crucium et falcis est coccineus, soleae vero caeruleus. Arma autem integra sunt albi, pes vero ferrei coloris. Anno tandem CIↃIↃCCXLIV. die XXX Aprilis vigore diplomatis caesarei, ab augustissimo Romanorum imperatore CAROLO VII comitibus IABLONOVIIS, affinitate sibi iunctis, gratiosissime impertiti, quo illos S. R. I. principum titulo praerogatiuisque condecorauit, insigne gentilitium nunc principum IABLONOVIORVM hocce dispositum est modo: *Scutum militare erectum in quatuor partes diuisum, secta tamen perpendiculariter superiori parte sinistra. In prima superiori parte purpurea dextrorsum cernitur sesqui crux argentea,* Polonice TVRZYMMA *dicta, auita insignia a principibus olim* PRVSSIIS *gentilibus haereditaria. In inferiori dextra etiam purpurea, duae apparent falces argenteae, Polonice,* WILCZE KOSY *appellatae, hunc in modum dispositae, vt quasi circulum forment, quae insignia per* CASIMIRVM I, *ob vnicae* MASLAI *ducis filiae memoriam anno circiter MXXX apposita. Superioris partis sinistrae campum vtrinque occupat iam dicta sesquicrux, falcis iugo imposita, sesqui solea, loco alterius falcis substituta, quod stemma Polonice* NAGODY *appellatur, et foedus nuptiale, cum vnica antiquae* POBOGORVM *prosapiae haerede initum, denotat. In quarta demum inferiori sinistra caerulea parte, pes conspicitur curuatus, aureus ac loricatus, Polona lingua* ZLOTO-GOLENCZYK *dictus, arma augmentationis a* BOLESLAO III, *Polono rege, strenuissimo quondam duci* SOBORIO *anno MCXXX collata. Addita sunt insuper*

per in signum affinitatis domus IABLONOVIANAE *cum regia* SOBIESCIORVM *gente, et per Sobiescios cum ipso augustissimo Romanorum imperatore* CAROLO *VII, parmula, seu scutulum argenteum in medio impositum, caesaream exhibens aquilam nigram, linguam rubram ostendentem. Scutulo praefato mitra incumbit ducalis. Scuto vero maiori tres impositae sunt galeae argenteae equestres auro clathratae et lemniscis exornatae, quarum media pileo coronata est ducali, supra se habens aquilam imperialem. Ex reliquis duabus coronis exornatis aureis, dextra, apicis loco ostentat brachium auro loricatum, manu strictum tenens ensem, sinistra vero pedem monstrat loricatum scutalem. Super haec a dextris argenteae coccineaeque conspiciuntur defluentes laciniae, a sinistris autem sunt argenteae atque caeruleae. Scutum denique integrum pallio ducali est redimitum, lemniscis aureis coruscante.*

Sequitur nunc caput: *de nomine* PRVSS *comitibus* IABLONOVIIS *indito.* Varios hic illustrissimus auctor laudat scriptores, omni fide dignos, per quos probat PRVSSIOS ex Borussia in Poloniam venisse, vnde etiam apparet Prussiorum nomen familiam, non patriam, designare, quod maxime OKOLSCII verba in orbe Polono T. II. p. 239. confirmant, ita loquentis: PRVSSII, *tres fratres principes Prutheni, de quibus Dlugossus etc.* MARTINVS CROMERVS libr. IV. p. 60. dicit etiam, sanctum STANISLAVM, episcopum Cracouiensem ex PRVSSORVM, quam ita vocant, familia, fuisse ortum. IABLONOVIOS nostros autem genuinos esse PRVSSIOS sole clarius patet ex OKOLSCIO et STAROVOLSCIO. Ille clare dicit T. II. p. 555: IABLONOVIORVM, PRVSSORVM de armis, arborem familiae ponere, esset longum satis et altum etc. hic in Sarmatarum monumentis p. 255 producit epitbaphium MATHIAE IABLONOVII, qui ibi distincte ex PRVSSORVM familia oriundus dicitur. *De gentis Iablonouianae antiquitate* iam supra dicta testantur, insuper MARTINVS BIELSCIVS fol. 82 scribit: *Prussios principes in Polonas transmigrasse regiones eo demum tempore, quo Borussi adhuc paganismi tenebris obuoluti idolorum simulacra adorabant.* Ex supra dictis trium Prussiae gentis principum nepotibus, nemo, nisi Maslai, Masouiae ducis, generi filius vnicus fuit superstes, SANCHOR dictus, qui ducem SVENTOPELCVM progenuit, a quo postea fuit propagata celeberrima PRVSSIORVM et IABLONOVIORVM prosapia. Ideo regis Poloniae STANISLAI, Lotharingiae et Barri ducis, pater, RAPHAEL comes LESCZYNSCIVS, supremus regni thesaurarius in nuptiis ALEX. IABLONOVII, supremi regni vexilliferi, orationem suam epithalamicam his exorsus est verbis: *Stawa tu*

Xiąze

Xiąze Swentopelk w osobie I. W. Imci pana chorązego Koronnego etc. hoc est: *Sistit se hic conspectui Vestro, Dux Poloniae, Suentopelcus in persona illustrissimi atque excellentissimi regni vexilliferi* etc. Suppeditat deinde illustrissimus auctor: *Domus Iablonouianae coniunctiones cum illustrissimis familiis, ex quibus diuos Poloniae tutelares, nec non alios viros, vitae sanctitate morumque integritate conspicuos, progenitos habemus.* Pertinent huc nempe S. HEDVIGIS, Henrici Barbati, Poloniae et Morauiae ducis consors, HENRICVS martyr, beataque GERTRVDIS, qui matrem Heduigem habuere. HEDVIGIS, Poloniae regina, S. CVNEGVNDA, Beli Hungariae regis filia, et S. Cunigundae soror, IVCVLENTA, seu HELENA, et altera Cunigundae Soror CONSTANTIA, Leoni, Russiae duci matrimonio iuncta. Beata SALOMEA, Lesconis albi filia, cum matre GRZYMISLAVIA, Iaroslai Russiae ducis filia. ADELAIDIS, Micislai, primi christiani principis, soror. S. STEPHANVS, Hungariae rex, etc. ex ipsa Prussiorum familia, STANISLAVS episcopus Cracouiensis, etc. *Comitum Prussiis* IABLONOVIORVM *cum domibus excelsis in Europae regionibus dominium supremum habentibus coniunctiones* sunt sequentes:

I. Cum domo regia *Piastea*, nec non regia *Iagellonica* per Radiuilos et Sanguscones principes.

II. Cum domo *Stuartorum,* per CLEMENTINAM, Iacobi Sobiescii, regii principis filiam, quae Ioannae Bethunae, Iablonouii Russiae palatini vxoris, fuit soror amitina.

III. Cum Serenissimo domo *Austriaca* per MARIAM IOSEPHAM, vtinam quam diutissime sospitem et superstitem Poloniae reginam, cuius serenissima filia MARIA IOSEPHA, faustissimo connubio cessit *Galliae Delphino*, ANNAE IABLONOVIAE, regis STANISLAI matris, pronepoti.

IV. Cum regia *Borbonica*, per LVDOVICI XV beneamati, Galliae monarchae coniugem MARIAM LESCINIAM, Annae Iablonouiae nepte.

V. Cum Regio Electorali *Saxonica* per eundem nexum.

VI. Cum electorali *Bauarica* per varias necessitudines. Primum per Ioannam Bethuniam Iablonouii Russiae palatini vxorem, CAROLI VII, Rom. imperatoris matris Theresiae Cunegundae Sobiesciae sororem amitinam. Deinde per Catharinam, magni illius Sobiescii Ioannis III, regis Poloniae germanam sororem, CAROLI VII, imperatoris matris amitam. Tandem per MARIAM ANNAM, indulgentissimi regis Nostri filiam, dignissimam Electoris Bauariae thori Sodalem.

VII. Cum *Borussico-Brandenburgica* domo per Catharinam Ioannis Brandenburgici Electoris filiam.

VIII. Cum domo *Palatino-Rhenana* eadem fere oritur affinitas.

IX. Sic cum domo *Danico-Oldenburgica* et X. cum domo *Bathoreana* XI. cum domo *Sabaudica* XII. cum domo *Lusitano-Bragantica* probatur affinitas quaedam. Si quis omnes et singulas Iablonouiorum cum illustrissimis regni Poloniae familiis enarrare vellet consanguinitates et affinitates, arduum susciperet opus. Nulla enim fere in toto regno illustris est familia, quacum IABLONOVII non iuncti sint. Dicendum nunc *de Serie Prussiorum et Iablonouiorum, ordine dignitatum, officiorum et munerum.*

Septem numerantur ex familia Prussiorum episcopi I. Sanctus STANISLAVS, episcopus Cracouiensis. II. THOMAS STREMPINSCIVS, Cracouiensis episcopus 1460. III. GVNTHERVS PRVSSIVS, Plocensis praesul. IV. THOMAS vulgo THOMKA episcopus itidem Plocensis a. 1270. floruit. V. STIBORIVS II, episcopus Plocensis. VI. ANSELMVS, episcopus Brunsbergensis, seu Varmiensium omnium primus. VII. ANDREAS OLSZOWSKI, archiepiscopus Gnesnensis.

Palatini sunt sequentes: I. STANISLAVS IOANNES IABLONOVIVS, Cracouiensis castellanus, 1702. II. IOANNES STANISLAVS IABLONOVIVS, regni gladifer, qui bis a Vladislao IV sibi oblatum palatinatum Sandomiriensem recusauit. III. ALEXANDER IOANNES STANISLAVS IABLONOVIVS, regni vexillifer, palatinatum Calissiensem, ab Augusto II. oblatum, modeste respuit. IV. STANISLAVS MINSCIVS, Prussius, Lanciciensis palatinus, qui mortem in Italia Patauii obiit. Filia eius vnica omnia sua bona transtulit ad Tencinios, a Tenciniis peruenerunt ad Opalinios, ab Opaliniis an Sieniauios, et per MARIAM SIENIAVIAM, Adami, Cracouiensis castellani, filiam, ALEXANDRO AVGVSTO CZARTORISCIO Duci, palatino Russiae felicissimo coniugio iunctam, ad CZARTORISCIOS principes. V. MARTINVS PRVSSIVS, Cuiauiae palatinus. VI. IOANNES de Plomino PRVSSIVS, palatinus Cuiauiae, a. 1304. VII. STANISLAVS IABLONOVIVS, Russiae palatinus, de quo legendus Zaluscius in epistolis historico-familiar. T. I. p. 805. Kochowski in climactere III. p. 137. VIII. IOANNES IABLONOVIVS, Russiae palatinus. IX. Volhiniae palatinus Russiae palatinatum est adsecutus a. 1697. et idem est cum praecedente. X. STANISLAVS IABLONOVIVS, Volhiniae palatinus, quem Casparus Niesiecius coronae poloniae p. 155. omisit, sed post Georgium Mniszek omnino ponendus.

XI.

XI. IOANNES VIECVINSCIVS, Prussius, palatinus Belscensis. XII. PRVSSIVS PRVSSOVICIVS, palatinus Plocensis. XIII. STANISLAVS VINCENTIVS IABLONOVIVS, palatinus Rauensis, S.R.I. princeps, fato ante annum functus, ordinis Sti spiritus in Gallia et aquilae Polonae eques, capitaneus Bialocerkieuiensis et Medirecensis. XIV. IOSEPH ALEXANDER IABLONOVIVS, palatinus Nouogrodiensis, celsissimae domus Iablonouianae nostris temporibus decus.

Annotandi nunc maiores castellani, quorum primus FRANCISCVS GRZIBOVIVS, Prussius, castelli Iuniuladislauiensis praefectus. II. DOBROGOST, seu BONAVENTVRA GRZIBOVIVS, eiusdem castelli praefectus. III. IOANNES WIECVINSCIVS, Prussius, castelli Plocensis praefectus, postea palatinus Belscensis. IV. IACOBVS MINSCIVS, Prussius, castelli Czernensis praefectus. V. STANISLAVS RVDZINSCIVS, Prussius, castelli Czernensis praefectus, 1676. VI. STANISLAVS GRZIBOVIVS, Prussius, castellanus Czernensis. VII. CASIMIRVS FRANCISCVS RVDZINSCIVS, Prussius, castellanus Czernensis, primus antea in exercitu regni tribunus, regni supremi tribunalis mareschalcus, a. 1748, nunc Masouiae palatinus. VIII. IOSEPHVS NAKVASCIVS, castellanus Rauensis, nuper defunctus, 1749. IX. IOANNES PRVSSIVS, castellanus Rauensis a. 1493.

Castellani minores fuere I. IABLONOWSKI in Iablonowo, castellanus Sieprcensis. Vxorem habuit Pelagiam Kryfciam, castellani Raciansensis filiam, qua ex domo fuit mater S. Stanislai Kostka. II. PROCOPIVS IABLONOVIVS, castelli Rypensis praefectus. III. THEODORVS IABLONOVIVS, itidem castellanus Sieprcensis; vna cum multis aliis, qui praetereuntur.

Officiales maiores regni, tum senatorii, tum equestris ordinis, sunt: I. THOMAS de Strzempina, Prussius, regni procancellarius, a. 1455. ad episcopatum Cracouiensem euectus. II. STANISLAVS MINSCIVS, Prussius, itidem regni procancellarius, deinde palatinus Lancicìensis, obiit a. 1607. III. ANDREAS OLSZOVIVS, Prussius, regni procancellarius, deinde episcopus Culmensis, tandem archiepiscopus Gnesnensis. IV. IOANNES STANISLAVS IABLONOVIVS, regni gladifer, comitiis regni a. 1636, 1637, et 1640 praefuit, mareschalci munere fungens, a VLADISLAO IV. in mareschalcum curiae regni euectus, in syllabo mareschalcorum curiae inter Stanislaum Przyiemscium et Adamum Kazanouium medius ponendus. V. STANISLAVS IABLONOVIVS, supremus regni exercituum dux, castellanus Cracouiensis factus a. 1682, diem obiit

 supre-

supremum, 1702. VI. Idem antea campiducis regni munere functus ab a. 1676. ad a. 1682. VII. MARTINVS PRVSSIVS, Crusuicensis Palatinus, Casimiri Cuiauiae Ducis exercitui praefuit. Eius praeclara facinora bellica leguntur apud Cromerum ad an. 1233. p. 150. VIII. PRVSSIVS, Casimiri I, Poloniae regis, exercituum dux supremus, cui Maslai, Masouiae ducis, ab eo praelio victi, filia in victoriae praemium cessit. IX. PAVLVS IABLONOVIVS, Succamerarius campestris regni, magnus bellator. X. IOANNES IABLONOVIVS, supremam vexilliferi regni dignitatem tenuit, dum vix XVII. annum attigerit, qui postea Volhiniae, tum Russiae palatinatum est adsecutus. XI. ALEXANDER IABLONOVIVS eadem dignitate floruit, capitaneus Buscensis. XII. IOANNES STANISLAVS IABLONOVIVS, S. R. I. principum Iablonouiorum abauus, magni regni ensiferi munere functus, duabus tantum ante obitum hebdomadis mareschalci curiae regni dignitate ornatus. XIII. IOSEPHVS ALEXANDER IABLONOVIVS, S. R. I. princeps, eius abnepos est, supremus Lituaniae dapifer, nunc palatinus Nouogrodiensis, senator ad maxima quaeuis munera natus. XIV. STANISLAVS IOANNES IABLONOVIVS erat supremus castrorum regni metator, antequam regni exercitus dux creatus esset. XV. Idem munere supremi praefecti vigiliarum exercitus Poloni est functus. XVI. Eandem vigiliarum praefecturam tenuit PRVSSIVS PRVSSOVICIVS. XVII. STANISLAVS IABLONOVIVS terrarum Prussiae gladifer. XVIII. GREGORIVS, filius eius fuit Prussiae thesaurarius. XIX. Idem GREGORIVS fuit sic dictus regimentarius in generali Prussiae nobilitatis expeditione Liuonica. XX. MARTINVS PRVSSIVS fuit dapifer Masouiae, deinde palatinus Brestensis. XXI. IOANNES STANISLAVS IABLONOVIVS, pocillator reginae Ceciliae Renatae, deinde curiae mareschalcus.

Officiales palatinatuum, terrarum et districtuum. I. STIBORIVS seu Czybor, Prussius, fuit succamerarius Plocensis. Notandum, omnis palatinatus, seu territorii, succamerarium, esse *nobilitatis principem*, id est, primum inter officiales palatinatuum. II. GREGORIVS IABLONOVIVS Plocensis succamerarius. III. VOLFGANGVS de Iablonowo PRVSSIVS, succamerarius Dobrinensis. IV. IACOBVS de Plomino, frater eius fuit capitaneus cum iurisdictione Dobrounicensis in terra Dobrinensi. V. VI. VII. STANISLAVS IOANNES IABLONOVIVS, castellanus Cracouiensis, tres praefecturas cum iurisdictione tenuit temporis progressu, Zydaceuiensem, Siradiensem, Buscensem. VIII. filius eius regni vexillifer, mortuo patre Buscensem tenuit. IX. Eadem nunc fruitur nepos palatinus Nouogrodiensis. Capi-

Capitanei, ſeu praefecti minores, magno numero ex Iablonouiorum familia fuere, nimiſque longum eſſet omnes ac ſingulos recenſere. Caſtellanus Cracouienſis XVI ſimul tenuit eiuſmodi praefecturas.

Legati ad exteros principes IABLONOVII fuere I. STANISLAVS IABLONOVIVS, enſifer regni, in comitiis a. 1642 deſignatus, tum ad tractandam pacem cum Duce Valachiae, tum ad fines Valachiae, Tranſyluaniae, Hungariae et Sileſiae diſterminandos, cum caeſareis commiſſariis. II. Idem ille a. 1642 in Sueciam miſſus, cum plena pacis concludendae facultate, id quod optato ſucceſſu perfecit. III. IOANNES STANISLAVS IABLONOVIVS, Ruſſiae palatinus, cum adhuc iuuenis exteras regiones peragraret, a IOANNE III, Poloniae rege, ad varios exteros principes mandata habuit, publica cum eorum miniſtris negotia tractare, praecipue vero cum magni illius LVDOVICI XIV, Galliarum regis, in quibus negotiis ſedulam eamque felicem nauauit operam. vid. monumenta Iablonouiana p. 125. IV. Filius eius CAIETANVS, capitaneus Czehrynenſis, velleris aurei eques, a rege Stanislao ad Kaplan Gerei, Tartariae Chanum legatus miſſus eſt a. 1734. V. ALEXANDER IOSEPHVS IABLONOVIVS, cum adhuc eſſet ſummus Lithuaniae Dapifer, nunc palatinus Nouogrodienſis, eadem tempeſtate legationem ad Ludouicum XV, Galliae regem ſuſcepit. VI. DEMETRIVS IABLONOVIVS, frater Caietani, patruelis Alexandri, a rege Stanislao, Lotharingiae duce, ad regem noſtrum clementiſſimum AVGVSTVM III, nuper mittebatur legati munitus charactere, vt ei de nuptiis filiae MARIAE IOSEPHAE cum Galliae Delphino, nepote ſuo, celebratis, ſolenniter gratularetur.

Equites torquatos Iablonouios paucos fuiſſe, non mirandum, quia lege patria cautum eſt, ne titulos exoticos quaerant proceres noſtri, *equitis Poloni* dignitate contenti. Aquila alba autem, ordini equeſtri Poloniae inſigne praebens, non niſi a. 1705 ab AVGVSTO II, inuicto illo rege noſtro, veluti phoenix reuiuiſcens ex Vladislai Loctici cineribus eſt excitata, vt legere eſt in opere de ordine aquilae albae in Polonia. Sunt autem equites torquati ſequentes. I. IOANNES IABLONOVIVS, Ruſſiae palatinus, eques aquilae albae. II. STANISLAVS IABLONOVIVS, palatinus Rauenſis, ſancti ſpiritus Galliae eques, a. 1749. III. Idem aquilae albae eques. IV. IOANNES CAIETANVS IABLONOVIVS, Germanus praecedentis frater, capitaneus Czehrynenſis, velleris aurei in Hiſpania eques. V. IOSEPH ALEXANDER IABLONOVIVS, S. R. I. princeps, S. Huberti palatini Rheni eques. VI DEMETRIVS IABLONOVIVS, capitaneus Kouelienſis, eiuſdem ordinis eques.

Recenſentur nunc *matronae illuſtres Iablonouiorum coniuges*, ordine alphabetico, numero triginta. Ex his maxime patet *Iablonouiorum* cum multis in Polonia illuſtribus familiis, vt et ex ſequenti capite *de Iablonouiorum filiabus*, ordine alphabetico, numero viginti vna, longe lateque patens conſanguinitas atque affinitas. Sunt haec duo capita, exacte ſcripta, non exigui in Polonia momenti, et non tantum ob genealogiam, ſed et propter iura ratione ſucceſſionis inde deducenda magni vſus, ideo lectorem ad ea remittimus. Adiecta deinde ſunt, *bona, praedia, feuda, Iablonouiorum Pruſſiorum, olim vel nunc ab iis poſſeſſa*, quorum ſatis magnus eſt numerus, porro PRVSSIADES, *qui praeter Iablonouios, iiſdem armis*, PRVSS *dictis, vtuntur.* Notandum, eſſe in Polonia IABLONOVIOS diuerſi ſtemmatis, non Pruſſios, qui nihil cum noſtris commune habent. *Iablonouiorum Pruſſiadarum fundationes et eccleſiarum erectiones* variis numerantur in locis triginta quatuor.

Sequuntur nunc *epitaphia Iablonouiorum*, de quibus quaedam inſeremus, ea nempe, quae ad hiſtoriam faciunt, et prae caeteris memoria digna. Sepulcrorum enim inſcriptiones eandem in hiſtoria fidem merentur, ac numiſmata, quae ſaepius plus probant, quam diuerſi ſcriptores, quorum alter alterum exſcripſit. Notanda ſequentia:

ANNA de Iablonow LESCZYNIA
Filia celſiſſimi STANISLAI comitis IABLONOWSKI
Caſtellani Cracouienſis.
Mater STANISLAI I Poloniarum regis
Auia MARIAE, reginae chriſtianiſſimae
LVDOVICI XV, regis Galliarum coniugis.
aetatis ſuae A. LXVIII.
Obiit Campoburgi * die XXIX Auguſti
Anno Domini MDCCXXVII.

Epitaphium
Stanislai Ioannis Iablonouii, caſtellani Cracouienſis, in eccleſia Societ. Ieſu, Leopoli

Quod
Suedicum, Coſaticum, Moſchouiticum, Hungaricum bellum, innumeris praeliis, multis vulneribus, continuo ſudore, miles, Rothmagiſter ſuſtinuerit,

Quod

* hoc eſt Chamborii in Gallia.

Quod

Turcicum et Tartaricum exercitum militari imperio dux, ſub magno IOANNE III, rege Poloniae, ad Chocimum, Viennam, Strigonium et Zurawno duxerit et vicerit, ipſe vero ſolus in Valachia ad Bukowinam, ad Kumenecam et Vſcie magnis cladibus barbarum profligauerit

Quod

Camenecum fortalitiis a ſe extructis fraenauerit, Leopolim capere Tartarorum centum millibus pauciſſimo milite vetauerit, Podoliam armis occupatam, pace Turcis donatam, ſecreta cum Selim Gereio Chano per tractatum Carlouicienſem reſtituerit amicitia,

Quod

per tractum vitae ſuae, excubiarum regni praefectus, tum caſtrorum regni metator, dein palatinus Ruſſiae, denique caſtellanus Cracouienſis, in omni reipublicae ſubſellio, foro et actu, fidem, libertatem, conſtantiam, interrite et integre ad exemplum cunctis ſeruauerit, confoederatum exercitum, tempore interregni ſub imperium ſuum militare vnica bonitate reduxerit,

Quod

omni genere virtutum, quae et religioſos ornant, claruerit, pro praemio in terris retulit, lectiſſimam et virtuoſiſſimam coniugem, MARIANNAM KAZANOWSKA, ex qua ſuſcepit, et his titulis ornatos moriens vidit et coniugibus iunctos reliquit

ANNAM LESCZYNSKA, ſupremi regni theſaurarii, tum HEDVIGEM, palatini Plocenſis Kraſinſcii, coniuges, IOANNEM, palatinum Ruſſiae, ALEXANDRVM, ſupremum regni vexilliferum, STANISLAVM caſtrorum regni metatorem

Quod

Filiis ſuis famam tantum ſcripſerit haeredem, in vadatis ampliſſimis pro aerario publico poſſeſſionibus, et ſic fortunam auitam et auctam, in victimam patriae amoris poſuerit,

poſteritas aeternis faſtis et gloriae, Polonia deſiderio eius, diu perennaturo, IOANNES palatinus Ruſſiae, filius, cordi et marmori, haec vera eius facta et lacrimas optimo patri inſcripſit et incluſit.

Hic iacet

STANISLAVS IOANNES IABLONOWSKI, caſtellanus Cracouienſis, ſupremus regni Poloniae exercituum dux, ex IOANNE, enſifero regni, et ANNA de OSTROG. Anno Dni 1634 natus

A. D. 1702 denatus

A. D. 1728 hoc marmore renatus.

Binis

Binis tabulis collateralibus haec verba inscripta sunt:

Sexaginta octo annorum homo.
Quadraginta nouem annorum miles.
Triginta sex annorum Dux.
Chocimensis, Zuraunensis, Katuszensis, Viennensis, Strigoniensis, Bukouiensis, Vscensis, ingentium praeliorum victor.
Fortalitiorum plurium et SSmae trinitatis erector,
Podoliae et Cameneci restitutor.
XXVI annorum palatinus Russiae et castellanus Cracouiensis.
Trium regum, MICHAELIS, IOANNIS, AVGVSTI, faustus elector.
Libertatis ad Golomb assertor.
Saeui in patriam confoederati exercitus exuinculator.
Scissae electionis Augustianae compositor.
Brandeburgensis de Elbinga tractatus auctor.
Initiati belli cum eodem extinctor.
Lituanicarum dissensionum concordator.
Plurium tribunalium, thesauri mareschalcus.
Pro alendis legionibus bonorum suorum integre destructor. *

D. O. M.
Et aeternae memoriae
C A R O L I N A E
quae nata
IOANNE III, rege Poloniarum, et MARIA CASIMIRIA
Auis
IACOBO SOBIESKI et HEDVIGE ELISABETHA AMALIA
Princ. Neoburg. parentibus

Carolo

* Illustriss. auctor occasione huius sepulcri inscriptionis, quam filius defuncti confecit, in medium adducit epigraphas quasdam ad proceres directas haud illepidas, ad quarum autem intelligendam vim, opus est, eorum, ad quos directae, animi characteres scire. Auctor earum, idem qui epitaphii. Speciminis loco duas tantum hic annotabimus.

Ad celsiss. episcopum Varmiensem, is tum erat CHRISTOPH. IO. SZEMBEK

Tu pius in viuos, defuncti damna rependc.

Ad celsiss. episcopum Plocensem, is tum erat STANISLAVS KOSTKA ZALVSKI, hodiernus Cracou.

Fraternas lacrimas, subsidiumque dato.

Carolo Godofredo BVLLIONAEO, principi Sedanenſi
in Galliis, nupta,
Duorumque liberorum mater
Cum rediiſſet in patriam, afflicto annis parenti
futura ſolamen,
Amiſſa demum cum ipſo meliore ſui parte altera,
Non diu morata, pie obiit Zolkieuiae A. MDCCXXXIX.
aetatis anno XLII.
Huic vltimae, regia de ſtirpe, quae tot ſceptra pullulauit,
propagini
Executores teſtamenti
Andreas Stanislaus Koſtka Zaluski, Epiſcopus Culmenſis et Pomeſaniae,
archi-cancellarius regni
et
MICHAEL princeps RADZIVIL, palatinus Vilnenſis,
Exercituum M. D. Lit. Dux
Hoc monumentum, auitis in aedibus, moeſti poſuere
Anno MDCCXLVI.
Varſauiae nempe in eccleſia ſanctimonialium S. S. Sacramenti.

Sequitur nunc *Archiuum*, vel potius tabularium, IABLONOVIORVM, *ſeu conſtitutiones regni, quae eorum fecere mentionem, tum diplomata et priuilegia, iis conceſſa, nec non eorum inſcriptiones terreſtres, ſingula ordine chronologico diſpoſita.*

Varia hoc in capite et vtilia, et in Polonia maxime ſcitu neceſſaria, reperiuntur, ex quibus diploma CAROLI VII, imperatoris, conceſſum IOSEPHO ALEXANDRO IABLONOVIO, capitaneo Buſcenſi (nunc palatino Nouogrodienſi) pro principatu S. R. imperii, inſeremus.

NOS, CAROLVS IOSEPHVS, diuina fauente clementia, electus Romanorum imperator, ſemper auguſtus, ac Germaniae et Bohemiae rex, vtriuſque Bauariae et ſuperioris palatinatus Dux, comes palatinus Rheni, Archidux Auſtriae, Landgrauius Leuchtenbergae, etc.

Quae ſacri Romani imperii dignitatem, vniuerſo orbi conſpicuam, reddit ſplendoris eminentia, eadem et illos praecellentibus radiis colluſtrat, qui imperiali ſolio propius admoti, altiorem caeteris, et in primis excelſum principum S. R. I. gradum tenent, ideoque diuis Noſtris praedeceſſoribus, nil vnquam prius, nihilque antiquius fuit, quam eminenti huic ordini, eos tantum adſcribere, qui et natalium ſplendore reliquos praecellunt, et maiorum gloriam ſua virtute ſuperant, ingentibusque in ſacrum Romanum imperium et orbem chriſtianum meritis coruſcant.

Conſiderantes igitur, quam illuſtri ſanguine magnificus ſincere Nobis dilectus, IOSEPHVS ALEXANDER in Polonia comes Pruſſius IABLONOWSKI, haeres ducatus Oſtrogienſis, Dominus in Iablonow, Lachouce, Liſianca, Zawalow et Podhorce, gubernator prouinciae Buſcenſis, capitaneus Korſunenſis, Volpenſis, Dzwinogrodenſis, Zagoſtenſis, poſſeſſor in Rakanciski et Lawaryski, colonellus equeſtris militiae reipublicae Polonae, oriundus ſit, cum ex praecipuis claſſiciſque hiſtoriae Polonicae ſcriptoribus, nempe Ioanne Longino Wieniauita, archiepiſcopo Leopolienſi, Matthia a Miechow, Cromero, epiſcopo Varmienſi, Ioachimo Bielski, Alberto a Glogol Paprocki, Simone Okolski, Gaſpare Nieſiecki, aliiſque auctoribus luculenter conſtet, quod Pruſſii principes Prutheni tres fratres ex Pruſſia in Poloniam venerint, ibique ſtirpes propagauerint, et ante mille annos ad honores admiſſi ſint, ab his principibus vero adhuc gentilibus, et nominatim a Vindica Buittillone et Obizorzone, gens Iablonouia in recta linea deſcendat, et teſtantibus Archiuis nominis ſui famam, tam rerum geſtarum magnitudine, quam obtentorum hac via eminentium priuilegiorum copia, iam pridem ſe immortalem reddiderit, ita vt ex tot illuſtribus ſupradicti Ioſephi Alexandri maioribus, hic vnum inſtar omnium allegaſſe ſufficiat, nimirum celeberrimum eius auum STANISLAVM IABLONOWSCIVM, Cracouienſem caſtellanum, ſupremumque exercituum Poloniae regni ducem, qui reportata anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo tertio, de barbaro chriſtiani nominis hoſte ingenti, omnibuſque ſaeculis celebranda victoria, non ſuae patriae ſolum, ſed imperii quoque Romani totiuſque chriſtiani orbis ſalutem fortiter aſſeruit, ideoque iam tunc temporis ex benigna diui praedeceſſoris Noſtri, LEOPOLDI, intentione, dignitate principis ſacri Romani imperii condecorandus erat.

Reputantes praeterea, non ſolum Nobis, ſed auguſtae domui Noſtrae electorali, dictum IOSEPHVM ALEXANDRVM affinem eſſe, tam per familiam vxoris ſuae, principumque RADZIVILIORVM, quorum pater ex germana ſereniſſimi quondam IOANNIS III, Poloniarum regis ſorore, Noſtraeque quondam dilectiſſimae matris amita, progenitus, quam per IOANNAM IABLONOVIAM, palatinam generalem terrarum Ruſſiae, ſereniſſimae quondam reginae, MARIAE CASIMIRIAE, auiae Noſtrae ex germana ſorore prognatam neptem. Sed pari quoque nexu coniunctum eſſe cum ſereniſſima domo *Borbonica*, per ANNAM IABLONOVIAM, amitam memorati Ioſephi Alexandri, et genitoris eius germanam, quae mater erat, hodierni ſereniſſimi et potentiſſimi STANISLAI, Poloniae regis et Lotharingiae ducis, patris, modernae ſereniſſimae principis MARIAE, LVDOVICI XV, Galliarum regis chriſtianiſſimi conſortis, genetricis Delphini Galliarum, caeterarumque principum filiarum. Inſuper ex materno latere cum auita Piaſtea domo, quemlibet fere in Europa thronum per nuptialia thori vincula tangente, cum vltima in Polonia Piaſtea princeps ANNA, Caſimiri in Polonia quondam Ducis Maſouiae filia, Odrowonzii coniunx, genuerit Odrowonziam, nuptam dein Koſtcae, ex quo matrimonio filia nata, ducta eſt in familiam Sieniauiam, ex qua, viua adhuc ſaepe dicti Ioſephi Alexandri mater deſcendit. Ita vt et ipſe et proſapia *Iablonouiorum* per ſe regiam *Sobieſciorum* domum, perque Radiuilios, de eadem affinitatis neceſſitudine cum regia Stuardorum, electoralibuſque Palatina et Brandenburgica familia merito glorietur.

Per-

Perpendentes denique ipſius ſaepe dicti Ioſephi Alexandri eminentes ingenii dotes, exquiſitam omnis rei literariae, non minus ac bellicae, peritiam, et reportatam iam in vtraque via inſignem meritorum copiam, cum ſub AVGVSTO II, STANISLAO I et AVGVSTO III, Poloniarum regibus, ſaepius ad comitia generalia ablegatus inter caeteros nuntios compareret, patriaeque ſalutem et tranquillitatem vbique prudentibus ſuis conſiliis multum promoueret, ideoque dignus inclytae reipublicae viſus fuerit, quem ſuis literis credentialibus munitum, ad ſereniſſimum regem Galliarum, tempore praeteriti belli mitteret, praeclaram vero in re militari dexteritatem et fortitudinem, tam in obſidione Gedanenſi, quam in exercitu ad Rhenum, aliiſque occaſionibus abunde comprobauerit, et indefeſſum ſtudium tam de Nobis, auguſtaque domo Noſtra, et imperio Romano, quam de patria ſua vlterius bene merendi, prae ſe ferat. Sane non Noſtra ſolum, ſed totius ſacri Romani imperii et orbis chriſtiani intereſſe cenſemus, vt tam inſignibus meritis, et tot tantiſque maiorum imaginibus conſpicuum virum, dignis et ad omnem poſteritatem tranſmittendis honorum praerogatiuis condecoremus, eaſque pro ipſo et omnibus eius deſcendentibus tam renouemus quam confirmemus, quam, quantum eſt opus, de nouo concedamus.

Proinde et in primis motu proprio ex certa Noſtra ſcientia, animo bene deliberato et de caeſareae Noſtrae poteſtatis plenitudine, dictum IOSEPHVM ALEXANDRVM comitem Pruſſium in Iablonow IABLONOWSKI etc. eiuſque deſcendentes maſculos et feminas ex legitimo matrimonio natos, et omni poſthac tempore naſcituros, eodem naturalitatis et incolatus ſacri Romano Germanici imperii iure, quo Noſtri Vaſalli, ciues, ſubditi et patriotae dicti imperii gaudent et fruuntur, benigne donauimus et inſigniuimus, quemadmodum vigore praeſentium donamus et inſignimus adeo, vt, ipſos in omnibus pro natiuis Romano Teutonicis habendos eſſe, hiſce declaremus.

Volentes et edicto hoc Noſtro caeſareo firmiter ſtatuentes, vt ad omnia munera, officia, dignitates et praerogatiuas, quorum, quarumue Germanici naturales, ac reliqui Noſtri et ſacri Romani imperii ſubditi et vaſalli de iure, vel ex conſuetudine capaces aut participes ſunt, pariter admittantur, iiſdemque aeque gaudeant et fruantur. Deinde ſimiliter motu proprio, ex certa ſcientia, animo bene deliberato, accedente ſano et maturo aſſiſtentium Nobis principum procerumque ſacri Romani imperii conſilio, deque ea, qua per Dei gratiam fungimur, caeſareae auctoritatis poteſtatiſque plenitudine, praedictum IOSEPHVM ALEXANDRVM, comitem Pruſſium in Iablonow IABLONOWSKI, eiuſdemque deſcendentes vtriuſque ſexus ex legitimo matrimonio natos, et poſthac cum tempore naſcituros, veros ſacri Romani imperii barones, comites et principes fecimus, creauimus et nominauimus, atque ad ſublimem titulum et excelſam dignitatem ſacri Romani imperii principatus, eueximus et exaltauimus, aliorumque Noſtrorum et ſacri imperii principum numero, coetui et conſortio adſcripſimus et aggregauimus, prout tenore praeſentium facimus, creamus et nominamus, euehimus et exaltamus, adſcribimus et aggratiamus, volentes et edicto hoc Noſtro imperiali mandantes, vt dictus IOSEPHVS ALEXANDER comes Pruſſius in Iablonow IABLONOWSKI, ſacri Romani imperii princeps, eiuſdemque ex legitimo matrimonio deſcendentes vtriuſque ſexus nati et omni poſthac tempore naſcituri, tam in ſcriptis, quam viua voce, quotieſcunque eorum mentio facienda ſit, ſacri Romani

imperii principes nominentur et nuncupentur, amictum reliquis S. R. I. ducibus et principibus in ſignum praeeminentiae competentem, libere adhibeant, omnibuſque et ſingulis iuribus, honoribus, praerogatiuis, libertatibus, exemptionibus, priuilegiis et regalibus in iudicio et extra, in omnibus rebus, ſtatibus et cauſis, tam eccleſiaſticis quam profanis, omni tempore et loco, libere vtantur, fruantur et gaudeant, quibus alii Noſtri et S. R. I. principes per Romanum imperium, et vbicunque locorum ac terrarum, vtuntur, fruuntur et gaudent, aut de iure vel conſuetudine vti, frui et gaudere poſſunt.

Vt autem de propenſi Noſtri affectus exuberantia dicto IOSEPHO ALEXANDRO Noſtro et Sacri Romani imperii principi in Iablonow, IABLONOWSKI, eo luculentius conſtet, ipſi quoque, eiuſdemque ex legitimo matrimonio deſcendentibus vtriuſque ſexus natis et naſcituris, praedicatum *celſiſſimi*, nec non *dilectionis* et *conſanguinei chariſſimi*, benigne conceſſimus et elargiti ſumus, ſicut vigore praeſentium concedimus et elargimur. Volentes et hac in perpetuum valitura lege decernentes, vt iiſdem deinceps, tam ex Noſtra cancellaria imperiali aulica, quam ex reliquis ad Nos, Noſtroſque, in imperiali ſolio, aut ditionibus haereditariis, ſucceſſores, ſpectantibus cancellariis, dicti tituli *celſiſſimi*, nec non *dilectionis et conſanguinei chariſſimi*, omni poſthac tempore tribuantur.

Porro geſtata hactenus a ſaepe fato celſiſſimo Noſtro et S. R. I. principe in Iablonow IABLONOWSKI et maioribus eius, arma gentilitia, ex eadem beneuolentiae Noſtrae erga dilectionem ſuam, plenitudine, deque ea ſcientia et auctoritate, vt ſupra, non ſolum laudamus, approbamus et confirmamus, verum etiam pro ſacri Romani imperii principis ſtatu melioramus et exornamus, adeo vt eidem omnibuſque eius legitimis deſcendentibus vtriuſque ſexus natis et naſcituris (ſaluis caeteroquin perſonalibus ſeu accedentibus cuiuſcunque ordinis militariſue dignitatis inſignibus) ea in hunc qui ſequitur modum omni tempore geſtare et adhibere liceat, videlicet ſcutum militare erectum in quatuor partes diuiſum, ſecta tamen perpendiculariter ſuperiori parte ſiniſtra. In prima ſuperiori parte rubea, a dextris cernitur prope in cephalo crux argentea ſemialtera, Polonico idiomate *Turzyma* dicta, vtpote inſignia auita a principibus olim Pruſſis gentilibus haereditaria. In inferiori dextra etiam rubea, duae falces argenteae in memorata lingua *Wilcze koſſy* dictae, compactae quaſi circulum formant, quae arma appoſita per regem Poloniae CASIMIRVM circa annum 1030, conceſſa ob memoriam vnicae Maslai ducis filiae, quam rex praedictus in matrimonium Pruſſio, duci ſuo, elocauerat. Superioris partis ſiniſtrae vtrumque campum occupat iam dicta crux ſemialtera, falcis tergo inuerſo impoſita, et ſemiſolea loco alterius falcis ſubſtituta, quae figura, Polonice *Nagody* nuncupata, foedus nuptiale cum vnica haerede antiquae *Pobogorum* familiae denotat. In quarta demum parte inferiori ſiniſtra, caerulea, Polono idiomate, *zlotogolenczyk* dicta, conſpicitur pes curuatus, auro loricatus, vtpote arma augmentationis per regem Poloniae BOLESLAVM CRIVOVSTVM ſtrenuo quondam Duci SIBORIO, anno 1130, collata. Addimus in ſignum ſupra dictarum affinitatum parmulam, ſiue ſcutulum, in medio impoſitum argenteum, exhibens aquilam nigram, lingua rubea exerta, aliſque pedibus et cauda expanſis, cuius pectori inſita eſt areola in forma a ſiniſtris ouali, a dextris

tris

tris vero triangulariter propemodum cuſpidata, cuneis alternis argenteo caeruleis tincta. Dicto ſcutulo incumbit pileus ſeu mitra ducalis, ſcuto vero maiori impoſitae ſunt tres galeae argenteae torneariae auro clathratae et lemniſcis exornatae, quarum media, ſitu recto, coronata eſt pileo ducali, exſtante deſuper aquila imperiali, ex reliquis duabus ſitu ad inuicem obliquis, coronis aureis exornatis, dextra apicis loco oſtendit brachium auro loricatum, manu ſtrictum gladium tenens, ſiniſtra vero pedem loricatum ſcutalem. Laciniae defluentes a dextris argenteae et rubeae, a ſiniſtris vero aureae et caeruleae ſunt. Ex vtraque parte leones duo, interioribus pedibus ſcutum ſuſtinentes, recto capite, ore hiante et lingua rubea exerta caudaque ſupra tergum proiecta conſpiciuntur, et tandem ſcutum integrum redimitum eſt pallio ducali cum lemniſcis aureis et pileo, ſeu mitra ducali adhuc maiori, prout haec omnia, in hacce pagina propriis coloribus expreſſa, accuratius ante oculos ponuntur.

In Noſtra et S. R. I. ciuitate Francofurti ad Moenum, die XVI menſis Aprilis, Anno 1743, regnorum Noſtrorum et Bohemiae IIdo.

 CAROLVS, IMPERATOR.

IOANNES GEORGIVS a KÖNIGSFELD, mp.

Ad mandatum S. Caeſareae Maieſtatis proprium

CHRISTIANVS TEVBER. mp.

collationatum et regiſtratum ADESTOIK Viceregiſtrator mp.

Teſtimonium datum principi IABLONOVIO, a vicecancellario imperii, quod ei ſponte ſua, diploma principatus S. R. I. obtulerit CAROLVS VII imperator.

Sacrae caeſareae maieſtatis, CAROLI ſeptimi, Domini noſtri clementiſſimi, nomine, notum teſtatumque ſit tenore praeſentium, omnibus quorum intereſt, aut intereſſe poteſt, celſiſſimum IOSEPHVM ALEXANDRVM Pruſſium, principem in Iablonow et Lachowce IABLONOWSKI, Buſcenſis, Volpenſis, Korſunenſis, Zagoſtenſis, prouinciarum, gubernatorem, vi clementiſſimi decreti caeſarei, de decima ſexta Aprilis anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio, nec non, ſub eodem dato emanati et inregiſtrati diplomatis, in ampliſſima forma et via renouationis, confirmationis et creationis, a ſacra caeſarea maieſtate, motu proprio, et tam propinquae per maternum ſanguinis nexum affinitatis, quam latius ibidem recenſitorum plurium inſignium meritorum intuitu, in numerum S. R. I. principum receptum eſſe, cum prae-

dicato *celsissimi*, nec non *dilectionis consanguineique charissimi*, et expressa participatione omnium iurium, priuilegiorum et praerogatiuarum, quae natis ex Germanico sanguine, principibus, comitibus, baronibus, equitibus aut nobilibus imperii, de iure, vel consuetudine, competunt. In quorum fidem praesentes ex cancellaria imperiali aulica datae et consueto sigillo imperiali munitae sunt. Francofurti ad Moenum, die sexta mensis Iunii anno Domini 1744.

IOANNES GEORGIVS comes a CVNIGSFELD,
S. R. maiestatis minister conferentialis et vice-cancellarius imperii.
CHRISTIANVS TEVBER
S. caesar. maiest. consil. aulic. et referendarius intimus imperii.

Anno MDCCXLIV, die II Iunii, diploma eiusdem imperatoris pro eadem dignitate collatum STANISLAO VINCENTIO IABLONOVIO, palatino Rauensi, equiti aquilae albae et nuper S. Spiritus Galliae, fatis nunc iam functo, nec non eodem anno die V Augusti, obtinuit diploma pro eadem dignitate ab eodem imperatore IOANNES IABLONOVIVS, caesareus generalis mareschallus, capitaneus Czehrinensis, eques aurei velleris.

Sequuntur nunc *epistolae procerum Europae ad* IABLONOVIOS *et horum ad illos ordine chronologico*, simul reperitur sub hac inscriptione epistola CAROLI VII ad AVGVSTVM III, Poloniae regem, occasione tituli principis S. R. I. IABLONOVIO concessi, huius tenoris:

CAROLVS septimus etc.

Et sanguinis splendore, quo Nostrum non minus maternum genus ac alios Europae, sacrique Romani imperii, proceres attingit et suffulta connatis dotibus celebrium meritorum copia, adeo commendatum se Nobis reddidit magnificus sincere Nobis dilectus IOSEPHVS ALEXANDER in Polonia comes Prussius IABLONOWSKI, vt dignum eum censuerimus, quem in numerum principum S. R. I. benigne susceptum titulo celsissimi condecoremus. Quod cum *Maiestati Vestrae*, haud ingratum fore aliunde iam mente perceperimus, Nostrum in praesentia ducimus, non solum dictae promotionis notitiam *Maiestati Vestrae* peramanter impertiri, sed eidem quoque memorati principis dilectionem, et vlteriora eius benemerendi studia enixe commendare. *Maiestati Vestrae* persuasum cupimus, quidquid ad promouendos illius laudabiles conatus in eundem conferre *Maiestati Vestrae* placuerit, Nobis quoque gratissimum fore. Quod reliquum est etc.

Francofurti die XXIV Augusti, anno 1747.

Orationes Iablonouiorum deinde sequuntur tres, porro *testimonia scriptorum Polonorum tum et exoticorum de* IABLONOVIIS, *ordine alphabetico cognominum singulorum auctorum.* Hoc caput, omnium maximum, et

et integrum alphabetum continens, excipiunt *excerpta de celsissima Iablonouiorum domo ex epistolis historico familiaribus*, illustrissimi auctoris *patrui dilectissimi* ANDREAE CHRYSOSTOMI ZALVSKI, *episcopi Varmiensis et Sambiensis*, S. R. I. principis, Ducis Sielunensis, praepositi Plocensis, archicancellarii regni. IV. Volum. in folio, Brunsbergae a. 1702-11, editis. Sequitur nunc in historia Polona litteraria memoratu dignum caput, *scripta* IABLONOVIORVM exhibens, ex quo apparet IABLONOVIOS a longo tempore non maecenates solum, literarumque aestimatores, sed et scriptores doctissimos fuisse. Longum esset, omnium scriptorum Iablonouiorum hic mentionem facere, qui tempore de omnibus singulatim differemus. Principis autem IOSEPHI ALEXANDRI IABLONOVII, Palatini Nouogrodiensis, scripta, iam in III part. biblioth. Varsauiensis p. 244 etc. adduximus, ex his vero anecdotis quatuor adhuc opera inedita literatissimi nostri maecenatis memorabimus I, *Rod Xiążąt z Prussow* IABLONOWSKICH etc. hoc est: descriptio genealogica domus principum de Prussiis IABLONOVIORVM stemmatis NAGODA, seu Pruss tertio, ac decora celsissimae huius in Polonia domus, ex tabulariis publicis et priuatis desumpta. II, *Dwanascie* etc. h. e. XII orationes Ciceronis, Polona versione redditae stylo puro et a vitiosis vel a Latio vsurpatis locutionibus libero. III, *Dyariusz* etc. Diarium peregrinationis suae per Belgium, Angliam, Galliam, Sabaudiam et oras Italiae. IV, *Mappa Geographica Poloniae*, omnium accuratissima. Adhaerent huic mappae obseruationes variae circa eleuationem graduum. Cursus fluuiorum et fluminum accuratius, quam hucusque factum est, designantur. Orthographia genuina nominum propriorum a scriptoribus exteris male enunciatorum restituitur. Limites Poloniae curatius, quam vnquam factum est, indicantur. Accedunt in hac mappa effigies regum Poloniae, stemmata Heraldica palatinatuum, ichnographia vrbis Dantiscanae, armorum a veteribus Polonis vsitatorum diuersa genera, tum et itineraria praecipuarum Poloniae ciuitatum. Adducit literatissimus anecdotorum auctor nunc *scripta de* IABLONOVIIS *ex professo tractantia*, nec non *panegyricos* IABLONOVIIS *vel inscriptos*, *vel dicatos*.

Sequitur nunc caput quod vtilitatis causa integrum inseremus, nempe *hallucinationes*, *circa domum celsissimam Iablonouianam perpetratas a variis scriptoribus*, *ordine alphab. hic recensitis*.

I. ANONYMVS Polonus, *in* codice manu scripto, quem bibliotheca Zalusciana possidet, *de familiis nobilium Polonorum indigenatum Prussiae regio Polonae habentium*, ait, lineam familiae Prussorum de Wicholec in Prussia extinctam fuisse

in

in vltimo nato ex Dulska, sorore regni thesaurarii. Id quod corrigendum ex genealogia.

II. EVROPAE des ietzt herrschenden genealogischer Schauplatz, Vratislauiae 1724, in 8. p. 604. inter filios magni IABLONOVII ac filias, subticuit ALEXANDRVM, regni vexilliferum, ELISABETHAM, Ferdinando Ketlero, Duci Curlandiae desponsatam virginem, et HEDVIGEM Krasinsciam, palatinam Plocensem. Caeterum STANISLAVM, supremum castrorum regni metatorem, perperam nuncupat Boguslaum.

III. EVROPA (von) heutige christliche Souverainen, Vratislauiae 1698. in 8. pag. 581. auctor anonymus itidem praetermisit inter proles magni illius IABLONOVII, castellani Cracouiensis, recensere STANISLAVM, supremum metatorem regni, et praememoratas filias, Elisabetham et Heduigem. LESCINSCIAE vero nomen Annae non adiecit.

IV. GAVHEN im Adels Lexico Tom. II. pag. 1587. domum nostram IABLONOVIANAM perperam ait, in maioris Poloniae oris, Silesiae finitimis, propagatam, nomen suum a castello IABLONOW in maiori Polonia sito, mutuatam, et ex comitibus Zarembiis oriundam esse. Nam haec omnia dixit OKOLSCIVS de aliis IABLONOVIIS, non de nostris Prussiis. Caeterum Gauhenius ignorare videtur, auctorem libri, l'empire des Sarmates, esse principem Iosephum Alexandrum IABLONOVIVM, palatinum Nouogrodiensem.

Ibidem in articulo de Stanislao Iablonouio filius eius ALEXANDER, vexillifer regni perperam vocatur Boguslaus.

Ibidem IOANNES, palatinus Russiae, antea, non post, regni vexillifer, dicitur dignitate principatus S. R. I. a caesare condecoratus fuisse, id quod non ei, sed eius filiis et nepoti, palatino Nouogrodiensi, a CAROLO VII demum contigit. Eius consortis *Bethuniae* non Annae Mariae, sed IOHANNAE nomen fuit genuinum.

Torques aurei velleris non palatino Rauensi, equiti, S. Spiritus, at eius fratri IOANNI collatus est a rege Hispaniae.

Omisit hic GAVHEN alterum filium dictum IOANNEM, torquatum equitem aurei velleris, Feldmareschallum caesareum, grandem Hispaniae, tum et tertium DEMETRIVM, capitaneum Kowelensem, equitem palatinatus Rheni S. Huberti, nec non filiam, duci Ossolinio, equiti S. Spiritus et aquilae albae, magno aulae Lotharingicae magistro elocatam, CATHARINAM.

GAVHEN, (Io. Fridericus) in suo Lexico heroum et heroinarum Lipsiae 1716. edito, p. 808. in vita magni IABLONOVII, familiam eius perperam e maiori Polonia oriundam in medium affert.

Idem in eodem *Heldens Lexico*, Raphaelem LESCINIVM, regis STANISLAI, progenitorem IABLONOVIAE, consortis, perperam vocat, loco archithesaurarii, supremum stabuli regni praefectum. Legendum igitur *Schatzmeister* loco *Stallmeister*. Caetera sphalmata circa palatinum Russiae, quae alicubi in scriptis Germanicis irrepserunt, vti absurda et puta putaque figmenta et aniles fabellas, risu magis quam seria animaduersione excipiendas, mitto.

V. IOECHERI (D. C. G.) celeberrimi in Acad. Lips. historiarum professoris, gelehrtes Lexicon, sequentia Tom. IV. p. 2140. de Zaluscio, episcopo Varmiensi suppe-

ſuppeditat: A. 1708 wurde er endlich gezwungen, das groſe Siegel, welches er bishero aller Verſprechungen und Drohungen ungeachtet, nicht von ſich geben wollen, an den Woywoden von Reuſſen IABLONOWSKI, zu übergeben. Sed dictus Andreas Chryſoſtomus Zaluski ſigillum maius regni vſque ad vitae ſuae exitum tenuit, fruſtra obnitente rege STANISLAO.

VI. Lexici vniuerſalis auctor eundem errorem circa originem familiae IABLONOVIANAE, quem Gauhenius, commiſit.

Idem Lexicon in ſupplemento ſuo, Lipſiae 1740 edito, Tom. I. p. 706. perperam originem IABLONOVIORVM noſtrorum a comitibus ZAREMBIIS deducit, deinde IABLONOVIVM magnum, caſtellanum Craconienſem, archimareſchallum regni facit, ac demum duas filias ac tertium natum reticet: IOANNIS vero IABLONOVII, palatini Ruſſiae, ſilentio praeterit alterum filium IOANNEM, equitem aurei velleris, nec non vltimo genitum DEMETRIVM, capitaneum Kowelenſem, equitem S. Huberti, tum et alteram filiam CATHARINAM OSSOLINIAM, conſortem Maximiliani Franciſci ducis, equitis S. Spiritus, olim ſupremi theſaurarii, nunc ſupremi aulae Lotharingicae praefecti.

VII. Lexicon vniuerſale magnum (groſes vollſtändiges vniuerſal Lexicon) quod Lipſiae apud Zedlerum proſtat, Tom. XIV. p. 5. eoſdem, crambe bis cocta, repetiit errores, imo et auxit, dum Raphaelem Leſcinium, regis STANISLAI patrem, ſupremum ſtabuli regni praefectum vocat, cum potius architheſaurarium nuncupare debuiſſet.

VIII. MASSVET Hiſtoire des Rois de Pologne Tom. II. p. 150. hallucinatur, dum inter candidatos ad regnum poſt obitum regis IOANNIS III, Opalinium, Lubomirio et Iablonouio iungit. De Opalinio enim ne gry quidem auditum eſt vnquam.

IX. MORERY (Ludouicus) ſeu potius eius continuator, in noua editione Belgica Lexici hiſtorici a. 1740. Tomo V. p. I. eaſdem omiſſiones habet, circa prolem magni IABLONOVII, quas ſupra in Lexico vniuerſali Germanico notauimus.

X. NIESIECKI (Caſpar S. I.) Polonus, Tomo II. pag. 386. ita ſupplendus eſt:

MARIANNA, filia palatini Ruſſiae, nupſit duci de la Tremoville Chatelleraut, qui iam nunc Dux Talmontius audit, CATHARINA vero duci Oſſolinio;

STANISLAVS, capitaneus Bialocerkieuienſis, iam palatinus Rauenſis etc. nunc fatis functus. Filia eius Marianna nupſit Ioſepho principi Lubomirio, ſubdapifero Lithuaniae, qui hoc anno, menſe Auguſto, occubuit. Alter filius palatini Ruſſiae IOANNES Caietanus, torque aurei velleris, tituloque GRANDIS, a rege Hiſpaniae cohoneſtatus eſt, ab Imperatore vero Carolo VII, dignitate S. R. I. principis et Feldmareſchalli caeſarei. Mortua prima vxore, nuper ſociauit ſibi filiam SAPIEHAE, palatini Podlachiae, patruelis ſui Ioſephi Alexandri, palatini Nouogrodienſis, priuignam. DEMETRIVS, itidem viduus factus, accepit in thori conſortem MYCIELSKAM, filiam olim caſtellani Poſnanienſis, equitis aquilae albae, ex Konarzewſcia, filia primi matrimonii ducis Viſniouieciae, caſtellanae Cracouienſis. IOSEPHVS ALEXANDER, palatinus Nouogrodienſis, conſociauit ſibi Carolinam RADIVILIAM, Caroli Sapiehae, praefecti armamentarii Lituaniae nominati ad palati-

natum Podlachiae, viduam, hodierni palatini Vilnensis et supremi ducis exercitus Lituaniae, germanam.

IOANNES comes WIELOPOLSKI, cui cessit Marianna, iam nunc palatinus Sendomiriensis, torque aureo albae aquilae exornatus. HEDVIGIS vero nuper elocata est Woronicio, castellano Kiiouiensi, equiti torquato.

XI. RANFT (Michael) im genealogischen Archiuario T. II. pag. 640. quae de ducissa Chatelleraut IABLONOVIA affert, falsa esse certo scio. IABLONOVIVS publica custodia detentus Lintzii non solum non est germanus ducissae de chatelleraut, sed et ad aliam stirpem spectat.

XII. SEYLER (Georg Daniel) in vita regis Stanislai, Holmiae 1737. in 8. edita Germanice p. 15. auum maternum magni IABLONOVII vocat Ducem OSTROROGIVM perperam, confundendo Duces OSTROGIOS cum comitibus OSTROROGIIS.

XIII. VOLTAIRE, sub nomine eius edita Germanice vita AVGVSTI II. regis Poloniae, Francofurti et Lipsiae 1734, in 8. p. 29. IABLONOVIVM palatinum tum Volhyniae, post Russiae, regem AVGVSTVM, nomine statuum, in confiniis Silesiae salutantem perperam *supremum ducem exercitus* vocat, quae dignitas patris eius, non illius, fuit propria.

Tandem *connexio celsissimae* PRVSSIIS IABLONOVIORVM *domus cum praecipuis et insignibus magni Duc. Lit. familiis in persona* IOSEPHI ALEXANDRI IABLONOVII, *S.R.I. principis etc. Palatini Nouogrodiensis,* cui adiectae quinque tabulae genealogicae in forma regia, in vnum conglutinatae, nec non *textus idiomatum exterorum in hoc opere allegatorum Latine redditi,* opus hoc claudunt. Anecdota haec magni sunt vsus in Polonia, quae exteris etiam in rebus politicis, atque in primis genealogicis, nec non literariis Polonis lumen praeferre possunt. Et licet illustrissimus auctor multum operae ac laboris in iis conficiendis consumserit, merita tamen eius in rempublicam litterariam insignia, ex solo hoc opere non diiudicanda, qui multis negotiis publicis obrutus tempore ad omnia accuratissime disponenda caruit, ideoque, si quaedam ad summam accurationem haud digesta viderentur, non celeberrimo auctori, sed aliis rebus circumstantibus, imputanda sunt, multo minus errata typographica haud rara, ei attribuenda. Haec autem non obstant vtilitati, quam inde reuera haurire possimus, et optandum sane esset, vt eiusmodi anecdota aliarum etiam illustrium in Polonia familiarum in lucem prodirent, ex quibus non parum in Polonam redundaret historiam emolumenti. Illustrissimus auctor, qui parem pro incremento scientiarum in Polonia laborantem non habet, significauit mihi, se tempore historiam etiam illustrissimae domus ZALVSCIANAE editurum, quae illustris in Polonia domus magnis in republica viris maecenatibusque nunquam caruit. Finimus, omnia fausta felicia-

feliciaque celsissimae domui IABLONOVIANAE, eiusque summo nostris temporibus decori, musarum Polonarum deliciis, palatino Nouogrodiensi, adprecando, quem grauissimum regni Senatorem, consiliis sapientissimis abundantem et magnum maecenatem, ipsis musis Polonis scriptis praelucentem, Deus ter optimus in reipublicae et scientiarum emolumentum quam diutissime integrum tueri, et ad seros vsque annos sanum ac saluum seruare velit.

III.

Versuche und Abhandlungen der Naturforschenden Gesellschafft in Dantzig etc.

hoc est:

Experimenta et dissertationes Societatis Gedanensis naturam scrutantis.

Tomus I. Gedani 1747. typis Schreiberianis, tria alphab. et 6. pl. continens, vna cum octo tabulis in aes incisis, in 4ta maiori forma.

Nil magis promouet, amplificat, augetque scientias, quam eruditorum societates, eiusmodi ex viris consistentes, qui illis pares sint, simulque nobilissimum illud propositum, generi humano inseruiendi, teneant. Quemadmodum extra omne dubium positum est, homines sola ratione a caeteris animalibus distingui, interque ea omnia ob illam eminere, ita verum, summe excultam vtilibus scientiis rationem, ingeniumque excellens, homines, his dotibus ornatos, iterum ab aliis indoctis hominibus secernere, illorumque prae his existimationi seruire. Non enim nascendi conditio, quae omnibus principibus cum vilissimo homine, inter recrementa matris incrementa capiente, communis est, non magnae diuitiae, quibuscum caeca fortuna saepius aeque rudem quam prudentem hominem auget, et caducae sunt, non magni honorum tituli, quibus et ratione destituti insigniri possunt, sed sola tantum intelligentia, doctrina et virtus hominum existimationi internae prae aliis consulit. Ad hanc autem, vbi simul elata nascendi conditio, diuitiae, honoresque in republica accedant, apicem felicitatis humanae attactum esse, nemo dubitat. Nulla autem scientia est nobilior, sublimior, pulcriorque, quam illa ipsa, quae naturam rerum scrutatur. Nulla amoenior atque vtilior, quam ea, quae naturam indagare, eaque vti, docet. Aliae scientiae, quae in imaginatione hominum eorumque arbitraria dispositione, saepius in priuato tantum principum commodo fundamenta ponunt, sunt quidem alicuius pretii, quia

iis etiam indigemus, illae autem ſcientiae, quas ipſe rerum conditor in omnium pulcherrimo naturae libro ſuo quaſi digito exarauit, inaeſtimabilis ſunt pretii. Quid enim homine dignius, quam rerum cognoſcere cauſas? quid generi humano vtilius, quam rebus creatis, quarum Deus optimus vſumfructum nobis conceſſit, recte commodeque vti? Quam laudabile atque honorificum eſt, vt Gedanum, ciuitatum Pruſſiae regio Polonae regina, coronae Polonae margarita, eiuſmodi eruditorum virorum coetum, ſocietatem naturam ſcrutantem, intra moenia ſua contineat, quae experimenta atque diſſertationes ſuas cum orbe literato communicet! Vtinam plures eiuſmodi ſcientiarum ſocietates in Polonia in literarum augmentum reperirentur. Ad hoc exteri quidam literati forte dicent: immo vero et Varſauiae eſt nunc ſcientiarum ſocietas, prout legimus audiuimuſque, quae mox cum aliis ſocietatibus eruditis de gloria certabit. Ad hunc rumorem, vtinam non falſum, refutandum ſequentia certo dicere poſſumus. Nos Varſauiae degentes, ſocietatem ſcientiarum ibi reperiri, plane ignoramus. Illuſtriſſimus regni referendarius, comes ZALVSCIVS, ſemel quidem congregationem eruditorum quorundam Varſauienſium inſtituit, in qua varia ſcripta ac poemata variis in linguis lecta fuere, hac congregatione autem abſoluta non amplius quaeſtio de ſcientiarum Academia fuit, neque eius auctori in mentem venit, vt pro ſcientiarum ſocietatis initio habeatur. Suſpicamur etiam, difficile fore, vt vnquam Varſauiae ſcientiarum ſocietas fundetur, niſi prius ſereniſſimus rex et reſpublica certa ſtipendia pro ſociis in perpetuum conſtituant. Redeamus ad ſocietatem noſtram Gedanenſem. Primam huius ideam mente concepit doctus medicus ISRAEL CONRADT, phyſicus Gedanenſis, anno 1670, qui caeteros eruditos Gedanenſes ad inſtituendam ſcientiarum ſocietatem excitauit, prout id ex diſſertatione de frigoris natura et effectibus, typis et ſumtibus monaſterii Oliuenſis, 1677, apparet. Viuo autem eo deſiderium eius non fuit expletum. Anno 1720 docti quidam viri ſocietatem iniebant, quae per ſeptem durabat annos. Tandem verſus finem anni 1742 alia ſcientiarum ſocietas conflabatur, quae, acquiſito ſplendido inſtrumentorum phyſicorum apparatu, die II Ianuarii Anno 1743 congreſſus ſuos inſtituit, eoſque hactenus ſingulis hebdomadibus continuauit. Huic ſocietati praeſentes XV diſſertationes atque experimenta debemus, de quibus omnibus, quid contineant, dicemus, vnam ſpeciminis loco omni ex parte latinitate donatam inſerentes. Prima eſt

Accurata deſcriptio nouae perfectioriſque librae, ope cuius non ſolum aequalia, ſed et inaequalia pondera, exacte determinari poſſunt, datum etiam

pondus in alia minora pondera secundum arbitrariam proportionem diuidi possit. Auctore HENRICO KÜHN, I. V. D. et matheseos professore Gedani.

Celeberrimus D. KÜHN, qui in algebra multos nostris temporibus excellit, in reliquis etiam scientiis mathematicis, vt solide doctus, ita et diligens est, bene elaboratam hic nobis suppeditauit dissertationem, qui omnibus mathesin intelligentibus placebit. Nil magis in vita humana necessarium, vtiliusque, quam libra, cum in physico tum morali sensu, et quamuis haec docta, vt ita dicam, libra, in vita communi vtilitatem non habeat, eruditis tamen magno vsui erit, qui varia experimenta, vbi summa librarum accuratio requiritur, instituant. Auctor omnes veritates, quae ad explicationem librae faciunt, praemisit, et perspicue demonstrauit. Proprie tres tantum sunt librarum species. Punctum nempe librae mobile, est vel in ipso iugo, horizonti parallelo, vel supra, vel infra illud. Celeberrimi auctoris libra, longe quam communis perfectior, multis prae caeteris gaudet commodis. Nempe 1) mobilitas librae cito sistitur, 2) grauitas neque iugi, neque lingulae, neque lancium, ponderum calculum, dato superpondio aequalium, difficilem reddit. 3) frictio circa axem valde exigua est. 4) ex dato superpondio vera ponderum inaequalium proportio facile inueniri potest. Haec libra ita distincte et accurate descripta est, vt idoneus atque ingeniosus mechanicus iuuante mathematico facile eam elaborare possit. Compendium huius librae in parallelepipedo rectangulo consistit, in quo centrum grauitatis cum centro magnitudinis congruit, et sic iugum materiale in staticum permutatur. Iugum ex vtraque parte variis in locis perforatum est, ita vt puncta, vbi pondera appenduntur, sexies mutari possint, et sic vnum iugum septem libras diuersas subministret.

Secunda, *Disquisitio experimenti* L. PH. THVMMIGII *de conseruatione florum per aliquot annos, auctore* IACOBO THEODORO KLEIN, *primo ciuitatis Gedanensis Secretario, regiae Societ. scientiarum Londin. Socio.*

Dominus KLEIN, variis experimentis scriptisque de historia naturali et physica bene meritus, diligenter hic inquirit in BOECKLERI artificium, qua ratione flores per aliquot annos conseruari possint, quod in schola sua domestica et campestri (Haus- und Feldschule) class. 29, p. 575, suppeditauit, idque LVDOVICVS PHILIPPVS THVMMIGIVS, in parte tertia tentaminum explicationis phenomenorum naturalium memoria dignorum (Versuche einer gründlichen Erläuterung der merckwürdigsten Begebenheiten in der Natur) exhibuit. Boeckleri artificium, flores conseruare, in hoc consistit, vt ii in arena pura et sicca abscondantur. THVM-

MIGIVS causam, quod hoc modo flores conseruentur, de impedita eorum transspiratione explicat, dominus KLEIN vero demonstrat, arenam florum transspirationem impedire haud posse, quia in interstitiis arenae granulorum aer contentus, qui aeri in floribus insito locum exeundi relinquit. Varia etiam ipse auctor instituit experimenta, qui artificium Boeckleria-num falsum esse deprehendit. Colores quidem seruati, flores autem sicci fuere, amisso odore. De Boecklero auctor suspicatur, forte in mentem ei non venisse, vt praescripta methodo flores recentes cum odore seruari possint. Thummigius igitur de re quadam scripsit, quam ipse antea haud expertus est, id quod non imminuendae gloriae eius bene meritae causa dicit auctor. Summatim Boeckleri artificium hunc vsum habet, vt flores, non tamen omnes, cum hyacintho enim plane non succedit, cum coloribus melius in arena, quam extra eam sicci seruari possint, id quod ex auctoris sententia inde venit, quia flores tardius quidem in arena sed suauius exsiccantur. E contrario si in aere aperto, vel intra papyrum exsiccari debeant, ob vehementem transspirationem mutantur, vel per violentam translationem vesicularum sub prelo, colores simul cum humiditate in papyrum dimittunt. Arena ergo possumus vti, vbi in hortos siccos eiusmodi flores et herbae inferendi, quorum colores sub prelo non seruantur, vel vbi siccis floribus rerum naturalium artificialiumque conclauia exornare velimus. Recentes autem flores, quamdiu est hyems, mediantibus aedificiis diu nodtuque temperate calefactis, et phialis Anglicis habere possumus. Tandem dictum auctoris, quod ad physiologiam, vt ita dicamus, plantarum pertineat, nobis placuit, *vt flos*, inquit, *non transspiret, et tamen recens maneat odorusque, idem mihi videtur esse, ac si quis dicat, vt homo non transspirare et tamen vegetus et sanus esse possit.*

Tertia: *Comparatio mensurarum ponderumque Gedanensium, cum iis, quae Parisiis et Londini apud Societates scientiarum in vsu sunt, auctore M.* MICHAELE CHRISTOPHORO HANOV, *philos. Prof. et bibliothecario Gedani.*

Quam necessarium in Polonia est, Gedanensium scire mensuras, tam vtile pro geometris Polonis erit, si eorum comparationem cum iis, quae Parisiis et Londini in vsu sunt, haud ignorent, vel statim inuenire possint. In vsum igitur eorum hic mensuras longitudinum, vini, cereuisiae frumentique adiiciemus, vna cum ponderibus. Pedi Londinensi solent 1350 scrupuli Parisienses assignari, ideoque pes Gedanensis se habet ad Anglicanum vt 1272 ad 1350. Pes Parisiensis diuiditur in 12 digitos, digitus in 12 lineas, linea in 10 scrupulos. Pes Londinensis itidem in 12 digitos diuiditur,

ditur, ſed digitus in 10 lineas, linea in 10 ſcrupulos. Sex pedes Pariſienſes efficiunt orgyiam (toiſe), et $2\frac{2}{3}$ orgyiae, perticam (perche). Gallicum milliare continet 2000 orgyias circa Pariſios, milliare autem Anglicanum pro 5000 pedibus Pariſienſibus computatur, et ſic milliare Anglicanum ad Gallicum ſe habet vt 5 ad 6.

Gedani vlna continet duos pedes, orgyia ſex pedes, pertica quindecim pedes, reſtis (ein Seil) decem perticas, pertica quadrata 225 pedes quadratos. Iugerum minus (ein Morgen) 300 perticas quadratas. Iugerum Polonum (ein Polniſcher Hacken) 20 iugera minora, iugerum maius (eine Hube oder Hufe) 30 iugera minora. Milliare autem Boruſſicum aequale Germanico, continens 1800 perticas ſeu 27000 pedes. Cum autem 27000 pedes Gedanenſes faciant 23850 pedes Pariſienſes, manifeſtum eſt, milliare Gallicum et Anglicanum quartam milliaris Boruſſici partem efficere. Dimidia menſura cereuiſiae Gedanenſis (der Dantziger Bierhalbe) aqua repleta, facit duas libras Gedanenſes cum $20\frac{1}{4}$ Semiunciis, minus 9 granis, hoc eſt, 21525 grana Pariſienſia, quae conſtituunt 58 digitos cubicos Pariſienſes. Gedanenſis dimidia menſura lactis (der Milchhalbe) aqua repleta facit libram vnam $30\frac{7}{8}$ ſemiuncias, vel 42 digitos cubicos Pariſienſes. Dimidia menſura vini (der Weinhalbe) aqua repleta facit libram vnam, 31 ſemiuncias, vnam cum dimidia drachmam, et 16 grana, hoc eſt, 43 digitos cubicos Pariſienſes. Menſura integra igitur vini (der Stauf Wein) facit 86 digitos cubicos cum 474 lineis cubicis.

Cadus cereuiſiae debet 96 menſuras (Staufe) continere, ideoque dimidius cadus (eine halbe Tonne) 48, quarta pars cadi 24 menſuras continet. Menſura diuiditur in dimidiam, quartam et octauam partem. Quarta pars menſurae cereuiſiae (das Bierquartier) facit $28\frac{1}{2}$ digitos cubicos Pariſienſes.

Vini Gallici dolium magnum (ein Stückfaſs) continet quinque dolia minora (5 Oxhoofte) dolium minus autem ſic dictas ſex ancoras (Anker) vel 165 menſuras (Staufe). Ancora ſic dicta, ſeu cadus dimidius (ein halb Antaal) facit $27\frac{1}{2}$ menſuras (Staufe). Plauſtrum vini Rhenani, (ein Fuder) capit ſex amphoras duplas (Ohme) amphora dupla (ein Ohm) 110 menſuras (Staufe). Vinum Hiſpanicum in doliis apportatur, quae *Piepen* appellantur, quorum vnum $2\frac{1}{2}$ amphoras duplas, ſeu 275 menſuras (Staufe) continet. Menſura vero vini Gedani habet ſe ad quartam Pariſiis, vt $86\frac{1}{2}$ ad $94\frac{4}{7}$, et ad dimidiam vini menſuram Londini, (Weingallon) vt $101\frac{447}{1000}$ ad $115\frac{1}{2}$. Ideo menſura vini Londini (der Weingallon) duplae menſurae (Doppelſtauf) fere aequalis eſt.

Quod

Quod frumenti mensuram Gedanensem attinet, mensura communis *Last* dicta, quod verbum *molem* significat, 60 modios continet, quorum vnusquisque 81 ℔ ponderare debet. Spatium autem quod implet, ad 95 pedes cubicos Parisienses cum 1574 digitis cubicis. Sic dicta autem sacci mensura (eine Sacklast) qua pistores vtuntur, continet 80 modios, qui 6480 ℔ ponderant. Mensura frumenti Gedanensis, se habet ad Anglicam, vt $95\frac{5}{8}$ ad $83\frac{1}{3}$ circiter, hoc est, Anglica frumenti mensura (die Englische Last) adhuc $7\frac{2}{3}$ modiis Gedanensibus minor, quam Gedanensis frumenti mensura communis.

Vncia Gedani facit $510\frac{1}{2}$ grana Parisiensia, et libra Gedanensis 8168 grana Parisiensia. Libra autem Gedanensis se habet ad libram medicam vt 6986:5760. Cum 6986 grana ponderis medici libram Gedanensem faciant, quae Parisiis 8172 grana efficit, sequitur libram medicam 6738 grana Parisiensia facere. Vulgo octo librae Parisienses pro nouem Gedanensibus numerantur. Ad libram Anglicam grauiorem, se habet Gedanensis libra, vt 8172:8533 et ad libram Anglicam pro argento vt 8172:7021. Vncia pro argento Gedani octaua parte minor, quam communis vncia est. Gedanensis autem libra numularia (die Mark) $79\frac{1}{4}$ granis grauior quam Anglica, et 1013 granis leuior, quam Parisiensis.

Quod superest, optamus, vt celeberrimus Prof. HANOV in maiorem vsum has mensurarum ponderumque proportiones, in tabulas redigeret, ita vt eorum rationes sub oculos statim cadant. Hoc modo omnia vno intuitu et magis perspicue perspici possent. Interim autem et pro hoc vtili labore gratias debitas agimus.

Quarta: *Pisces neque mutos neque surdos esse, data occasione epistolae in bibliotheca Gallica* (XXXVII. Tom. II part. p. 273) *de auditu piscium: in qua auctor anonymus defendit: pisces omnes surdos esse, cum omnes muti sint, auctore* IACOBO THEODORO KLEIN.

Anonymus hanc propositionem, omnes pisces mutos esse, sine argumentis defendere voluit, et inde conclusit, eos omnes etiam esse surdos. Vtrumque auctor, cum argumentis, tum exemplis, refutat. Physeteres sunt pisces (die Wasserblaser) qui omnibus organis edendi sonum sunt instructi, et omnes nautae in Groenlandiam nauigantes non ignorant, horum piscium mugitum e longinquo etiam audiri posse. Adagium igitur, *mutus vt piscis*, cui tantam anonymus dedit fidem, iam non caret exceptione. Reliqua piscium cartilaginosorum genera, organis pulmonibus similibus gaudent, et sic eorum naturae proprium eumque diuersum sonum edere etiam possunt, et huc piscium poppysmus (das Schmatzen) referendus est.

Varii alii piſces, vt Lamia, (der Hundskopf) ſus marinus, piſcis Haiul, gallus marinus etc. diuerſos edunt ſonos. Etiamſi piſces muti eſſent, id quod tamen experientia refutat, inde tamen non inferendum, vt hanc ob cauſam etiam ſurdi eſſe debeant. Licet piſces auribus externis careant, hoc non obſtante audire nihilominus poſſunt. Ranae, ſerpentes, crocodili, lacertae auribus carent, et tamen audiunt, meatu nempe auditorio gaudent, vt piſces. Celeberrimus auctor in opere ſuo de piſcibus Miſſu I ad anatom. Phocaenae etiam meatum auditorium monſtrauit, et veriſimile eſt, lapides, qui in capitibus piſcium cartilaginoſorum reperiuntur, ad organa auditus pertinere. Si piſces habeant meatus auditorios, vt manifeſtum eſt, omnino etiam ſub aqua audire debent, quia nil fruſtra facit natura. Auctoris contradictor male ratiocinatus eſt, dicens, piſces ſub aqua ideo ſurdos eſſe, quia ſonus aquam non penetrat. Vrinatores de contrario melius ſunt conuicti, inſuper auctor etiam experimentis doctiſſimi abbatis NOLLETII comprobauit, ſonum ſub aqua percipi. Vtrum vero piſces tam acuto gaudeant auditu, vt Dominus Secretarius KLEIN ſibi perſuadet, in medio relinquimus. Tandem vellemus, vt doctiſſimus auctor, diligentiſſimus naturae ſcrutator, mentis cogitata non eloquutus fuiſſet hoc vnico tantum in loco, dicens, *vnum idemque mihi eſſet, ſi quis etiam diceret, noctuam videre noctu per radios luminis, interdiu in magnis oculis collectos, tam diu ac radii ſufficiant.* Qui doctrinam de viſu, in Optica demonſtratam, recordatur, et veritatem, oculum non aliter, niſi per radios luminis nunc incidentes, videre poſſe, bene cognitam comprehenſamque animo habet, ei hoc vnum idemque eſſe nullo modo poteſt.

De pluribus in ſequenti trimeſtri dicemus his diſſertationibus atque experimentis, cum nunc locus deficiat.

IV.

Enarrationes certae de Academia Cracouienſi, adiectis tabulis publicis, continuatio prima.

De academia Cracouienſi certas enarrationes ſuppeditare in quarta bibliothecae parte Varſauienſis coepimus, vbi de erectione illius egimus, varias tabulas publicas adiicientes. Continuamus nunc laborem noſtrum, apponendo literas Sigiſmundi III, regis Poloniae, quarum vi praepoſitura S. Floriani cum academia Cracouienſi in vnum corpus redigitur. Sunt autem illae tenoris ſequentis:

In nomine Domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam.

SIGISMVNDVS III, Rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniaeque, nec non regni Sueciae proximus haeres et futurus rex.

Significamus praeſentibus literis Noſtris, quorum intereſt vniuerſis et ſingulis. Quod cum academiam Cracouienſem ac omnes, qui in ea honeſtiſſima ſtudia tum profitentur, tum diſcunt, ſingulari beneuolentia Noſtra complectamur, tum vero adnitendum etiam Nobis eſſe intelligimus, vt eam ipſam, ac qui nomina in ea dederunt, et praecipuo patrocinio tueamur et benignitate foueamus, et denique munificentia liberalitateque conſeruemus. Eſt enim Noſtri officii, et monumentis hoc DD. deceſſorum Noſtrorum, e quibus ſanguinem duximus, perpetua cura tueri et conſeruare, et vero rectiſſime in eo operam beneficentiamque Nos eſſe collocaturos videmus, ex quo ſumma in rempublicam ornamenta redundant. Ea enim nulla re ſplendet magis et effloreſcit, quam ciuium virtute et doctrina: vtrumque autem hoc ex illa praeclara et virtutis et ſapientiae officina promanat. Nam qui animum liberalem et ingenuum honeſtiſſimis diſciplinis a prima aetate imbuit et expoliuit, is deinceps et humanitate quadam ſingulari et ſumma conſtantia officium in vita colit, et ad virtutem veramque gloriam ſtudio fertur incitato, et multa variarum rerum cognitione reipublicae omni illius tempore praeclare deſeruit. Tales itaque ciues cum permultos ſuperioribus temporibus academia Cracouienſis ediderit, atque etiamnum foecundo partu procreet, omnibus et Noſtris et reipublicae beneficiis viciſſim iure optimo eſt beniginiſſima. Idem cum DD. praedeceſſores Noſtri reges, SIGISMVNDVS AVGVSTVS, auunculus, et STEPHANVS, cui, ita Deo volente, ſucceſſimus, animaduerterent, quo viris in academia illa magno ſuo labore, magno publico commodo docentibus, qui in ea difficili laborioſaque prouincia pertenuibus inſtructi reditibus, inimica omnibus praeclaris conatibus inopia, in eo curriculo docendi retardantur, aliquid ſubſidii conſtituerent, praepoſituram S. Floriani in ſuburbio Cracouienſi, Clepardia, omneſque illius fructus ad vniuerſitatis illius corpus adiungendam, ac illi cum omnibus fructibus perpetuo tradendam cenſuerunt, eamque rem vterque diplomatibus authenticis confirmarunt. Quocirca nos non tantum praedeceſſorum Noſtrorum exemplum ſequuti, verum etiam Noſtra ſponte ac ipſorum etiam nuntiorum terreſtrium impulſu per generoſum MARTINVM CHELMSKI vexilliferum Cracouienſem, ac ex illo palatinatu nuntium, eam iſtius praepoſiturae S. Floriani incorporationem, auctoritate hac totius reipublicae, ex conſenſu, tum nuntiorum terreſtrium, tum vniuerſi ſenatus, noſtraque certa voluntate profecta, approbandam, confirmandam, ratificandamque hiſce literis Noſtris putauimus. Ac in vim rei perpetuae et immutabilis, vigore huius conuentus approbamus, confirmamus et ratificamus, et eandem incorporationem iiſdem omnibus punctis clauſulis et conditionibus, quibus a DD. praedeceſſoribus Noſtris fuit inſtituta, integram et inuiolatam perpetuo volumus permanere. In cuius rei fidem, praeſentes manu Noſtra ſubſcriptas ſigillo regni Noſtri conſignari iuſſimus. Datum Varſauiae in conuentione regni generali, die duodecima menſis Aprilis, anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo, regni vero Noſtri anno tertio, praeſentibus illuſtriſſimis reuerendiſſimis, illuſtribus, magnificis, generoſis ac venerabilibus STANISLAO KARNKOWSKI, archiepiſcopo Gneſnenſi, legato nato et regni primate. HIERONYMO a ROZDRAZEW, Vladislauienſi et Pomeraniae, BERNARDO MACIEIOWSKI, Luceorienſi, ALBERTO BARANOWSKI, Praemislienſi et regni Noſtri Vicecancellario, LAVRENTIO GOSLICKI, Chelmenſi, IOSEPHO WERESZCZYNSKI, Kiiouienſi, Dei gratia epiſcopis, et caeteris.

Caput

Caput secundum, priuilegia et leges regni, seu constitutiones, academiam Cracouiensem attinentes, continens.

Priuilegia varia academiam Cracouiensem attinentia, iam in capite de erectione academiae huius, dicto loco adduximus, nunc autem sequuntur quaedam singularia, quorum primum ALEXANDRI, regis Poloni, anno 1502 feria quinta ante festum S. Georgii, memoria dignum, et sic incipit:

Quia animo feruido cupimus, vt veneranda et egregia doctorum et magistrorum ac suppositorum generalis studii Cracouiensis congregatio vniuersalis in primis potissimum augmento laudis diuinae, ac demum incremento ac tutamento sacrae orthodoxae fidei catholicae per diuos praedecessores Nostros, reges Poloniae dotata et erecta, cuius patronus et defensor principalis existimus sub felici tempore Nostri regiminis regii in sacris effectibus studiorum et doctrinarum tanto amplius crescere possit, quo se propensius praerogatiuarum et libertatum fauoribus ex mera liberalitate Nostra reipublicaeque profluentibus cognouerit suffultam etc.

STEPHANVS BATOREVS in rescripto suo de dato Thorunii in conuentu regni generali, anno 1576 die XIII Nouembris sic orditur:

Vniuersitatem Cracouiensem honestissimorum in omni genere studiorum matrem et procreatricem omnibus in hoc regno hominibus merito charissimam, Nos quoque singulari Nostra beneuolentia et regia benignitate complectimur. Cumque huius quidem vniuersitatis commodis omnes consulere debeant, ex qua velut ex quodam clarissimo virtutum domicilio praeclari ciues et huic reipublicae vtiles prodeant etc.

Tandem auctor noster et priuilegii eiusdem STEPHANI BATOREI initium adiicit, quod praeposituram S. Floriani attinet, et in quo academia Cracouiensis pars reipublicae appellatur. Omnium autem priuilegiorum nobilissimum plane omissum est, quod huius tenoris:

Priuilegium respectu nobilitatis, doctoribus Academiae Cracouiensis a SIGISMVNDO, *rege Poloniae, datum, ex bibliotheca Acad. Cracou. desumtum.*

SIGISMVNDVS, Dei gratia, rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masouiaeque dominus et haeres.

Significamus tenore praesentium, quibus expedit, vniuersis. Quia grata habentes vniuersitatis scholae Nostrae Cracouiensis merita, quibus regnum nostrum in dies magis ac magis illustratur, cum honestis literarum studiis ab eiusdem gymnasii Nostri doctoribus iuuentus erudita, tam ad pacis, quam ad belli maturescit consilium, indeque prodeunt cultus diuini et reipublicae huius acerrimi defensores et propugnatores, et populus, Nostro regimini a maiestate diuina subiectus, ad laudem Dei omnipotentis, ecclesiae incrementum, patriae charissimae decus et gloriam, sublata de medio ignorantiae ciuitate, in omni doctrina et scientia eruditus cernitur. Vt tanta haec huius scholae erga Nos regnumque Nostrum merita non maneant irremunerata, Serenissimi VLADISLAI IAGELLONIS, aui et antecessoris Nostri, regis gloriosissimi, vestigiis inhaerentes, omnes doctores studii praefati, sacram theologiam, ius canonicum, medicinam, leges, aliasque honestas scientias et artes liberales profitentes, nouis fauoribus et gratiis augere volumus, quo eos ad vlterius de Nobis regno-

regnoque Noſtro benemerendi ſtudium tali beneuolentiae Noſtrae teſtificatione accendamus. Proprio itaque motu Noſtro praefata merita attendentes, quae vnicuique ſecundum iuſtitiam pari gratia remunerare debemus, de praelatorum baronumque Noſtrorum conſilio et aſſenſu, praeſenti hoc Noſtro diplomate ſtatuimus, perpetuis deinceps temporibus et in aeuum ab omnibus, cuiuſcunque ſtatus, conditionis, hominibus, inuiolabiliter obſeruandum, quod Doctores praefati et profeſſores actu legentes, etiamſi non ex nobilibus regni Poloniae indigenis parentibus progeniti fuerint, ad quaſuis in regno dominiiſque Noſtris dignitates, tanquam emeriti valeant aſcendere, nulliuſque omnino dignitatis, muneris, vel officii, tam ſpiritualis, quam ſaecularis, ſenatorii et equeſtris, exiſtant inhabiles. Satius enim eſt, geſtis propriis florere, quam maiorum opinione vti. Nec maior nobilitas eſt ea, quae propriis virtutibus comparatur. Bona quaeuis terreſtria valeant acquirere et poſſidere, ac omnibus libertatibus, honoribus et priuilegiis, quibus nobiles regni Noſtri indigenae gaudent, ipſi quoque gaudeant et fruantur. Quod etiam ad eos omnes extendimus, qui ſcholae praefatae rectoris generalis ordinatione, ad eccleſias, vel in aliis locis quibuſuis in regno, ſcientias praelegunt, aut eaſdem quouis alio modo exercent et tractant. Et quoniam Romani imperii legibus ſtatutum eſt, Doctores per viginti annos publicae lectioni in vniuerſitatibus operam dantes ius nobilitatis non ſolum in perſonam ſuam acquirere, verum etiam ad ſucceſſores ſuos legitimos in perpetuum transfundere: laudabilem hanc legem Nos quoque ſcholae Cracouienſi in regno dominiiſque Noſtris in perpetuum concedimus, et regia munificentia Noſtra largimur. Statuimus, vt omnes doctores et profeſſores, qui in hoc Noſtro regio gymnaſio per viginti annos continuae lectioni publice operam dederint, ad prolem quoque ſuam ex legitimo matrimonio conceptam, omne ius praerogatiuae et dignitatis nobilitatis transfundant. Sitque dicta proles, cum ſuis legitimis deſcendentibus vtriuſque ſexus capax in aeuum in regno dominiiſque Noſtris, omnium dignitatum, libertatum et praerogatiuarum, tam ſpiritualium, quam temporalium, ſtatum equeſtrem concernentium, valeantque accedere ad quoſuis regni Noſtri honores, munia et officia. Bona quaeuis terreſtria poſſint acquirere, et acquiſita ſine quauis anguſtia, quocunque vocabulo cenſeantur, poſſidere, ſiue in eadem ſchola in loco patrum ſuorum permanſerint, ſiue alio ſemet tranſtulerint, more aliorum regni Noſtri nobilium viuentes. Expeditionem tamen bellicam vna cum aliis nobilibus regni Noſtri, ſi profeſſores actu legentes non fuerint, ex poſſeſſionibus ſuis obire tenebuntur, more aliorum nobilium, ſeruientes iuxta regni Noſtri ſtatuta. Quae quidem omnia et ſingula de plenitudine regalis noſtrae poteſtatis, praefatae ſcholae Noſtrae Cracouienſi, eiuſque doctoribus et profeſſoribus, damus, donamus, et concedimus perpetuo et in aeuum. Quod omni meliori modo eſſe volumus, ac defectus omnes, ſi qui in eadem donatione ſtatutoque Noſtro fuerint, auctoritate Noſtra regia ſupplemus. Non obſtantibus quibuſcunque in contrarium praefatorum, quibus hiſce Noſtris, acſi eiſdem inſerta eſſent, pro hac parte derogamus. Per hanc autem donationem Noſtram et ſtatutum, non intendimus derogare quidquam antiquis praedeceſſorum Noſtrorum, regum Poloniae, et Noſtris, eidem vniuerſitati conceſsis quomodocunque priuilegiis, imo eadem praeſentibus, acſi hiſce inſerta eſſent, approbamus, ratificamus et innouamus. Nulli ergo omnium hominum, cuiuſcunque ſtatus, gradus, et dignitatis fuerint, liceat vnquam praeſentis Noſtrae donationis

ſtatu-

ſtatutique decreto et priuilegio in aliquo contrauenire, vel de eodem in contrarium iudicare. Quodſi attentatum aliquid fuerit, totum inane et irritum eſſe declaramus. Pro sereniſſimis autem Succeſſoribus Noſtris, Poloniae regibus, promittimus quod ipſi hoc priuilegium Noſtrum in omnibus et ſingulis punctis manutenebunt, nec vnquam eidem publice et priuatim contrauenire permittent, quin imo ſerio in eiuſmodi contrauentores animaduertent, et contrauentiones eiuſmodi, prout iniuſtas et iniquas caſſabunt et annihilabunt. In quorum omnium et ſingulorum fidem, robur ac teſtimonium, praeſentes manu Noſtra ſubſcripſimus, ac eaſdem ſigillo Noſtro communiri mandauimus. Datum Cracouiae, feria quarta in craſtino S. Laurentii, martyris, anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto, regni Noſtri anno vigeſimo nono. 1535

Relatio reuerendiſſimi in Chriſto patris Domini PETRI, epiſcopi Cracouienſis, et regni Poloniae vicecancellarii, quarum quidem literarum originale iidem offerentes, illico ab officio praeſenti receperunt.

Adiiciemus nunc regni leges, ſeu conſtitutiones, quae de academia Cracouienſi variis temporibus ſanctae fuere, et quidem ordine chronologico. Prima in Conſtit. anni 1562, tit. *o ſkolach*, ſub SIGISMVNDO AVGVSTO rege habetur, huius tenoris: *vt ſchola Cracouienſis, Poſnanienſis, Pultouienſis reformentur, et in bonum ordinem per illuſtriſſimos dominos epiſcopos et dominum rectorem academiae Cracouienſis redigantur.*

Anno domini 1590, regnante SIGISMVNDO III, tit. *incorporacya: incorporationem praepoſiturae eccleſiae S. Floriani, a piae memoriae,* SIGISMVNDO AVGVSTO, *auunculo Noſtro, et* STEPHANO, *regibus, collegio Cracouienſi factam, auctoritate comitiorum hodiernorum, vnanimi conſenſu ordinum omnium confirmamus. Ius patronatus, quod ad Nos pertinebat, perpetuis temporibus in idem collegium Cracouienſe transfundimus.*

Anno 1613 tit. *Akademia Krakowska*, regnante eodem SIGISMVNDO III, *Quamuis academia Cracouienſis bene iure firmata ſit, ſecundum fundationem piae memoriae ſereniſſimorum regum Poloniae, tamen illam et praeſenti conſtitutione ſtabilimus, omnia priuilegia huic academiae data, praerogatiuas et ornamenta in toto approbanda, et in vſu antiquo plene conſeruando.*

Anno 1633, regnante VLADISLAO IV, ſic ſtatutum eſt: *Quandoquidem ius patronatus academiae Cracouienſis ad totam rempublicam ſpectat, et certa decreta rotae Romanae in cauſa, inter almam academiam Cracouienſem, et patres Societatis Ieſu, reſpectu erectionis et fundationis ſcholarum interceſſerunt, ideo Nos, ſicut in pactis Noſtris Nos obligauimus, procurando pacificationem iſtius academiae, apud ſummum Pontificem Nos interponemus, vt cauſa in integrum reſtituta, ad deciſionem Noſtram, et totius reipublicae, hanc cauſam remittere dignetur, vbi et ius patronatus reipublicae et iura academiae in toto conſeruare promittimus, quae illi tam a piae memoriae* VLADISLAO IAGELLONE *rege, et ab aliis anteceſſoribus Noſtris data et conceſſa, et inter alia iſtius reipublicae iura in volumen legum inſerta ſunt, tam in toto, quam in parte approbabimus.*

A. 1635, tit. *Akademia Krakowska* eodem regnante rege VLADISLAO IV ſic ſtatutum: *confirmando omnia iura academiae Cracouienſis, ſecundum conſtitutionem felicis coronationis Noſtrae et declarationem ſummi pontificis, ſcholas omnes in genere a patribus*

Societatis Iesu cum praepedimento eiusdem academiae apertas occludimus, et in posterum ne aperiantur, aut aliae quocunque praetextu erigantur perpetuis temporibus, absque consensu omnium ordinum, in ciuitate Nostra principali Cracouiensi, et ciuitatibus eidem adiacentibus, Casimiria, Stradomia, Clepardia, cauemus. Monasteriorum tamen priuatis illorum studiis pro solis eorum religiosis secundum vsum et consuetudinem, non praeiudicamus, et praeter ea ius illustrissimorum dominorum episcoporum, secundum statutum, ad attendendum ordini eiusdem academiae Cracouiensis, totaliter conseruamus. Alia autem omnia collegia societatis Iesu, tam in regno, quam in magno ducatu Lituaniae et in prouinciis ad regnum et magnum ducatum Lituaniae spectantibus, fundata, et quae postea cum consensu reipublicae fundabuntur, respiciendo fructus in ecclesia Dei ex labore illorum emicantes, et hodiernam erga Nos et rempublicam submissionem, non tantum confirmamus, sed et sub protectionem Nostram et successorum Nostrorum et totius reipublicae, non derogando quidquam iuri academiae Cracouiensis, suscipimus.

A. 1655 sub titulo: *Wyprawa piechoty lanowey*, regnante IOANNE CASIMIRO statutum: *haec academia Cracouiensis liberata est ab expeditione militis peditatus, ex laneis tam villarum ad mensam vniuersitatis et contuberniorum, dictorum* BVRS, *spectantium, quam ex domibus in ciuitate Cracouiensi existentibus.*

A. 1658 regnante IOANNE CASIMIRO tit. *Akademia Krakowska* statutum: *Sciendo optime, quantum conducat reipublicae cuilibet inuigilatio circa eruditionem et doctrinam iuuenum, ex qua omnis felicitas eius emicat, et volendo professores academiae Cracouiensis ad solitam filiorum regni informationem animare, quamuis etiam singularibus a pientissimis antecessoribus Nostris donata est praerogatiuis, illam tamen modo per hostem in ecclesiis, residentiis, contuberniis studiosorum, in censibus reemptionalibus, maxime exuisceratam, ab omnibus contributionibus ciuilibus, consensu vnanimi omnium ordinum totaliter liberam facimus. Respectu tamen istius, quod concernit ciuitatem Cracouiensem cum illustrissimo domino episcopo Cracouiensi, academia conferat.*

A. 1669 §. *a na ostatek*, rex MICHAEL obligauit se confirmaturum omnia iura, libertates, immunitates, priuilegia, statuta regni et magni duc. Lituaniae, statui spirituali et saeculari, tum academiae Cracouiensi iuste et legitime data.

A. 1676 sub tempus coronationis IOANNIS III, tit. *Akademia Krakowska* sic habetur: *Academiam Cracouiensem notabiliter de hac republica, ab aliquot centenis annis meritam, secundum statutum, sub tit.* schola regni, *ab omnibus oneribus liberam esse declaramus, et illam penes iura, priuilegia, libertates, constitutionibus regni firmatas, perpetuis temporibus, conseruamus.*

A. 1678 tit. *Fundatio theologiey Warszawskiey* regnante IOANNE III, haec fundatio per constitutionem abrogata est his verbis: *fundationem theologiae Varsauiensis, in praeteritis comitiis sine scitu reipublicae, in volumen legum cum iniuria priuatorum inductam tollimus et cassamus.*

Notandum ex ZALASOVII iure regni Poloniae Tom. I. p. 192 hanc constitutionem pro fundatione theologiae studii Varsauiae obtinuisse patres Societatis Iesu a. 1677, fol. 33 sub tit. *fundacya theologiey*, promouente illustrissimo olim STANISLAO SWIENCICKI, episcopo Chelmensi, fundatore istius theologiae, super omnibus bonis suis, exceptis MILANOWO et HORODYSZCZE, iure inchoato vindicandis, prout constitutio ipsa loquitur loco citato. Ne quis autem credat, per abrogationem huius legis simul et facultatem docendi theologiam patribus e Societate Iesu adem-

ademtam esse, sciendum, dictam constitutionem bona tantum p. m. episcopi Chelmensis SWIENCICKI ad fundationem scholae theologicae Varsauiae destinata, concernere, quae ad haeredes episcopi rediere, non autem facultatem docendi theologiam.

In constitutione A. 1685, tit. *Konsens Akademiey Krakowskiey*, regnante eodem IOANNE III, datus est consensus ad emenda bona terrestria, et approbata sunt omnia iura almae vniuersitatis Cracouiensis his verbis: *Habendo respectum tenuis fundationis academiae Cracouiensis, ex qua professores laborantes, et iuuentus nobilium in variis censuum fundationibus remanens, debitam prouisionem habere non possunt, iura omnia, a Nobis et serenissimis antecessoribus Nostris vniuersitati data, approbamus. Et vt pro summis, quae fuerant modo reemptionali ex bonis terrestribus leuatae, hoc est, summam sexaginta aliquot millium florenorum Polonicorum, in totum computando, non excedentem, pro sustentandis necessitatibus vniuersitatis, bona terrestria in palatinatu Cracouiensi emant, praesenti constitutione concedimus, saluis iuribus terrestribus et oneribus reipublicae.*

A. 1733 ex pactis conuentis serenissimi ac longe indulgentissimi regis nostri AVGVSTI III, de academia Cracouiensi haec memoria sunt digna: *Academiam Cracouiensem, vt de republica meritissimam, omnium scientiarum magistram, circa instructionem studiosorum infatigabilem, circa productionem magnorum et dignorum virorum sollicitam, circa antiqua iura et priuilegia nunquam mutanda conseruabimus. Imo in illius augmentum vlterioris gratiae Nostrae nullam praetermittemus occasionem.*

Ad academiam Cracouiensem pertinet etiam fundatio Garuasciana, regni lege approbata a. 1662, fol. 23, tit. *approbatio fundationis Garuascianae*, tenoris sequentis: *ad instantiam exercitus nostri regni, fundationem perillustris et admodum reuerendi olim* GARWASKI, *canonici Cracouiensis, pro filiis nobilium, in academia Cracouiensi factam, in toto approbamus, et villas ad hanc fundationem spectantes* SIERADZICE *et* WRZOSZOWICE, *in palatinatu Cracouiensi iacentes, ab omnibus oneribus militaribus, in perpetuum liberas facimus, et circa eadem iura terrestria, prout primitus erant, conseruamus.*

Non inutile nunc videtur varia, quae de academia Cracouiensi variis in Synodis prouincialibus statuta fuere, hic adponere. In Synodo prouinciali Gnesnensi Petricouiae a. 1542 celebrata, praesidente illustrissimo PETRO GAMRATO, archiepiscopo Gnesnensi, prout in constitutionibus prouincialibus lib. IV. fol. 260 habetur, de salariis, professoribus academiae Cracouiensis soluendis, decretum est, his verbis: *pro reformanda vniuersitate Cracouiensi, matre nostra, et prouentibus lectorum augendis, et aliunde vocandis, legista et duobus literarum humaniorum professoribus, reuerendissimus dominus archiepiscopus Gnesnensis inhaerendo deliberationi, in proxime praeterita synodo factae, promisit in hac sacra synodo se daturum centum ducatos auri in auro, ratione ecclesiae Gnesnensis. Ratione vero ecclesiae Cracouiensis similiter centum in auro ducatos, Cuiauiensis centum florenos in moneta, per mediam sexagenam, et Plocensis similiter etiam centum. Posnaniensis similiter centum per mediam sexagenam, ex decreto et ordinatione synodi reuerendissimi domini Posnaniensis et reliquorum dominorum episcoporum nuntiis consentientibus, dare et soluere debebunt, ad quod capitula ecclesiarum praedictarum consensus suos praestare pollicita sunt: attento, quod hoc sanctum propositum, in totius regni vtilitatem publicam vergere dignoscatur, et quod absentes domini episcopi admoneantur vigore praesentis synodi, vt decretum praesens exequantur, et capitulorum consensus obtineant,*

neant, ſub poena centum aureorum vngaricalium, per ſynodum, ſeu alias reuerendiſſimum dominum archiepiſcopum, a ſingulis exigenda ad vnius anni decurſum. Domini vero abbates in eadem ſynodo praeſentes, propter abſentiam aliorum abbatum et religioſorum, et quod de ea re cum fratribus ſuis tractatus et conſilia non habuerunt, diſtulerunt hoc negotium in aliam deliberationem et reſponſionem. Debent autem domini archiepiſcopus et epiſcopi precibus ſupplicibus diligenter inſtare apud ſacram regiam maieſtatem, vt ſua maieſtas ad tam ſanctum et laudabile et neceſſarium opus, de ſuis prouentibus aliquem cenſum perpetuum praedictae vniuerſitati conſtituat.

In eadem ſynodo ſtatutum eſt: *vt archiepiſcopi et epiſcopi, eorumque in ſpiritualibus vicarii, omnes ſcholas reformare diligenter curent, praeſertim vniuerſitatem ſtudii Cracouienſis, veluti matrem et alumnam omnium ſtudioſorum in moribus et diſciplina. Inquiratur etiam diligenter per archidiaconos et inquiſitores, de paedagogis in domibus nobilium et ciuium, ne aliquos libros ſuſpectos legant, et in ſacra fide corrumpantur.*

A. 1561 in ſynodo prouinciali Gneſnenſi, praeſidente illuſtriſſimo domino IOANNE PRZEREMBSKI, archiepiſcopo Gneſnenſi, Lib. IV. fol. 263 conſtitut. prouinc. Gneſnenſium decreuit ſacra ſynodus: *vt ſcholae in vniuerſum omnes, tam particulares, quam vniuerſales reformentur, praeſertim ſtudium Cracouienſe iuxta diſpoſitionem ſtatutorum, reuerendiſſimus dom. epiſcopus Cracouienſis vna cum ſuo venerabili capitulo reformet. Caeteri vero reuerendiſſimi domini loci ordinarii ſcholas particulares, tam circa metropolitanas, cathedrales et collegiatas, quam etiam in parochialibus eccleſiis reformare curent, ac dominos ſcholaſticos, aut illos praelatos ad quos de iure vel erectione aut fundatione, prouiſio ſcholarum pertinet, magiſtros et praeceptores honeſtis ſalariis, praeſertim ſi habeant praelaturas ſuas bene dotatas, prouidere compellant. Si vero aliqua dotatio antiqua particularibus ſcholis per parachos, aut quoſuis alios fuerit adempta, per viſitatores ſuos illam dotationem reſtitui mandent.*

A. 1607 in ſynodo prouinciali Gneſnenſi ſub illuſtriſſimo domino BERNARDO MACIEIOWSKI, S. R. E. cardinali, tituli S. Ioannis ante portam Latinam, archiepiſcopo Gneſnenſi, Petricouiae celebrata, decretum eſt: *Cum academia Cracouienſis ſit in hoc regno vetus eccleſiae Dei et reipublicae ſeminarium, cuius eruditio et doctrina in omnes regni partes diffunditur, reuerendiſſimi domini, archiepiſcopus et epiſcopi, rogatu totius cleri, ſtipendium profeſſoribus eius, iam antea in ſynodo Petricouienſi, anno 1577. conſtitutum, et per ſedem apoſtolicam confirmatum, in executionem debitam deducere, illudque quotannis pro feſto epiphaniae domini, dare et conferre promiſerunt, ſub poena dupli in non ſoluentes, per illuſtriſſimum dom. archiepiſcopum pro tempore exiſtentem, ad inſtantiam rectoris eiuſdem academiae, extendenda. Inſuper ad augendum hoc idem ſtipendium reuerendiſſimus dominus* IO. ZAMOYSKI, *archiepiſcopus Leopolienſis, per reuerendum* D. VALENTINVM WARGOCKI *decanum, nuntium ſuum Leopolienſem, quadraginta, reuerendiſſimus vero* PAVLVS WOLVCKI, *epiſcopus Culmenſis, triginta florenos pecuniae, monetae et numeri Polonicalis, ſe ſoluturos quotannis pro eodem feſto epiphaniae domini, ſynodaliter obtulerunt. Vt autem haec extraordinaria ſtipendiorum acceſſio cum fructu ſtudiorum diſtribuatur, ſancta ſynodus reuerendisſimo dom. epiſcopo Cracouienſi, ad quem potisſima cura academiae, tanquam cancellarium ipſius pertinet, commiſit, vt per ſe, vel per aliquos viros prudentes et graues reformationi eiuſdem academiae diligentisſime intendat, iuxta praeſcriptum conſtitutionis ſynodi prouincialis anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi.*

A. 1621

A. 1621 in synodo prouinciali ab illustrissimo dom. LAVRENTIO GEMBICKI, archiepiscopo Gnesnensi, die XXVI mensis Aprilis Petricouiae celebrata, fol. 29 de stipendiis soluendis professoribus academiae Cracouiensis sic habetur: *vt academia Cracouiensis, quae ecclesiae Dei et istius regni antiquum est seminarium et ornamentum, debita professoribus stipendia, anteriorum synodorum prouincialium anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, et millesimo sexcentesimo septimo decretis, per sedem apostolicam confirmatis, liberaliter constituta, ab illustrissimis et reuerendissimis prouinciae episcopis quotannis persoluantur, eadem statuta prouincialia antiqua et recentiora innouat praesens synodus, et in executionem deduci mandat. Et quia valor aureorum Vngaricorum, qui in dictis constitutionibus specificantur, in tantum iam excreuit, vt aestimationem illius temporis, quo primum, ante octuaginta annos, de augendis prouentibus professorum Cracouiensium, ordinatio synodalis facta est, plus dimidio excedat, declaramus praesentis synodi auctoritate, aureos in praedictis legibus debere intelligi de aureis, quorum singuli duos tantum florenos Polonicos ex antiquo valebant, ita vt pro centum aureis ducenti duntaxat floreni Polonici academicis Professoribus numerari debeant.*

A. 1628 in synodo prouinciali ab illustrissimo et reuerendissimo domino IOANNE WENZYK, archiepiscopo Gnesnensi die XXII mensis Maii Petricouiae celebrata, fol. 92 de academia Cracouiensi haec habentur: *quia nuper lis de iure legendi, siue docendi, Cracouiae inter academiam et patres Societatis Iesu exorta, ad iudicium sanctae sedis apostolicae est deuoluta, monet et hortatur synodus, ne ab vtrinque scripta aliqua, quae occasionem scandali Christi fidelibus praebere possint, edantur, aut imprimantur, sed vtraque pars sententiam et decisionem iudicii sanctae sedis apostolicae, cuius supremae auctoritati omnes obedire debemus, expectet, illique, vt debet, pareat et obsequatur.*

Ne quid studio ad historiam academiae Cracouiensis pertinens omisisse videar, ea etiam hic adiicienda sunt, quae in conuentu generali Corcinensi A. 1669 mense Februario in fauorem almae Cracouiensis statuta sunt huius tenoris:

Academia Cracouiensis, mater et magistra doctrinarum et scientiarum in patria nostra, vt penes sua iura et priuilegia remaneat, et per erectionem nouarum scholarum, vti sine consensu reipublicae apertarum, non eneruetur, et apertae, sine scitu ordinum, occludantur, praecipue recenter erectae praeter mentem reipublicae scholae patrum Societatis Iesu Varsauiae, reassumendo constitutionem anni 1635. Nec appendix in constitutionibus a. 1667, sub tit. approbatio piarum scholarum, *quidquid operetur.*

Hi enim patres piarum scholarum (sunt verba ZALASOVII, in iure regni Poloniae Tom. I. p. 592) obtinuerant subreptitie constitutionem a. 1667, fol. 43 sub tit, *approbatio piarum scholarum* talem: „fundationes in dominio nostro clericorum „pauperum matris Dei piarum scholarum, cum annuali in salisfodinis Nostris Vieliscensibus, a summa mille sexcentorum florenorum Polonicalium, prouisione, auctoritate modernorum comitiorum approbamus, et vt iuxta institutum suum doceant, „concedimus, non derogando iuribus et priuilegiis patrum Societatis Iesu iuxta constitutionem anni 1635.„ quae constitutio, dicit ZALASOVIVS, in praesentia ordinum non fuit publice lecta, sed circa correcturam constitutionum clam supposita. Nam ego tunc ab alma vniuersitate Cracouiensi ablegatus missus fui, ideo qualiter

 factum

factum ſit, optime ſcio. Obtinuerant iidem patres aliam conſtitutionem a. 1677 fol. 32 ſub tit. *approbatio pauperum matris Dei*, ſuper fundandas ſcholas Petricouiae et penes eccleſiam parochialem et xenodochii Chelmenſem, quae videnda.

Adiiciemus nunc ad calcem huius capitis, quae collegia, contubernia, aliaſque ſcholas, academia Cracouienſis poſſidet, de quibus ZALASCIVS in iure regni Poloniae Tom. I. pag. 597, edit. Poſnanienſis, ſequentia habet:

Alma academia Cracouienſis habet collegia tria. *Collegium maius*, in quo ſacrae theologiae et philoſophiae doctores et profeſſores reſident. *Collegium minus*, in quo philoſophiae doctores et profeſſores manent. *Collegium iuriſperitorum*, in quo iuris vtriuſque doctores et profeſſores habitant, et tam iuris canonici, quam ciuilis lectiones praelegunt. Medici autem quia communiſſime vxorati ſunt, extra collegium manent, quiſque in propria domo, qui in lectorio Galeni collegii maioris, certis anni temporibus in medica ſcientia lectiones tradunt.

Contubernia autem, quae vulgo burſae appellantur, habet numero ſeptem. *Contubernium iuriſperitorum*, a Dlugoſſo erectum, in quo ſtudioſi Aſtracae, idque nobiles, manet. *Contubernium*, ſeu burſa, *pauperum*, Iagellonianum. *Contubernium philoſophorum*, Noſcouianum appellatum. *Contubernium Hieruſalem*, ſeu burſa Oleſniciana. *Contubernium Ziſinianum*. *Contubernium Staringilianum*. *Contubernium Smieſcouianum*. Habet et collegium, ſeu claſſes artium humaniorum.

His adiunguntur ſcholae parochiales, numero quatuordecim, ſparſae per vrbem, in quibus iuuentus inſtituitur, rudimentis grammaticae a magiſtris academiae Cracouienſis.

Omnia praefata collegia, contubernia, et ſcholae parochiales a magnifico domino rectore generali academiae Cracouienſis dependent, et eum pro capite ſuo agnoſcunt.

Praeter haec collegia, contubernia et parochiales, quae intra et extra vrbem ſunt conſtitutae, et ad vniuerſitatem Cracouienſem ipſiuſque rectorem referuntur, ſunt et aliae academiae, coloniae et parochiales ſcholae, per alias regni Poloniae et magni ducatus Lithuaniae prouincias erectae, ab vniuerſitate et academia Cracouienſi, tanquam matre et generali ſchola regni illiuſque rectore, pro tempore exiſtente, dependentiam habentes, et iuriſdictioni eius ſubiacentes, praeter academiam Zamoſcenſem, quae ſimilibus gaudet priuilegiis et immunitatibus, quoad Doctoratus in theologia et iuriſprudentia conferendos, habetque ſuum rectorem, Doctores et profeſſores. Sunt autem coloniae generaliores ſub iuriſdictione rectoris Cracouienſis ſecundum FORMANKOVICIVM in ſuo geographico libro circiter quadraginta. Praecipuae illarum ſunt, Poſnanienſis, Neocorcinenſis, Vidauienſis, Albae ducalis, Culmenſis, Leopolienſis.

Continuationem hiſtoriae academiae Cracouienſis in trimeſtri ſequenti ſuppeditabimus.

V. *Vitae*

V.

*Vitae archiepiscoporum Gnesnensium, seu regni Poloniae primatum, ab XXXIII vsque ad XL archiepiscopum **.

ALBERTVS IASTRZEMBIEC, archiepiscopus Gnesnensis XXXIII, natus patre DERSLAO, matre CHRISTINA, in pago prope Paczanouiam oppidum, *Lubnica* dicto. Parens Albertum, pedes peditem, vt Dlugossius ait, Bensouam, militarem villam adduxit, et ludimagistro pagano commendauit. Hoc in pago deinde, episcopus factus, sacras aedes aedificauit coctis lateribus, patris votum implens, quo is filium obstrinxit, si quando antistes euaderet, in easque religiosam coloniam sodalium S. Pauli primi eremitae introduxit ac fundauit. Sacerdotium primum in basilica cathedrali Cracouiensi adeptus, deinde HEDVIGIS reginae, VLADISLAI IAGELLONIS consortis, fuit cancellarius. Post translationem NICOLAI CVROVII ad episcopatum Vladislauiensem, Posnaniensis episcopus nominatus a rege anno 1399, die XVI calend. Maii, a BONIFACIO IX confirmatus. Per quatuordecim annos fuit antistes Posnaniensis, quo tempore insimulatus fuit, magnum thesaurum, a priscis regibus Poloniae in ecclesia Posnaniensi repositum, sustulisse eum, inque vsum priuatum conuertisse. Aestu ambitionis insolito, PETRVM WYSZ, ex cathedra Cracouiensi, quam viginti annis rexerat, ad Posnaniensem ecclesiam detrudi, regia accedente voluntate, curauit, et viuente eo in possessionem episcopatus Cracouiensis irrepsit, contra omnem iustitiam. Indignationem ELISABETHA, regina, aduersus Albertum acerbiorem conceperat, cum, quod is matrimonium suum cum rege improbauit, tum quod IOANNI de PILCA filio, regio priuigno, quem VINCENTIO GRANOVIO pepererat, diploma super comitatum Iaroslauiensem, quo is a rege, contra leges publicas ornatus fuerat, obsignare detrectauit. Tantum effecit apud regem ELISABETHA, vt sunt efficaces apud viros susurri muliebres, vt Alberto indicta causa cancellarii magistratum abrogaret. Cum ecclesiae Cracouiensi annis prope duodecim praefuisset, abeunte e viuis NICOLAO TROMBA, inuitus et reluctans, vt CROMERVS testatur, ad ecclesiam translatus metropolitanam, quam translationem ratam firmamque habuit MARTINVS V, pontificatus sui anno sexto, a Christo nato, anno 1423, quo Gnesnam venit Albertus, curam pastoralem auspicatus. Mortua ELISABETHA PILECIA, tertia VLADISLAI IAGELLONIS vxore, rex in matrimonium duxit SOPHIAM, Kiiouiensium ducis ANDREAE et VITOLDI sororis filiam, cui solenni ritu Cracouiae diadema imposuit Albertus d. XII Febr. 1424. Huius actus solennitati praesentes aderant SIGISMVNDVS imperator cum BARBARA vxore, et ERICVS, Danorum rex, praeter varios alios principes. Cum ex hoc cum SOPHIA matrimonio eodem anno filius, ingenti regis laetitia, natus esset, sanctiori vnda eum post quartum mensem abluit, imposito VLADISLAI nomine, Albertus. Adfuerunt variorum principum legati cum amplissi-

* Vitas archiepiscoporum Gnesnensium a primo, VILIBALDO, Gallo, vsque ad trigesimum secundum, NICOLAVM TROMBAM, iam in tertia et quarta bibliothecae Varsauiensis parte suppeditaui.

pliſſimis donis puerperae allatis, Vitoldus etiam centum librarum cunas argenteas puero miſerat. Mortuo rege VLADISLAO IAGELLONE, Grodeci, quod oppidum eſt Ruſſiae, quarto diſtans lapide a Leopoli, VLADISLAVM in baſilica Cracouienſi, ſolenni ritu, diademate impoſito, regem inaugurauit, d. XXV Iulii, anno 1434. In eccleſia metropolitana duo fundauit demenſa, quae vulgo praebendas dicunt, alterum theologo, alterum iuriſconſulto, debita, aliaque nonnulla pia opera fecit. Limites controuerſos in bonis archiepiſcopalibus in tranquillum redegit ſtatum. Sanguinem proprium impenſius amauit, illique augendo atque euehendo totum ſe impendit, et, vt ſic dictum nepotiſmum ditaret, magna coemit latifundia, vt bona Rytwianenſia a ſucceſſoribus Curouii archiepiſcopi, et varia alia. Hiſtoriae Polonae ſcriptores, Albertum, neque magni animi, neque conſilii, fuiſſe circa boni publici conſeruationem, notarunt, inſuper animi puſilli et timidum. Anno 1436, die II Sept. fatis ceſſit Mnichouiciis, villa archiepiſcopali in terra Rauenſi, humatus in eccleſia Benſzouienſi ſodalium Paulinorum, quam ipſe viuens aedificauit et dotauit. Per tredecim annos fuit archiepiſcopus. Aetatem eius ſcriptores non adiiciunt, ſed ex dictis patet, vltra ſexaginta annos Albertum vixiſſe. Tempore Alberti noſtri crucigeri in Pruſſia clade ingenti per VLADISLAVM IAGELLONEM, Poloniae regem, profligati ſunt anno 1410. IOANNES GROTKOVIVS, vitas archiepiſcoporum Gneſnenſium breuiter concinnans, haec de Alberto dicit: *vir magnus in republica, ſed interdum conſiliorum reipublicae inutilium auctor, quam ob rem magno omnium odio conflagrauit. Porro in dicenda ſententia, praeſertim in conſilio publico perplexus, in veritate regi dicenda puſillanimis et longis verborum ambagibus vti ſolitus.* IANICII, Poloni poetae celeberrimi, tetraſtichon, ſequens eſt:

Arduus accipiter *) terris haud merſus opacis
Praepes in aethereis militat vſque plagis.
Nec magis hic opibus, quam multis clarus amicis
In tarda celebris poſteritate viget.

VINCENTIVS II. KOTH de DEMBICU, archiepiſcopus XXXIV. Haereditarius pagus, in quo bonis parentibus natus primam aſpexit lucem, in hanc vſque diem extat ad Vartham fluuium, prope Pyzdros. Stemma eius ex tribus conſiſtebat roſis. Omnibus bonis literis imbutus et in externis academiis laurea doctorali decorus, primum cuſtos Gneſnenſis, deinde, cantor Cracouienſis factus, paulo poſt ei, non ambienti, ordinum regni decreto regiorum liberorum educandorum atque inſtituendorum ſparta demandata fuit, quam nactam egregie exornauit, tantumque apud VLADISLAVM IAGELLONIDEM fauoris meruit, vt cum ad magiſtrum procancellarii promouerit, quo munere cum eximia integritatis exiſtimatione perfunctus, mortuo Alberto archiepiſcopo, a ſacro baſilicae metropolitanae collegio archiepiſcopus electus fuit. Diſplicebat haec electio proceribus et regiis curatoribus, quibus fruſtra reclamantibus iuri electionis minime derogatum. EVGENIVS IV, ſummus pontifex ratam habuit hanc electionem, et a. 1437. SBIGNEVS epiſcopus Cracouienſis, aſſiſtentibus CONRADO Vratiſlauienſi et STANISLAO dicto CIOLEK Poſnanienſi, epiſcopis, ſacro inſigniuit charactere epiſcopali. Licet poſſeſ-

*) Iaſtrząb in lingua Polona ſignificat accipitrem.

poſſeſſionem archiepiſcopatus iam habuerit, magno tamen motu a conſiliariis et regiis curatoribus agitatum vt electus et conſecratus Vincentius iure ſuo cederet epiſcopo Vladislauienſi verum nequaquam induci potuit, vt ad inferiorem deſcenderet gradum. AMADAEVS, Sabaudiae dux, ſub nomine Felicis V, antipapa creatus, Vincentium archiepiscopum, teſte ALPHONSO CIACONO, in vitis pontificum et cardinalium, in quarta creatione pſeudo-cardinalium, purpuratum renunciauit, is vero nunquam purpuram induit. Cum VLADISLAVS rex, facta cum Turcis ad decem annos pace, fidem frangeret, ſuaſu IVLIANI cardinalis, qui Vladislaum a nexu iuramenti, quo foedus cum Turcis ſanciebatur, exoluit, et ad Varnam miſere iuuenis periret, CASIMIRVS Vladislai frater germanus rex electus fuit, ad eumque miſſi oratores, qui electionem denunciarent, inter quos primus Vincentius erat, qui regem CASIMIRVM Cracouiae die XXVI Iunii anno 1447 diademate redimiuit. Vincentius in propaganda fide fuit feruens. Iam enim ea tempeſtate, IOANNIS HVSSI, aut potius VICLEFI dogma clandeſtine in Poloniam irrepſit. In vicino Gneſnae oppido KLEIKO ludimagiſter Matthias de Radzieiow, cum hanc doctrinam ſpargeret, ac ſub vtraque ſpecie ſacram ſynaxin frequentare praeſumeret, ſeuerius in eum animaduertit archiepiſcopus. Iurium bonorumque eccleſiae vigilantem ſe declarauit defenſorem. Multarum eccleſiarum dotem, decimis a menſa auulſis, auxit, multaque alia bona perfecit opera. Canonicos regulares Lateranenſes ad eccleſiam S. Nicolai Caliſſii fundauit, eamque in collegiatam erexit. Paprocius refert eundem archiepiſcopum ad poſtulationem ANNAE, Boleslai ducis Maſouiae, conſortis, decimas, ad centum marcas aeſtimatas, Varſauienſi collegiatae donaſſe ac tranſcripſiſſe. Valetudine fuit adeo infirma, vt ſurgens a menſa nec curru vehi, nec equitare vllatenus potuerit, quo languore oppreſſus VNIEIOVIAE d. XIV Auguſti 1448 mortalitatis curſum conſummauit, Gneſnae ſepultus, cum per XII annos fuiſſet archiepiſcopus. CLEMENS IANICIVS hoc ſcripſit elogium, vt et de ſequentibus archiepiscopis:

Effuſus donator opum, ſumptuque ſuperbo.
A menſa ſtomachi languidioris erat.
Hunc noua cardineo texit fortuna galero,
Sarmatico nulli quod dedit ante viro.

VLADISLAVS OPOROWSKI, archiepiſcopus XXXV, natus in terra Lancicienſi, patre Nicolao, palatino Lancicienſi, matre chriſtina. Iuuenis ita literis excultus, vt decretorum renunciatus Doctor, in aula comparens regia, per minora ſacerdotia decanatus Cracouienſis ac Lancicienſis praepoſiturae ad regni procancellariatum inde ad epiſcopatum Vladislauienſem peruenerit. Hanc eccleſiam cum per annos ſedecim et menſes octo gubernaſſet, fortuna votis ſuis ancillante, ad eccleſiam Gneſnenſem fecit gradum. Translationem firmam habuit NICOLAVS V, eccleſiam autem metropolitanam ſalutauit VIII Sept. 1449. In conuentu generali Petricouiae magna exorta eſt controuerſia de praerogatiua et primo dicendae ſententiae in ſenatu loco, inter archiepiſcopum Gneſnenſem et Sbigneum, epiſcopum Cracouienſem, cui NICOLAVS V purpureum miſerat galerum, ob quam archiepiſcopus, ne principem amitteret locum, cum omnibus maiorum Polonorum proceribus, qui et ipſi praerogatiuam illam ad minorem Poloniam a ſe nolebant transferri, ex illa conſultatione diſceſſit. Interim abſente archiepiſcopo primus locus datus SBIGNEO, eoque abſente ſciſcere placuit

legem, vt ecclesia Gnesnensis praeponatur Cracouiensi, purpura Romani pontificis et legationes non ambiantur, et archiepiscopus et cardinalis alternis vicibus ad senatum accederent. In huius archiepiscopi tempora incidit iubilaeum generale a NICOLAO V, summo pontifice publicatum a. 1451, quod, a mense Decembri ad vltimam Augusti, anni subsequentis, durabat. Qui gratiam eam assequi volebat, vnam e quatuor ecclesiis visitare obligabatur, Gnesnensem, Leopoliensem, Cracouiensem, Vilnensem, ac ibidem tenebatur dimidium eius impensae quod Romano itineri conficiendo suffecisset, in arculam, ad hoc publice expositam, reponere. Trifariam autem nummus hic partiri ordinabatur, vna pars regi, pro sumtu belli contra Tartaros, altera Sophiae, reginae matri, pro dote egenarum puellarum designabatur, tertia summo pontifici pro instaurandis Romae templis erat transmittenda. Gnesnae, Leopoli, Vilnae, modicum aes congestum, Cracouiae autem, vt scribit Dlugossus, tres capsae notabiles, plenae aureis latis grossis, minutaque refertae pecunia, collectae fuerant. Rex ex Lithuania Cracouiam profectus, ibi tam solenne peregit iubilaeum, inde Louicium venit, quem Vladislaus archiepiscopus omnibus hospitalitatis excepit officiis. Cum collegio metropolitano huius archiepiscopi a Paprocio narrantur acriores simultates, cum illud strepitu forensi vexaret, easque rescindi contenderet donationes, quas antecessor eius bene meritis, seu toti collegio attribuerat. Coaceruauerat ingens peculium, suisque fuit vtilis. Triennio et octo mensibus in cathedra metropolitana exactis, OPOROVII in arce, quam aedificauerat, sideratione neruorum seu paralysi, oppressus, vita perfunctus, anno 1453, die XI Martii, ibidemque in ecclesia, ad quam Paulinos sodales, non ampla dote prouisos, introduxerat, conditus quiescit

Patre palatino natus est Oporouius, auro
Pinguis, et in facie praemacilentus erat.
Nec mirum, nam membra cibo reficere solebat
Exiguo, medias Tantalus inter aquas.

IOANNES DE SPROWA, archiepiscopus XXXVI, ex ea stirpe nobilissima ODROWONZORVM, vnde S. HYACINTHVS sacri ordinis praedicatorum, oriundus. Fuit praepositus Sendomiriensis, canonicus Gnesnensis, scriba regius, electus a metropolitano collegio anno 1453, die XXVII Maii, a NICOLAO V, summo pontifice confirmatus. Cum Casimirus rex cum ELISABETHA, Romanorum imperatoris ALBERTI, Hungariae et Bohemiae regis filia, matrimonium iniret, a 1454, nouaque nupta Cracouiam d. IX Februar. splendido comitatu adueniret, exorta disceptatio postridie inter archiepiscopum et Sbigneum cardinalem circa nuptialem caeremoniam, quisnam contrahentibus sponsis assisteret, archiepiscopusne, tanquam primas, an Sbigneus cardinalis, in cuius ecclesia cathedrali Cracouiensi actus hic peragebatur. Medium deinde inuentum, vt IOANNES de CAPISTRANO, sodalium S. Francisci regularis obseruantiae in regno Poloniae fundator, sacrum hunc expediret ritum. Cum autem IOANNES CAPISTRANVS Germanicae Polonaeque linguae ignarus esset, is enim ex Bohemia a Sbigneo cardinali in Poloniam vocatus erat, episcopus Cracouiensis autem vtriusque linguae bene peritus, hic, cedente archiepiscopo, regis connubium benedixit, archiepiscopus vero reginam sacro inunctam chrismate, diademate cinxit. Finita nuptiarum festiuitate legati Pruthenorum venere, opem orantes aduersus cruciferos, regique se subiicientes, et Ioannes

nes archiepiſcopus poſt acceptatam deditionem in regis praeſentia et totius conſilii iuramentum ſubiectionis et fidelitatis a Pruthenorum legatis excepit. Miſit rex in Pruſſiam ANDREAM de BNIN, epiſcopum Poſnanienſem, et IOANNEM KONIECPOLSCIVM, regni cancellarium, qui a tota nobilitate illarum terrarum, tum a ciuitatibus, fidelitatis excepere iuramentum. Coepto cum cruciferis bello, acceptaque Choyniciae ab eis clade, cum bellum continuandum eſſet, pecuniarumque inopia obſtaret, archiepiſcopus primus conſenſit, vt auro, vaſiſque eccleſiarum ſacris publici inopia aerarii ſubleuaretur. Incidunt in tempora Ioannis archiepiſcopi mors ZEMOVITI, Maſouiorum, Plocenſium, et VLADISLAI, Rauenſium ac Belſcenſium, ducum, qui ducatus ad regem deuoluebantur. Hactenus ex Lancicienſi territorio marcam ſic dictam auri, ducibus Maſouiis, Rauenſibus et Sochacouienſibus, pendebant archiepiſcopi quotannis, iis vero fato ſublatis, rex Caſimirus penſionem hanc in omne tempus remiſit. Hic archiepiſcopus vti rempublicam prudenti fulciebat conſilio, ita et eccleſiam pia adornauerat liberalitate, reliquam haereditatem fratri germano EVSTACHIO de SPROWA, caſtellano Radomienſi tabulis vltimae voluntatis deſignauit. Viget perennatque in hunc diem grata huius archiepiſcopi memoria SQVIERNIEWICAE; hoc oppidum enim, vbi antea vicus ignobilis Demba fuerat, ab eo locatum et erectum, eundem agnoſcit aedilem, quod iuri Magdeburgico voluit ſubeſſe, forum ſingulis hebdomadibus, diebus ſaturni, et annuum pro feſto S. Iacobi ordinauit, anno 1457. Erectionem oppidi confirmauit cum praemiſſis CASIMIRVS rex. In eodem oppido templum muro ſtruxit idem archiepiſcopus. In regimine metropolitanae eccleſiae completis annis decem, menſibus quinque, cum aliquandiu ſcabie ſeu impetigine, qui ab adoleſcentia familiaris ei erat morbus, acrius vexaretur, inde langueret, tandem ad fatalem venit periodum Vnieiouiae die XV Aprilis a. 1564. Gneſnae ſub vrna aerea d. XXX. Apr. tumulatus.

SPROVIVS antiquae, laus, ſplendor, gloria, gentis,
Illa licet meritis ſplendida ſemper erat.
Qualis erat quaeris? dicam nec multa morabor:
Aequauit morum nobilitate genus.

IOANNES GRVSZCZYNSKI, archiepiſcopus XXXVII. Origo illi et natale ſolum, terra Siradienſis, vbi familia roſarum, gentilitium Gruſzczynii inſigne, in multas ſtirpes diffuſa et propagata erat. Erat filius Ioannis Gruſcinii, haeredis in Gruſzczyce et Gorniewice, caſtellani, ſecundum alios, vexilliferi Siradienſis, et Margarethae Naramouiae. Exculta literis iuuenili aetate, nobili cuſtodiae Cracouienſis prouiſus ſacerdotio, meruit in aula VLADISLAI IAGELLONIDIS, quo ad Varnam occiſo, apud regem Caſimirum tantum gratiae aſſequutus, vt magno decoraretur honore. Primum mortuo NICOLAO LASOCIO, ad infulam Vladislauienſem peruenit, a NICOLAO V, confirmatus, a. 1450. Excedente deinde e viuis IOANNE de KONIEPOLE, ſupremo regni cancellario, ad tantum magiſtratum rex Gruſcinium promouit, qui publicae integritati conſeruandae promptam et alacrem nauauit operam. Cumque Petricouienſi finito conuentu a. 1456 rex in Lithuaniam itineri ſe accingeret, Cracouiam diuertit, ibidemque Gruſcinium Vladislauienſem epiſcopum et regni cancellarium, maioris Poloniae gubernatorem deſignauit, eidemque rerum Pruthenicarum curam demandauit. Conuentu generali eodem anno in oppido Kolo indicto finitoque, exolutio ſtipendiorum exercitui, qui contra crucigeros,

ros, conscriptus militabat, consensu procerum decreta, vt collecta pecunia, arbitrio Gruscinii dispensaretur, sancitum est. Completis annis duodecim, mensibus sex, in regimine Vladislauiensis ecclesiae, Io. Gruscinius, ab obitu Strempinii, vacantem Cracouiensem episcopatum, tanquam pinguiorem, ingenti ambiebat conatu, Rex etiam valde electionem eius commendabat, sed aliter factum, et vnanimi consensu IO. LVTECVS BRZEZIVS, archidiaconus Gnesnensis, canonicus Cracouiensis electus fuit episcopus Cracouiensis, qui postea regia indignatione territus iure suo cessit. Aegrius rex tulit, cum PIVS II pontifex, praeuertendo electionem actumque illius rescindendo, Sbignei cardinalis agnatum, IACOBVM de SIENNO, Gnesnensem et Cracouiensem praepositum, ad eam promoueret ecclesiam, qui etiam a bonis et possessione episcopatus Cracouiensis exclusus fuit. Quo facto Gruscinius ecclesiae Cracouiensis capessiuit regimen, non expedito, vt canones praescribunt, diplomate Pontificio super translatione et adeunda possessione bonorum mensae episcopalis. Cumque vnius anni spatium et quatuor mensium in ecclesiae Cracouiensis gubernatione compleuisset, mortuo Sprouio, a rege propositus vt archiepiscopus eligeretur, quod factum, eodemque anno a PAVLO II pontifice, confirmatus fuit. Regni sigillum maius, indulgente rege, vna cum archiepiscopatu retinuit. Cum primum sponsam salutaret, credebatur eum donarium aliquod maioris pretii ecclesiae metropolitanae collaturum, verum nihil horum factum, quin imo ex sacra ecclesiae supellectile multa ornamenta lapidibus pretiosis auroque decora narratur accepisse. Argentum elaboratum, quod antecessor eius ecclesiae Gnesnensi dederat, cum regem in Prussiam proficiscentem comitaretur, facta restitutionis cautione, quasi mutuo sumsit, sed nunquam postea restituit. Anno 1466, die lunae, XX Ianuarii, archiepiscopus Lanciciae prouincialem congregauit synodum, in qua inter alia stipendium impositum ex prouentu omnium sacerdotiorum in regno, pro impensis belli in Prussia contra crucigeros. In eadem synodo contra PIENIAVSCIVM, archidiaconum Gnesnensem, NICOLAI BOGLEVII, Palatini Varsauiensis, causa iudicata fuit. Horrendum facinus commiserat archidiaconus Pieniawski, qui non solum filiae, IOANNIS ROGALAE, palatini olim Varsauiensis, et vxoris IACOBI BOGLEVII, Dorotheae, stuprator erat, sed etiam ea conscia et adiutrice maritum eius dormientem crudeliter necauit. Concordibus votis decreuit synodus, vt Pieniawski, tam enormis conuictus sceleris, degradatus ad perpetuum detruderetur carcerem. Mulier vero adultera in Prussiam aufugit. Gruscinii temporibus rex pacem cum crucigeris fecit mediante apostolico legato, Rudolpho, episcopo Lauantino, vi cuius rex Pomeraniam, Culmensem et Michalouiensem terram, Mariaeburgum cum insula maiori, Stumam, Dersauiam, Elbingam cum sex pagis, quondam ad arcem Hollandiae spectantibus, retinuit, reliqua cruciferis relicta. Archiepiscopus illo tempore erat cum rege Thorunii, vbi sacramentum de seruanda pace, tam a rege, quam a supremo crucigerorum magistro, LVDOVICO ERLICHAVSEN, aliisque proceribus Polonis, et commendatoribus sic dictis, dicebatur. Caeterum scriptores Poloni memoriae prodiderunt, Ioannem Gruscinium sibi et propinquis fuisse diuitem in ecclesiam modice liberalem. MARTINVS CROMERVS haec de eo scripsit: „A. 1473 venerat euocatus a rege Cracouiam, repentina correptus „apoplexia, ita vt neque sacramentorum in extremo vitae articulo, more christiano „particeps fieret, consentaneum exactae vitae consecutus exitum. Fuit enim in omne „libidinum et audaciae genus proiectus etc. Starouolscius in vitis episcoporum Cra-

„couien-

„coulenſium memorat: cum in tertiam noctis horam comeſſationem protraxiſſet, „octaua die Octobris ſubito correptum languore ſine omni praeparatione in viam „aeternitatis exceſſiſſe.„ Gneſnae tumulatus, vbi haec de eo leguntur: IOANNES *de* LASKO, *archiepiſcopus Gneſnenſis ſuo neceſſario,* IOANNI GRVSZCZYNSKI, *archiepiſcopo Gneſnenſi anno 1473, Cracouiae vita functo, hunc cippum poſuit.* Clemens Ianicius haec de eo ſcripſit:

Laſciuus, petulans, mollis, propenſus in omne
Gruſcinius vitium nequitiamque fuit.
Dum bibit ad ſacras et cantat nocte lucernas
Protinus incautum mors inopina rapit.

IACOBVS de SIENNO, archiepiſcopus XXXVIII, natus patre Dobeslao de Sienno, palatino Sendomirienſi, Sbignei cardinalis patruele, et Catharina, Demetrii Bozydar regni theſaurarii filia, educationem opibus domeſticis conuenientem nactus, togam indutus ſanctiorem in aula merebatur Caſimiri regis, minoribus auctus ſacerdotiis praepoſitura Gneſnenſi et Cracouienſi, a rege a. 1459 ad PIVM II, Pontificem miſſus, eidemque nomine Caſimiri praeſtitit obedientiam, petiitque ab eodem, vt cenſurae, a CALIXTO III, ſuo deceſſore, in fauorem crucigerorum contra ciuitates Pruſſiae ob defectionem ab iiſdem fulminatae publicataeque, abrogarentur. Eodem fere tempore pontifex Mantuae congregauerat conuentum, ad quem conuocauerat principes Chriſtianorum, vt conſulerent de bello Turcis inferendo. Ex mente Caſimiri regis rogabat Pontificem Iacobus, vt ordinem crucigerorum ad bellum gerendum cum infidelibus, voto religioſo obligatos, ad inſulam Tenedon ex terris Pruſſiae transferret, vbi glorioſius bellum contra Turcas gererent. Non deerant aliorum principum legati, qui Iacobi poſtulata, vt rei Chriſtianae percommoda, promouebant. Nationis vero Germanicae legatorum alius erat ſenſus, et pontifex, non adeo Polonis beneuolus, interceſſit crucigerorum ex Pruſſia tranſmigrationi. Hac legatione perfunctus Iacobus rediit in Poloniam, mortuo Strempinio a pontifice PIO II, Cracouienſi epiſcopatu prouiſus. Quo minus tamen eius capeſſeret poſſeſſionem, acrior indignatio regis obſtitit, qui Gruſcinium ad cathedram Cracouienſem promouere voluit. Iacobus cum iuſſu regio in arce Pinczouienſi obſidionem contra ſe apparari intellexiſſet, Melſtinum cum Ioanne Dlugoſſio ſeniore ſeceſſerat, annoque integro ibidem ſe continuit, ab arcis domino, IOANNE MELSTINO, omnibus hoſpitalitatis excultus officiis, fruſtra indignante rege. Impetrauerat Iacobus a pontifice PIO II, qui antea vocabatur AENEAS SYLVIVS, acrius, vt vocant, poenale mandatum, quo ii omnes diris deuouebantur, qui eum pro epiſcopo non agnoſcerent. Verum ab eo mandato totum collegium Cracouienſis baſilicae, iuſſu regio et minis inductum, ad futurum concilium vniuerſale interpoſuit appellationem, diuinis tamen ceſſatum officiis. Qui cum Iacobo faciebant eiuſque cauſae adhaeſerunt, omnes pulſi ac cum ignominia eiecti Cracouia. Venerat in Poloniam legatus apoſtolicus HIERONYMVS, Cretenſis archiepiſcopus, ad negotium pacis cum crucigeris conficiendum, cui ſimul pontifex Iacobi cauſam cognoſcendam demandauerat. Cumque legatus affirmaret, epiſcopatum ſemel a ſede apoſtolica datum, nullo iure adimi poſſe, rex regeſſit, malle ſe regno excedere, quam Iacobum pati epiſcopum, ad quod Hieronymus reſpondit: praeſtare vt tria regna pereant, quam ius et auctoritas eccleſiae contemnatur. Iacobus deinde, cum regem agno-

sceret implacabilem, consulente legato apostolico, iure episcopatus Cracouiensis cessit a. 1462, quo facto regis offensa contra Iacobum mora languere videbatur, qui huius dolorem sua ad episcopatum Plocensem promotione, mortuo PAVLO GIZICIO, lenire volebat, eumque, vt episcopus Plocensis eligatur, proponebat. Sed canonici Plocenses, posthabita regia commendatione, STIBORIVM de Goscianice, canonicum Plocensem, episcopum elegere. Hanc repulsam et regiae promotionis improsperum euentum aequo animo tulit Iacobus, nullumque electo facessiuit negotium, totque aduersis pressus Romam, commune afflictorum asylum, profectus, a Pio II bene exceptus, ciuitas et arx Tiburtina eiusdem commissa est gubernationi. Posteaquam vero ab ascensu IOANNIS LVTECI ad Cracouiensem cathedram de Vladislauiensis ecclesiae vacatione Romam fama peruenisset PAVLVS II, Successor Pii II, ad eandem, rege iam non obnitente, promouit eum cathedram, qui iam recollegerat animum contra Iacobum offensum, illique eundem designabat episcopatum. Anno igitur 1464 Roma Cracouiam veniens, inde bona paternae haereditatis reuisens die veneris, quae erat XI Martii, Vladislauiam venit, et sponsa in primo salutata ingressu ecclesiae et reipublicae curis se totum impendit. Cum itaque prudentia, dexteritas, vitaeque comperta probitas, non incomperta esset regi CASIMIRO Iacobi de Sienno, quanto acrius eidem erat infensus, tanto post pronius et facilius supremo in regno sacerdotio existimauit cohonestandum. Vacabat a morte Grusciнii sedes metropolitana, et rex ad collegium basilicae metropolitanae viros magnae dignitatis expediuit, LVCAM comitem de GORKA, palatinum Posnaniensem, IOANNEM de RYTWIANY, regni mareschalcum, SBIGNEVM de OLESZNICA, vicecancellarium, MATTHIAM MOSZCZYNSKI, maioris Poloniae praefectum, incisorem regni, commisitque iis, vt serio curarent, ne quispiam alius praeter Iacobum archiepiscopus fieret, quae electio, non tamen sine murmure collegii, ad regis mentem successit, confirmata a SIXTO IV, pontifice. Anno 1474 d. VIII mensis Iunii possessionem iniit cathedrae metropolitanae per mandatarium, donans centum florenos pro ecclesia. Porro vt ecclesiae, ita et reipublicae solicitam impendit curam, omnesque numeros vigilantiae pastoralis, prudentiaeque impleuit regni primatis. A. 1475 circa festum natalis Domini rex erat Radomiae cum Elisabetha regina, ibidemque aduenerant oratores, qui procabant Heduigim, Casimiri filiam, pro GEORGIO Bauariae duce, cognomento diuite. Ibi praesens erat et Iacobus, cum multis aliis proceribus. Conuentum generalem Petricouiae indixit rex anno 1479, ad publicam subleuandam egestatem, vbi praesens et archiepiscopus fuit. Nouum contributionis genus, *accisa* vocatum, in hoc conuentu decretum, quod quam diu durauit, nullus memorat scriptorum Polonorum. Gedanensis ciuitas eo tempore domestico motu turbari coeperat. Plebs, quod non insuetum in illa ciuitate, contra magistratum insolentius agebat, furibundaque periculosum quid moliri videbatur. Casimirus rex ad nuntium tumultuantis plebis in herba turbas hasce opprimendas existimauit. Negotium sedandi tumultus demandauit Iacobo archiepiscopo et Ioan. Rythwianio, regni mareschalco, qui, vbi Gedanum aduenerunt, furorem illius plebis sedarunt, et magistratui totique ciuitati publicam conciliarunt tranquillitatem. Alia multa, tanquam pastor, praeclara opera perfecit Iacobus, ab omnibus historiarum Poloniae scriptoribus valde laudatus. Voluebatur annus a Christo nato 1480, quo intimus Iacobi amicus, IOANNES DLVGOSSIVS, notus ille historiae Polonae auctor, mortem

cum

cum vita commutauit, quem archiepiſcopus tempore autumni cum magna Chriſtianae pietatis teſtificatione ſequutus eſt. Facies ad mentum ei erat contractior, caput caluum, ſtatura infra mediocrem, et in repentinos ad iracundiam motus propenſior.

Vir pius et patiens, non longam pronus ad iram,
Qui fortis varium pertulit imperium.
Struxit ADALBERTO de marmore mauſolaeum,
Dignus, qui tantum conderet vnus opus.

SBIGNEVS de OLESZNICA, archiepiſcopus XXXIX, natus in terra Sendomirienſi, vbi nidus et domicilium heroicae Oleſzniciorum ſtirps erat, quae familia cum vltimo haerede IOANNE OLESZNICIO ſuccamerario Sendomirienſi, tum filio eius Stanislao extincta. Parentes Sbignei archiepiſcopi, quinam fuerint, ignoratur *. Primum ver iuuenile in veteri muſarum domicilio alma academia Cracouienſi literis excoluit, quaeſita comparataque extra regni fines literatura cultiori, ſacerdos Cracouienſis ſcholaſticus factus. In aula regis CASIMIRI eam doctrinae et integritatis exiſtimationem habebat, vt magiſtratu procancellarii dignus haberetur. A procancellariatu fauore CASIMIRI ad Vladislauienſem promotus eccleſiam, maturo et graui conſilio, rerum vſu ſubactus, excellebat. Pacis et foederis arbiter, quod paciſcebatur CASIMIRVS rex cum MATTHIA, Hungariae rege, negotium pacificationis dextre prudenterque abſoluit. Sectam Huſſitarum, quae in Vladislauienſi dioeceſi a nonnullis diſſeminabatur, acriori facta inquiſitione, ſuppreſſit. Tandem ad eccleſiam metropolitanam translatus, SIXTO IV, pontifice approbante, clero populo congratulante a. 1481. Mortuo CASIMIRO rege, in Lithuania a. 1492, perſolutiſque eidem iuſtis funebribus Cracouiae, mediis diebus Auguſti Petricouiae conuentus pro nouo eligendo rege indictus fuit ab archiepiſcopo, qui electum regem IOANNEM ALBERTVM, Caſimiri defuncti filium, natu maiorem, ſolenni ritu Cracouiae coronauit. Sbigneus archiepiſcopus iam grandaeuus, aqua intercute, qua iam ante conuentum electionis conflictabatur, extinctus eſt Louicii, ipſo die purificat. b. Mariae V. condito teſtamento, ſacriſque Chriſtianis procuratus a. 1493.

H 2 Magna-

* SBIGNEVS archiepiſcopus, cum SBIGNEO cardinali et epiſcopo Cracouienſi non confundendus, prout BARTHOL. PAPROCIVS in ſtemmatibus nobilitatis Poloniae hallucinatus eſt, qui Sbigneum archiepiſcopum eundem eſſe dicit, qui fuit epiſcopus Cracouienſis, et primus cardinalis Polonus, eundemque poſtmodum ad eccleſiam metropolitanam translatum. Series ipſa annorum luculenter demonſtrat, alium Sbigneum fuiſſe Cracouienſem epiſcopum et pontificis Romani purpuratum, alium Sbigneum archiepiſcopum Gneſnenſem, eiuſdem quidem nominis et originis, et propinquiori ſanguinis gradu Sbigneo Cracouienſi coniunctum. STAROVOLSCIVS in vitis archiepiſcoporum et epiſcoporum Cracouienſium, tum CROMERVS, DLVGOSSVS, MIECHOVIVS, integerrima teſtantur fide Sbigneum cardinalem Sendomiriae die I Apr. a. 1455, completis in epiſcopatus regimine annis triginta duobus, aetatis LXVI annorum mortuum fuiſſe. Cum Sbigneus vero archiepiſcopus, Gneſnenſis eccleſiae capeſſeret gubernacula, a morte Sbignei cardinalis effluxerant anni triginta ſex. Erat enim annus 1481.

Magnanimus vindex patriae pietatis asylum
Pro grege qui gessit praelia iusta suo.
Huic similem fas est vobis spectare Poloni.
Nunquam Sbigneum, qui superabit, erit.

FRIDERICVS, S. R. E. Cardinalis, princeps Poloniae, archiepiscopus XL, episcopus Cracouiensis.

FRIDERICVS, sextus CASIMIRI regis et ELISABETHAE Austriacae filius, natus Cracouiae anno 1468 d. XXVI Aprilis, a IOANNE LVTECO BRZEZIO, episcopo Cracouiensi, d. VIII Maii sanctiori vnda ablutus. Nomen accepit Friderici, rogante id enixius PROTASIO, episcopo Olomucensi, qui tum imperatoris FRIDERICI ad regem venerat legatus, et infantem de sacro leuauit fonte. Primum aetatis florem, cum aliis fratribus, IOANNES DLVGOSSVS, ephorus et moderator filiorum CASIMIRI regis, literis imbuit, et ad omnem formauit honestatem. Cumque ad vndeuigesimum aetatis peruenisset annum, sanctiorem indutum togam, exempto mortalitate IOANNE, RESSOVIO PVLKOZIO, episcopo Cracouiensi, ad eandem cathedram promouit Casimirus rex Fridericum filium. VRIEL GORCANVS, episcopus Posnaniensis, prima tonsura et minoribus eum initiauit ordinibus d. XXI. Aprilis anni 1488. Tandem patre commendante ab INNOCENTIO VIII pontifice confirmatus, illius ecclesiae capessiuit regimen anno eodem. Quadriennio abhinc, indulgente eodem Pontifice, maiores ordines eidem contulit PAVLVS BODZANTINI, episcopus Laodicensis et suffraganeus Cracouiensis, idque suasu PETRI TOMICII, illo tempore archidiaconi Cracouiensis et canonici Gnesnensis. Hic e studio Bononiensi reuersus, probitatis et doctrinae praeclarus, a parentibus Friderico, quasi parastata erat adiunctus, morum et actionum quasi censor, grauiorum etiam negotiorum, quae ad illam confluebant aulam, summus arbiter, cum titulo cancellarii. Verum quamuis TOMICII grauitas, vitaeque spectata integritas, Friderici mentem ad saniora flecteret, eoque subinde veniente, pocula, calices, quibuscum sociis suis euacuandis horas insumere consueuerat, procul auferri mandaret, nihilominus patre vita excedente, laxatis habenis in omnem effusus licentiam vitae dissolutioris non gratum reliquit odorem. IOANNEM ALBERTVM fratrem, regem Poloniae in conuentu Petricouiensi, absente Sbigneo archiepiscopo, qui IOANNI, duci Masouiae fauebat, renuntiauit, cumque paulo post cathedra metropolitana, extincto Sbigneo, vacaret, rex Fridericum, germanum fratrem impensius commendauit, requisiuitque, vt ad metropolitanam postularetur cathedram, id quod successit, ALEXANDER VI, pontifex, deinde, instante Poloniae rege, retentionem archiepiscopatus cum episcopatu Cracouiensi indulsit, insuper FRIDERICVM sacro purpuratorum patrum aggregauit collegio. Galerus tamen rubeus non nisi post biennium ab vrbe fuit missus. Acta haec anno 1493, in cuius initio, vt notarunt annalium scriptores, adeo mite limpidumque fuerat coelum, vsque ad medium Februarium, vt arbores turgerent gemmis, aues nidificarent, nouosque excluderent foetus, subsecutum deinde frigus intensum per quindecim dies, quod omnia corrupit. Anno 1494 die XXVI Augusti FRIDERICVS Gnesnam cum magno et splendido aduenit comitatu, cui VRIEL GORCANVS, episcopus Posnaniensis, pallium imposuit, quo recepto cum magna cleri populique frequentia de-

ductus

ductus Fridericus ad ecclesiam metropolitanam, ad conclaue sacri collegii processit, ibidemque iuramento consueto praestito, indutus pontificalibus ad presbyterium et cathedram venit pontificalem. Mortuo IOANNE ALBERTO rege caelibe, a. 1501 Torunii, vbi negotium cum supremo crucigerorum magistro coepit, qui iuramentum fidelitatis praestare noluit, Fridericus conuentum Petricouiae, eligendi noui regis gratia, more recepto designauit, electumque regem ALEXANDRVM renuntiauit, qui, exeunte anno 1502, a Friderico fratre solenni diadematis impositione Poloniae rex inauguratus fuit. HELENA coniunx ALEXANDRI ex Lithuania etiam venit, sed quod Graeco schismati peruicacius addicta, seque a Romana religione plurimum alienam gereret, non permiserunt Poloni, vt aliarum reginarum more coronaretur. Alexander in Lithuaniam profectus Friderico cardinali archiepiscopo fratri, vt gubernatori summam rerum in regno commisit, qui prouinciam sibi delatam cum ea prudentiae ac moderationis commendatione temperauit, vt Alexandri, rebus Lithuanicis intenti, absentiam non aegre ferrent Poloni. Tam ampla vero potestate regnum gubernabat, vt non solum nobilitati, quod tum recepti moris erat, ius diceret, verum etiam dignitates distribueret, rege hoc non improbante. ALEXANDER VI, pontifex circa ortum a. 1500, iubilaeum vniuersale publicauerat, moreque illis temporibus vsitato, pecunia, in arculas ad hoc erectas, imponebatur, arbitrio pontificis dispensanda. Cum autem Fridericus regi ALEXANDRO fratri suasisset, vt eam pecuniam pro retentorum stipendiorum solutione acciperet, eique tradidisset, indigne id tulit pontifex. Erga ecclesias, quarum sponsus fuerat, egregie fuit liberalis Fridericus. Cum in cathedra Cracouiensi annos quindecim, in Gnesnensi decem compleuisset, die Martis, quae erat 14 Martii anno 1503, in curia episcopali Cracouiae supremum obiit diem. CROMERVS in suis annalibus de vita et moribus Friderici haec memorat: „Fuit Fridericus procera statu„ra, aspectu decoro, ac dignitatis pleno, caeterum ingenio nullo, iners, ignauo otio, „crapula et assiduis compotationibus, in fumo et sordibus cum gregalibus suis qui„busdam marcescens, et ad extremum confectus est, morbo Gallico„ STANISLAVS LVBIENSKI, episcopus Plocensis, in monitis de recte gerendo episcopatu scribit: Fridericum a matre Elisabetha indulgentius habitum, muliebrique assuetum consortio, difficulter postea meliora suadentibus obsequi voluisse. Mirum est reliquos eius fratres omnes, regiis excelluisse virtutibus, hunc e contrario sacris addictum, in meliorem frugem euadere non potuisse. Sepultus est die V. Apr. ante magnum altare in basilica Cracouiensi, sub gradibus, cui SIGISMVNDVS I rex, aureum fabricari curauit mausolaeum cum hac inscriptione:

Hic Fridericus adest Casimiri clara propago
  Regis et augustae spes erat alta domus.
Namque sacer culmen cardo venisset ad altum
  Ni tantum raperet mors properata decus.
Sed dum saeua tamen voluit fortuna nocere
  Profuit, humanis cessit et astra tenet.

Hoc opus Friderico cardinali Casimiri filio, qui triginta quinque annis exactis MDIII die Martii XIV obiit, fratri charissimo D. Sigismundus, Rex Poloniae pientissimus posuit, ab incarnatione Domini M. D. X.

CLEMENS IANICIVS haec de eo ſcripſit:

Pene mihi puero, Cracouia, Gneſna, galerus
Contigit. Hei vitae ſtamina parca meae!
Eſſe decet qualem magno de rege creatum
Caeſareoque virum ſanguine, talis eram.

VI.

Traité des fievres malignes epidemiques, qui ont graſſé tant a Varſouie, que dans d'autres endroits du Royaume de Pologne etc.

hoc eſt:

Tractatus de febribus malignis epidemicis, quae graſſatae ſunt tam Varſauiae, quam aliis in locis regni Poloniae, a menſe Februario anni 1737 vſque ad menſem Septembrem eiuſdem anni, cum methodo eas tractandi curandique, per Med. Doctorem IACOBVM EMILIANVM CAMVSET, conſiliarium aulicum et Medicum Sereniſ. Regis Poloniarum, Electoris Saxoniae, bono publico dedicatus. Dresdae apud Gottlob Chriſtianum Hilſcher, bibliopolam aulicum. 1738. in 8vo ſeptem pl.

Temporibus medicina valet, data tempore proſunt,
Et data, non apto tempore, vina nocent.
Ouidius.

Lectio cum praxi, medicorum dogmata proſunt,
Nam faciunt magnos haec tria ſaepe Coos.
Auctor.

Auctor, qui fuit medicus Varſauienſis practicus, fatis iam a. 1739 functus, hoc opuſculum haud inutile edidit eum in finem, vt medicinam exercere incipientes practici in Polonia, experientia ſua, quam illo tempore hoc de morbo periculoſo acquiſiuit, vti poſſint. Nil enim magis facit doctum et felicem medicum, quam continua obſeruationum aliorum cordatorum medicorum lectio, quae magno vſui eſt omni medico, ſi ipſe doctus ſit eaque frui didicerit. Praxis enim medica ſine ſcientiis omnino fallax, incerta, ſaepiſſimeque infauſta. Quotidie fere in Polonia hoc experimur, vbi vnicuique, qui forte medicinam ſomniauit, eam in perniciem Poloniae exercere licet. Faxit Deus ter optimus, vt collegium medicum Varſauienſe, cuius ſtatuta a ſereniſſimo rege iam ſubſcripta regnique ſigillo corroborata ſunt, breui optatis omnium bonorum reſpondere poſſit. Venio ad auctorem, qui in admonitione ad lectorem eccleſiaſtici verba. Cap. XXXVIII. verſ. 15 affert: *qui in creatorem ſuum peccat, incidet in medici manus*, ſeu ſecundum verſionem vulgatam: *qui delinquit in conſpectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici*, id eſt: aegrotabit. Inde auctor aegrotos admonet vt in febribus malignis, morbis

morbis periculoſiſſimis, ante omnia ad Deum confugiant, ſacriſque muniti mediis conuenientibus vtantur *).

Auctor

*) Non poſſum non hic, ex eodem eccleſiaſtici capite, caetera quae ad medicinam pertineant, adponere, id quod eo magis neceſſarium in Polonia videtur, quo minus quam plurimi verba illa, *honora medicum propter neceſſitatem*, plane non intelligunt. Credunt quidam ſe ſatis feciſſe diuino huic praecepto, ſi medicum durante cura in honore habuerint, erga quem deinde ingrati ſunt reſtituta ſanitate, id quod e diametro huic praecepto oppoſitum. Secundum linguam enim ſanctam ſignificant illa verba: *medicum ſuis praemiis adfice, vt habeat ea, quibus opus eſt.* Adiiciam igitur duplicem verſionem eorum, quae ex ſcriptura ſacra ad medicinam ſpectant:

Eccleſiaſt. cap. XXXVIII.
Secundum verſionem vulgatam.

1. Honora medicum propter neceſſitatem, etenim illum creauit altiſſimus.
2. A Deo eſt enim omnis medela, et a rege accipiet donationem.
3. Diſciplina medici exaltabit caput illius, et in conſpectu magnatorum collaudabitur.
4. Altiſſimus creauit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa.
5. Nonne a ligno indulcata eſt aqua amara?
6. Ad agnitionem hominum virtus illorum, et dedit hominibus ſcientiam altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis.
7. In his curans mitigabit dolorem, et vnguentarius faciet pigmenta ſuauitatis, et vnctiones conficiet ſanitatis et non conſummabuntur opera eius.
8. Pax enim Dei ſuper faciem terrae.
9. Fili, in tua infirmitate ne deſpicias te ipſum, ſed ora Dominum, et ipſe curabit te.
10. Auerte a delicto, et dirige manus, et omni delicto munda cor tuum.
11. Da ſuauitatem, memoriam ſimilaginis, et impingua oblationem et da locum medico.

Eccleſiaſt. cap. XXXVIII.
Secundum verſionem *Sebaſt. Caſtellionis* ad ſenſum linguae ſanctae accomodatam.

1. Medicum ſuis praemiis adfice, vt habeat ea, quibus opus eſt: nam eum creauit Dominus.
2. Eſt enim a ſupremo medicina, et a rege ſtipendium accipit.
3. Medici ſcientia eius caput extollit, ita vt proceribus ſit admirationi.
4. Dominus creauit ex terra medicamenta, quae prudens homo non faſtidit.
5. Nonne ligno dulcuit aqua amara?
6. Ipſe ſcientia hac donauit homines, vt ſuis miraculis gloriam conſequeretur.
7. Per haec medetur, eorumque doctores tollit, ex his et compoſitiones facit ſeplaſiarius ad ſuauitatem, et malaginata ad valetudinem, nec vllus eſt eius operum modus.
8. Ea eſt ab illo per orbem proſperitas.
9. Fili, in morbo tuo Dominum orare ne neglige, et ipſe te ſanabit.
10. Amoue culpam, rectas habe manus, et ab omni peccato cor tuum expurga.
11. Obmoue ſuaues odores et ſimilaginis monumentum, opimumque libamen, et da medico locum.

12. Etenim

Auctor deinde definitione febris malignae suppeditata, quam venenum subtile et corrosiuum esse putat, quod sanguinem vel dissoluit vel coagulat, vel vtrumque simul efficit, hanc febrim ab aliis, putridis, ardentibus et continuis distinguit, quae symptomata quaedam malignitatis habent, affirmans, ipsas febres malignas non esse semper iisdem stipatas symptomatibus. Non quidem nunc auctoris definitionem impugnare in animo habeo, quae non adeo accurata mihi videtur *), sed potius signa febris malignae illo tempore Varsauiae grassantis enumerare, ex quibus docti medici forte melius, quam auctor ipse, naturam illius intelligent. Febris maligna quae Varsauiae aliisque regni Poloniae locis anno 1737 in homines grassabatur, primis statim diebus cum omnium virium iactura incipiebat, ita vt ea correptus vix erectum corpus sustinere potuerit. Aderat capitis grauitas cum dolore, mox frigus, mox calor, cum conatu vomendi. Pulsus sanguinis paruus et frequens in dissolutione, durus et lentus in coagulatione, lingua sicca fuit, cute non adeo ardente. Aegroti dormire velle videbantur, sed reuera somni beneficio destituebantur. Sentiebant calorem circa renes cum dolore, et quarta, septima et nona die delirabant, surditas superueniebat, aliquoties sub initium, aliquoties circa finem morbi. Alui deiectio fuit cum foetore intolerabili et cadaueroso, vrina ardens et rubra, aliquoties naturalis. Angustia praecordiorum aegrotos inquietos reddidit, facta respiratione difficili, lethargus, haemorrhagia cum conuulsionibus superuenere, tendines carpi concutiebantur, sudores capitis et pectoris frequentes, tandem sudores frigidi totum corpus occupabant, aegrotusque occubuit.

In sequentibus nunc auctor omnia huius febris symptomata explicat ex medicinae theoria neque male neque semper bene, in hoc etiam notandus, quod pluria symptomata in explicatione affert, quae male in descriptione huius febris malignae omisit, difficultatem vrinam faciendi, et exanthemata purpurae similia. Progreditur deinde ad describenda ea, quae ad vitae regimen hoc in morbo spectant, sat bene

12. Etenim illum Dominus creauit: et non discedat a te, quia opera eius sunt necessaria.	12. Vtpote cuius auctor sit Dominus: neue a te discedat, quum eo sit opus.
13. Est enim tempus, quando in manus illorum incurras: ipsi vero Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorum, et sanitatem, propter conuersationem illorum.	13. Est etiam, quum eis prospere succedit opus: nam et ipsi Dominum orant, vt sibi lenimentum secundet, et vitae causa sanationem.

*) Nam in febri maligna non tam venenum corrosiuum proprio in sensu, quam potius miasma causticum ad putredinem disponens in causa est, alioqui febris maligna cum peste idem esset. Illud miasma, quod non male sal causticum dicitur, in aere obuersatur et per respirationem, etiam cum fructibus horaeis corpori infertur. Male etiam b. *Camuset* dixit, venenum illud dissolutionem, vel coagulationem, vel vtrumque simul efficere. Fieri autem nullo modo potest, vt dissolutio et coagulatio simul, seu vno eodemque tempore, efficiatur, altera enim operatio alterius est destructio, adeo vt inter se pugnet, dicere, duas actiones contrarias simul adesse atque absolui posse. Debuisset igitur scribere: *Vel vtrumque temporis progressu*, seu, vt vulgo loquuntur, *successiue*.

bene omnia ſecundum ſic dictas in medicina ſex res non naturales explicans. Tandem et de cura et medicamentis ad hunc profligandum morbum docte diſſerit, licet de ſpecifico quodam medio, quod hac in febri maligna prae caeteris effectum ediderit, nil dicat, ea autem quae in medium attulit, omnibus iam veris medicis nota ſunt. Auctor ad calcem libelli duodecim obſeruationes adiicit, ex quibus tres Latinitate omni ex parte donabimus, vt eo melius methodus et medicamenta, quibus vſus eſt, intelligantur. Obſeruatio prima. Die octaua Febr. vocatus ad conuentum patrum Bernardinorum, inueni theologiae lectorem, aetatis 34 annorum, per tres dies aegrotantem, valde debilis et calor cutis ardens erat, ſanguinis pulſus paruus et frequens, cephalalgia laborabat, lingua ſubalbida, amaritudinem oris ſentiens, appetitu ciborum carebat cum conatu vomendi. Cum nulla eſſet contraindicatio, dedi ei tria grana tartari emetici cum decem granis antimonii diaphoretici et quinque ſalis abſinthii, vomuitque ſepties, quater autem aluum deiecit circa veſperam. Craſtina die eodem in ſtatu eum inueni cum dolore quodam ventris, cui clyſterem applicare iuſſi, et tribus horis poſt illius deiectionem elapſis, dedi ei tincturae bezoardicae Michaelis drachmam vnam cum dimidia, et parum ſudauit minusque quam ſperabam, pulſus ſanguinis idem erat, quam antea, et ſymptomata haud decreſcebant. Quinta die enema iterum ei dare iuſſi, quod materiam flauam in copia eduxit. Leuamen aliquod habere videbatur, ſed lingua ſicca erat et ſanguinis pulſus ſemper idem, ſomni etiam beneficio deſtituebatur. Propinaui deinde potionem quae cordi in primis conducit, de qua ſingulis horis cochlear vnum ſumſit, continuans ita ad craſtinam vsque diem. Cum viderem ſudores non apparere, morbum autem continuare, dedi duas drachmas tincturae bezoardicae cum aquis deſtillatis et citri ſucco, quo facto melius ſudauit, cumque per tres integras horas ſudore madebat, iuſſi dare ei iuſculum haud forte, de quo exiguam ſumſit portionem ob cibi faſtidium. Septima die morbi de dolore in abdomine querebatur, quam ob cauſam enema datum fuit, quod materiam flauam, ſubuiridemque educebat. Nil bibit, quam ptiſanam, et ſaepius in ore tenuit mala citri orbiculata decortata ſaccharo conſperſa, potionem, quam cardiacam dicimus, ad nonam vsque diem continuauit. Illa die quando veni ad eum, inuiſendi gratia, miratus ſum, faciem totumque corpus euaſiſſe flauum, moribundi ſpeciem habebat, valde debilis, totam per noctem inquietus, credidique vltimam aegroti veniſſe diem. Cum vero carpo manum ad obſeruandum ſanguinis pulſum admouerem, eumque magis liberum deprehenderem, vt bono animo ſit ei dixi, ac potionem, quae cordi vires ſuas impertit, continuo ſumere iuſſi. Decima die corpus magis flauum apparebat, per noctem autem quiete fruebatur. Vndecima color flauus decreſcere videbatur, poſtquam ſudauit. Duodecima, decima tertia, decima quarta, cutis priſtino colore gaudebat, iterumque dormire incipiebat, cumque tranſpiratio ſenſibilis ſuperueniret, potione ſic dicta cardiaca abſtinere eum iuſſi, ſingulis vero quatuor horis iuſculum carnis dare, quod iam non faſtidiebat. Vrina, quae antea rubra, deinde flaua fuit, nunc minus colorata deuenit magnumque ſedimentum depoſuit. Decima ſeptima decoctione Viennenſi aluum vacuaui, eique non amplius opera mea opus habenti valedixi. Vires ſuas refouit, et bene nunc valet per Dei gratiam.

Hiſtoria ſecunda. Decima octaua Aprilis celſiſſimus princeps CZARTORYSKI, Ruſſiae palatinus, vocauit me ad ſe, vt palatii ſui eiusque conclauium cuſtodem

viderem, quinquagenarium, firmae corporis conſtitutionis. Vndecima iam dies morbi elapſa erat, aliique medici ei medebantur, qui amplius eum non viſitabant. Difficilis fui, vt ſtatim venirem, nolens ob ſanitatem meam famamque in anguſtias adduci, ſed reſpectu tanti domini debui venire. Inueni aegrotum dormientem, quem ex ſomno excitare volui, quod vero fieri haud potuit. Caput parum, cum valde exagitaretur, erexit, dicens verba quaedam haud articulatim pronuntiata, delirium ſignificantia, capiteque inclinato de nouo dormiuit. Sanguinis pulſus paruus et frequens fuit, lingua mucoſa. Ante aliquot dies tria magna veſicatoria fuere adhibita, credidique hominem illum non decimam quartam diem ſuperuicturum. Ob ventris ſuppreſſionem iuſſi ei dare enema forte ſatis, addito mandato, ne dormire eum permittant, quem in finem iuſſi quam ſaepiſſime ſpiritum ſalis ammoniaci cum eſſentia caſtoris ſub naribus adhibere. Ptiſanam ex raſura cornu cerui, radice ſcorzonerae, et ſucco citri, nec non potionem dictam cardiacam cum volatilibus et caſtoris eſſentia ſingulis duabus horis propinandam ordinaui *). Duodecima, enema accepit, et ſumendo potionem cardiacam continuauit. Parum magis fuit ſomno excitatus, quam antea, ſed verba eius ſignificabant ſpirituum animalium confuſionem. Sumſit eadem medicamenta ad decimam tertiam vsque diem, qua per noctem tam multum ſudoris emittebat, vt lectus linteaque maderent. Cum viribus non omnibus deſtitutus eſſet, pulſusque ſanguinis melior, et vrina multum ſedimenti deponeret, eandem potionem, ſed non ita ſaepe, ſumere ordinaui. Bene tectus ſudabat, ac regimine diapnoico vsque ad decimam ſeptimam diem vſus ſum. Natura inuitatus dormiuit, lingua humida erat, et non niſi de pectore querebatur, quia tuſſis ſomnum impediebat. Dedi ei electuarium cum oleo amygdalarum dulcium ex ſpermate ceti **), ſyrupo de eryſimo et violarum. Breui poſtea omni ex parte ſanitatem habuit reſtitutam.

Hiſtoria tertia. Virgo religioſa, S. Mariae virginis viſitationis inſtituta profitens, viginti quinque annos nata, aegrotare coepit die ſexta Maii. Magno capitis dolore laborabat, cibos faſtidiens cum conatu vomendi, inſuper valde debilis. Primis duobus morbi diebus pulſus ſanguinis fuit paruus et frequens, non dormiebat, ardebat

*) Formula potionis cardiacae, cum volatilibus, quam auctor adhibuit, ſequens fuit:

℞. Aquae theriacalis camphorat. ℥j.	Salis volatilis viperar. ℈ij.
ſcorzonerae.	Confectionis Alcher. complet. ʒß.
card. bened. aa ℥ij.	theriacae coeleſt. ℈ß.
antimon. diaph. ſcrup. duos.	Syrup. ciberantis ℥v.
pulv. e chelis cancr. comp. ʒj.	M. f. potio.

In hoc caſu auctorem theriacam coeleſt. omiſiſſe, et eſſentiam caſtoris ſubſtituiſſe facile intelligimus.

**) Multi medici, inter quos et auctor fuiſſe videtur, quia *ſperma ceti*, Gallica lingua expreſſit: *nature de baleine*; cum melius dicere potuiſſet: *blanc de baleine*, credunt, ſic dictum ſperma ceti, eſſe ſemen balaenae, id quod falſiſſimum. Paratur enim diuerſis locis Hiſpaniae, Galliae, Noruegiae, ex pinguedine, quae cerebris magnorum piſcium marinorum, ceto non diſſimilium, adiuncta eſt, quae crebra decoctione cum lixiuio et depuratione, naturam talem ſaponaceam acquiſiuit. Vid. D. *Io. Henrici Schulzii* theſes de materia medica p. 467.





Acta litteraria Poloniæ, A. 1755. trimestre primum p. 69.

ardebat cutis, inquietudo maxima. Cum euacuata per medicamenta aluum purgantia fuisset ac per enemata, quia tenella corporis temperatio vomitorium dissuadebat, dedi ei quarta die drachmam vnam tincturae bezoardicae, vi cuius multum sudabat, morbo haud decrescente. Ob respirationem difficilem, et tussim siccam, timebam ne morbi huius venenum maius crearet periculum, quam ob causam duo vesicatoria ad brachia, vnum autem ad pedem applicare iussi, quinta die per ea multum seri excernebatur, supra dorsum autem et brachia paruae apparebant maculae coloris fusci. Sexta die respiratio facilior fuit, vesicatoria per decem dies aperta tenui, potionem cardiacam cum absorbentibus singulis horis cochlear vnum sumendam ordinaui, ope cuius transpiratio sensibilis continua fuerat. Quia somno priuata erat, sumsit circa noctem emulsionem, quae eam ad breue tempus tranquillam reddidit. Calor ne minimum quidem minuebatur, magnus autem capitis dolor ad breue tantum tempus, lingua, semper sicca, haud humectabatur, nisi ope citrei mali, cuius partem in ore tenebat. Sumsit singulis tribus horis liquorem anodynum Hofmanni, nil bibens praeter ptisanam, enemata subinde data fuere, contra capitis dolores, vsa aqua verbenae cum spiritu vini camphorato, continuans potionem cardiacam, quibus omnibus non obstantibus, morbus decem et septem dies durauit, et quamuis per totum morbi tempus transpirationem satis sensibilem habuerit, morbi tamen circa finem crisis fuit sudor abundans, qui per plures dies durauit. Tandem paulatim nutrimentis assueta bene nunc valet.

VII.

Descriptio bouis singularis cum tribus cornibus.

Tam variae, mirificae atque adeo stupendae, sunt naturae in generandis diuersis animalibus operationes, eaeque ita abstrusae, vt hactenus omnium doctissimi philosophi, parum, vel plane nihil, hac de re intelligant. Scimus quidem animalia generari, quando semen masculinum, in quo, boni microscopii ope, vermiculos viuentes innatare videmus, ad vterum feminae defertur, ibique ouula pluria, vel vnum tantum, foecundantur, per tubam Fallopianam in vterum delata, vt incrementa ibi capiant. Quomodo autem, quibusue ex causis, fiat, vt idem pater, eademque mater, plane diuersa a se generent animalia, vel foetus monstrosos, vel dissimilia membra habentes, edant, magnum est naturae mysterium, cuius intelligentiam forte nullus philosophorum vllo tempore habebit. Cognoscimus quidem et certi sumus, experientia docti, omnes illas extra ordinem generationes animalium, a matris imaginatione viuaci ortum trahere. Nihilo minus tamen sumus hanc ob causam meliora docti, nisi forte huius rei intelligentiam capere nobis persuadeamus, obscuro per obscuriora explicato. Idem manet magnum naturae mysterium, quomodo, quibusue ex causis fiat, vt sola matris imaginatione foetui membrum aliquod affingi vel auferri, vel foetus ipse in aliam plane formam mutari possit. Honesti philosophi ac sinceri est, eiusmodi in rebus magis ignorantiam profiteri, quam obscuris nugis ignorantium animos firmare. Hanc ob causam nudam tantum descriptionem bouis singularis hic adponemus, qui ob raritatem philosophorum contemplatione non indignus. Bos hic pertinebat ad illustrissimum Palatinum Kiiouiensem, STANISLAVM POTOCIVM, cuius in bonis in lucem editus, quique primum, tempore nuptiarum, cum illustriss. palatinus filiam natu maximam, illustrissimo comiti

MOSZYNSCIO regni dapifero, elocaret, monſtratus fuit. Syluestris bouis os habet, palear biſontis, et quod maximum, praeter duo ordinaria cornua, tertium in medio frontis ſuper oculos proſtans, rectum et mucronatum, prout ex adiecta figura apparet. Cornu ſingulare bouis huius trimi, dimidiam fere vlnam longum eſt, ſuperiori in parte nigrum, in inferiori autem album, coni formam habens, qui verſus ſuperiora parum incuruatus. Craſſitudo ſeu peripheria huius cornu circa baſin duas ſpithamas, hoc eſt, pedem geometricum cum aliquot digitis, ſuperat. Circumcirca cornu baſin excreti capilli ad naſum vsque defluunt, tres ſpithamas longi, circa cornu baſin nigri, infra albi. Supra naſum verrucam, ſeu potius tuber habet, circum quod excreti capilli defluentes ſpithamam ſunt longi. Circa nares videtur circulus ex capillis albus, ex armis vero capilli nigri longi dependent, caeteri ſunt vt aliis in bobus, coloris cineracei, albis maculis diſtincti. Bouis erecti cauda terram fere attingit, et varii in pedibus conſpiciuntur nodi. Teſticulos habet magnos. Cumque ſingulare hoc animal ipſe Varſauiae in illuſtriſſimi Palatini palatio viderem, baculo teſticulos eius iuſſi tangere, quo facto bos ita ferocem ſe geſſit, vt vix homo, qui eius habuerit cuſtodiam, tenere eum potuerit. Pili circa ductum vrinarium dependentes longiores etiam ſunt quam in aliis bubus. De loco deduci non poteſt, niſi duas ſecum habeat vaccas, quas ſequitur, et tali modo Varſauiam et hinc Dresdam deductus fuit, vbi inter alia ſereniſſimi regis ſingularia nutritur animalia, dono regi a palatino miſſus.

VIII.

Noua litteraria Polonica.

I. Inwentarz nowy Praw, ſtatutow, Konſtytucyi Koronny y W. X. Litew. z nayduiących ſię w szesciu Tomach voluminis legum, niegdys przez *Macieia Marcyana Ladowskiego*, odroku panskiego 1550 do roku 1683, potym przez I. W. Imci X. *Ioſefa Andrzeia Zaluskiego*, Referendarza Koronnego, z przydatkiem opuszczonych artykułow az doR. 1726 pracowicie, ychwalebnie zebrany, a teraz przez X. *Arnolfa Kazimierza Zeglickiego*, ſchol. piarum do roku 1736 z zebrainem ſtatutu kontynuowany, nową. Kart liczbą ułatwiony, y wcale dokonczony. Roku panskiego 1754. w Warszawie w Drukarni I. K. Mci y Rzeczy poſpolitey XX piarum ſcholarum.

hoc eſt:

Repertorium nouum, iurium, ſtatutorum, legumque regni Poloniae et magni ducatus Lithuaniae, quae in ſex tomis voluminis legum inueniuntur olim per MATTHIAM MARCIANVM LADOWSKI ab anno Domini 1550 ad annum 1683, deinde per illuſtriſſimum ac reuerendiſſimum dominum IOSEPHVM ANDREAM ZALVSKI, regni referendarium, cum additione omiſſorum articulorum vsque ad annum 1726 laborioſe et laudabiliter collectum, nunc autem per Reu. ARNOLPHVM CASIMIRVM ZEGLICKI, ſcholarum piarum, ad annum 1736 cum collectione ſtatutorum continuatum, nouo indice commodius redditum et omni ex parte abſolutum. Anno Domini 1754. Varſauiae ex typographia S. R. M. et reipublicae reuerend. Patrum piarum ſcholarum. In folio, octo alphabeta et 19 plagulas continens, cum dedicatione ad illuſtriſſimum atque excellentiſſimum Dominum comitem FRANCISCVM BIELINSKI, ſupremum regni mareſchallum, maecenatem et verum vtilium ſcientiarum promotorem.

Hoc

Hoc valde necessarium opus, non solum iudicibus caussarumque patronis, sed iis omnibus, quibus regni leges scire opus est, hoc est, toti numerosae nobilitati, vtilissimum, re vera est liber, in quo legum sensa sunt collecta per alphabeti ordinem, quem recentiores dictionarium, seu lexicon, dicunt. Omnes regni leges, quas serenissima respublica Polona statuit, ante aliquot annos sex tomis in folio comprehensae, typis iterum de nouo reuerendorum scholarum piarum patrum exscriptae fuere, qui magnus liber, omnia secundum temporum ordinem continens, non desideratum vsum haberet, nisi hoc multa opera confectum dictionarium in manibus nostris versaretur, in quo non solum omne id, quod iuris, breuiter annotatum, sed ad ipsas etiam regni leges quaerentem accurate remittit. Doctissimus igitur diligentissimusque reuerendus pater ZEGLICKI haud exiguam patriae dedit operam, cum ad recte administrandam iustitiam eiusmodi perfectum confecerit lexicon. Illustrissimo Domino, comiti ZALVSCIO, supremo regni referendario, maecenati Polono incomparabili maximum debet auctor, qui edendo Ladouscium maximam huius laboris partem exantlauit. Asterisci appositi nouas significant auctoris additiones, qui minus adhuc ex hoc maiori conficere promisit repertorium. Vt vero exteri ex hoc vtilissimo in Polonia libro, aliquid cognoscant, integrum eos attinens caput, speciminis gratia hic Latine ponemus:

Cudzoziemcy, hoc est, *exteri.*

Exteri neque munere publico fungi vel dignitatem in republica acquirere, neque arcem defensionis causa possidere possunt. Quod si vero haec obtinuerint, eaque praeuia admonitione non dimiserint, bona eorum publice proscripta sunt, ipsi autem infames declarati. A. 1374. Vol. I. fol. 57. §. *item promittimus*, nec non An. 1538. Vol. I. fol. 528, tit. *de alienigenis.*

Exteri, in ciuitatibus sedem fixam non habentes, non debent mercari, et praefectis, (qui dicuntur Starostae) vna cum magistratu ciuitatum, executio huius legis commissa est. A. 1565, Vol. II. f. 690.

Mercatores exteri, ius ciuitatis adepti, regi ciuitatique fidem adiurare debent, onera publica ferre ac magistratui obedientiam praestare, nulloque se priuilegio defendere. ibid.

Bona, quae in regno acquisiuere, non educere debent, sub poena confiscationis, ad quod Starostae et vectigalibus praefecti attendere debent. ibid. Si quis Cracouia, Posnania, Leopoli et Vilna facultates suas abducere velit, decima earum pars ciuitati fideliter soluenda. A. 1590. Vol. II. fol. 1346.

Exteri, qui ad emendas merces in Poloniam veniunt, ad emporia se conuertere debent, suas autem merces ciuibus ibi degentibus, vel nobilibus, vendere, nec non vias publicas consuetas circumire. A. 1565. Vol. II. fol. 683.

Exteri pecora ac boues in regno Poloniae nullo alio loco, quam in nundinis, circa regni limites, emere debent, vel hiematos saginatosque boues et pecora cornuta in domibus nobilium. ibid. plura vide sub tit. *mercatores.*

Henricus rex, nullos in Poloniam exteros adducere, neque officiis eos, neque bonis, donare se obstrinxit. Ex pact. conu. 1573.

Stephanus rex, pariter officia publica vtriusque nationis exteris deferre non debuit. A. 1576. Vol. II. fol. 900.

Idem in ſic dictis pactis conuentis regis Sigismundi III. repetitum, qui etiam ad cuſtodiendum corpus milites ſuſcipere exteros haud debuit. A. 1588. V. II. f. 1099.

Quod ſi vero exteri officia, bona, vel caduca *) obtinuerint, tunc ea tanquam vacantia conſideranda, et viris vtriusque nationis bene meritis danda, conſcio regni ſenatu A. 1607. Vol. II. f. 1598. Iudicium in his cauſis cum exteris pertinet ad regni tribunal.

Exteri, qui vi legum circa regem eſſe poſſunt, negotiis reipublicae ſe non immiſcere debent, ſin minus ad inſtantiam vniuscuiusque coram regni tribunali citentur, et ex peculiari catalogo *criminaliter* iudicentur. A. 1669. Vol. V. fol. 14.

Exteri, legati ac miniſtri reſidentes in exterorum aulis eſſe non poſſunt a republica dependentes, niſi ſoli nobiles Poloni A. 1662. Vol. IV. f. 840.

Exteri non nobiles Poloni, in Pruſſia Polona bona nobilium ementes, tenentur intra tres annos ea vendere ſub poena confiſcationis. A. 1589. Vol. II. fol. 1270.

Exteri neque credendo pecuniam, vel alio modo, neque reſcripti vel decreti ope bona terreſtria poſſidere poſſunt. A. 1669. Vol. V. fol. 15.

Exteri, iure indigenatus Poloniae non donati, non ad capitulum Varmienſe, et generatim ad nullam eccleſiam cathedralem et collegiatam, admittuntur, exceptis quatuor, quas dicunt, praebendis pro doctoribus. A. 1669. Vol. V. fol. 17.

Tempore interregni nulli proceri, plures quam nouem exteros, et quidem ſeruos, ſecum habere permiſſum eſt. A. 1586. Vol. II. fol. 1051.

Nullo plane modo licitum eſt exteros ad electionis campum adducere, vel ſecum habere, quique hanc legem violat, patriae hoſtis declaratur. A. 1587. Vol. II. fol. 1063.

Exteris prohibetur cum principibus exteris vel inimicis patriae, literarum commercium habere, vel legati munus ad eos obire. A. 1717. Vol. VI. f. 270.

Hungari in ciuitatibus regiis domum ſine regis conſenſu poſſidere non poſſunt. A. 1593. Vol. II. fol. 1408.

Exteri, cuiuscunque ſint dignitatis, ad negotia reipublicae admitti non debent, neque officia publica ſuſcipere, neque praefecturas, vel bona haereditaria poſſidere, exceptis iis, qui de rege bene meriti, reſpectu bonorum, quae Woytoſtwa * dicuntur, quae ſecundum leges obtinere poſſunt. A. 1733. Vol. VI. fol. 625.

Tantum de exteris, quod fuſius in ipſo volumine legum dicitur. Non eſt quod mirentur exteri, hic obſeruantes, ſe in Polonia ita quaſi coanguſtatos eſſe, eorumque libertatem ſic circumſcriptam. Dicent forte, quid cauſae ſubeſt, vt exteris tam pauca in Polonia concedantur, cum caeterae in Europa nationes omnes certatim operam dantes extraneos magnis priuilegiis inuitent. Dicam veram cauſam. Nobilitas in Polonia, a qua leges ſanciuntur, extra ordinem numeroſa eſt, et plurimi nobilium ea adipiſci haud poſſunt, a quibus exteri excluduntur. Quod ſi igitur exteri iisdem cum indigenis gauderent iuribus, vel facile iure indigenatus donarentur, breui indigenas de bonis, pecuniarum vi iis acquiſitis, depellerent. Poloni ergo ſapienter fecere, vt ea, quibus ipſi opus habeant, pro ſe retinuerint, cum quilibet proximus ſibimet. Artifices autem et opifices, regiis in ciuitatibus degentes, iisdem, cum

*) Caduca ſunt in Polonia bona eorum, qui nullo relicto haerede, deceſſere, quaeque ſereniſſimus rex priuilegii ope donat, cui velit.

cum indigenis ciuibus, iuribus vtuntur. Exteri altioris dignitatis in exercitu milites similiter cum indigenis promouentur. Docti viri et in primis medici felices bonae famae et dignitatis, pariter a Polonis proceribus in honore habiti, omni humanitate et protectione suscipiuntur, praemiis quoque, si de Polonia bene mereant, afficiuntur. Extraneus ipse hoc de me gloriari possum, celsissimum principem IABLONOVIVM, palatinum Nouogrodiensem, illustrissimum comitem MALACHOVSCIVM, supremum regni cancellarium, et illustrissimum comitem ZALVSCIVM, regni referendarium praemiis me affecisse, protectionem autem atque humanitatem multorum aliorum procerum expertus sum, quibus Poloni mei ita me sibi obstrinxerunt, vt officia etiam exterorum principum haud spernenda mihi oblata hactenus recusarim. Quod superest serenissima respublica multos exteros nobiles, qui vel gladio vel calamo bene de ea meruere, iure indigenatus donauit.

II. Nauki o istocie Roznicy i granicach dwoch władz, to iest, duchowney i swieckiey, napisane przez oyca de la Borde, oratorii Iesu, po smierci iego wydane, a teraz po Polsku z Frankuskiego dla wygody wszytkich przetłomaczone. MDCC.LIII.

hoc est:

Doctrina de essentia, differentia et limitibus duarum potentiarum, spiritualis et secularis, auctore patre de la BORDE, oratorii Iesu, opus posthumum. Nunc ex Gallica lingua in Polonam translata in vsum vniuscuiusque. 1753 in 8uo. 12 plagulae.

Liber hic vtraque lingua typis exscriptus, Gallica originali et Polona ad hanc expressa, e regione adiecta, elegans atque accurata. Auctor hoc in libello per argumenta varia cohaerentia demonstrat, ecclesiam, seu christi instituta, vi cogente, vero et proprio in sensu, carere, ideoque principes omnino ius habere inquirendi in actiones sacerdotum dum sacris suis muneribus perfunguntur. Inde concludit, iudices seculares simul ob denegata moribundis sacramenta posse iudicare. Hic libellus nostris temporibus vtilis et necessarius, iussu et sumtibus illustrissimi comitis FRANCISCI BIELINSCII, supremi regni mareschalci, impressus fuit, qui, cum ei reipublicae salus curae cordique sit, multum iam literas in Polonia iuuit.

III. Fundamenta scientiarum, seu principia et axiomata, partim philosophica, partim theologica, suis explicationibus illustrata a M. IACOBO PAVLO RADLINSKI, Polono, S. Theol. Doctore, eiusdemque nuper in conuentu Cracouiensi ad S. Heduigim professore, nunc autem ordinis canonicorum regularium, custodum sacrosancti Hierosolymitani sepulcri praeposito generali infulato. Cracouiae, typis Michaelis Dyaszewski, S. R. M. typographi. Anno Domini, 1753. a canonizatione autem S. Stanislai martyris, et episcopi Cracouiensis, seculo quinto. in 4to. duo alphabeta. Quae in hoc opere inueniuntur, optime intelligimus, ex praefatione reuerend. auctoris dicentis sequentia: *Certum volo esse amicum lectorem, quod hic nullas subtilitates, vel nouitates inueniet, sed tantum ea, quae videbantur planiora, et vsitatiora, eaque non intendo proponere consummatis et perfectis philosophis, vel theologis, sed tyronibus et incipientibus.*

IV. Historiarum Poloniae ab excessu VLADISLAI IV, ad pacem Oliuensem vsque Libri IX, seu annales regnante IOANNE CASIMIRO, Poloniarum Sueciaeque rege, ab anno MDCXLVIII vsque ad annum MDCLX auctore LAVRENTIO IOANNE

NE RVDAWSKI, equite Polono, cathedralis ecclesiae Olomucensis canonico, sacrae caesareae maiestatis ac serenissimi Leopoldi Guilielmi archiducis Austriae consiliario. Ex manuscripto celeberrimae bibliothecae Zaluscianae edidit, notas, vbi opus videbatur, et historiam in compendio ab anno MDCLX vsque ad annum MDCLXVIII adiecit ac praefatus est LAVRENTIVS MIZLERVS, etc. cum serenissimi regis Poloniarum priuilegio. Varsauiae et Lipsiae Anno MDCCLV. sumptibus Mizlerianis. in fol. VI alphabeta et duo pl. cum dedicatione ad serenissimum ac potentissimum Poloniae regem AVGVSTVM III. De hoc praestantissimo opere, eiusque contentis vide partis I. sect. IV. bibliothecae Varsauiensis, quo tempore bibliothecae Zaluscianae manuscriptum adhuc fuerat, nunc quid hac editione praestitum sit, in sequentibus dicemus.

V. Compendium legum ex statuto et constitutionibus regni Poloniae, quae videlicet tantum ad continuum vsum iudicantium et litigantium requiruntur, ex farragine legum per alphabetum ad annum 1736 excerptum, auctore MATTHIA GLISZCZYNSKI, notario terrestri palatinatus Calissiensis. Calissii, typis S. R. M. collegii Karnkouiani, soc. Iesu, a. 1754. in 4to, 1 alphab. 6 pl.

VI. Iournal literaire de Pologne, contenant un recit exact des livres nouvellement publiés dans ce pais, avec plusieurs remarques vtiles et curieuses. Tome premier. A. MDCCLIV.

hoc est:

Diarium litterarium Poloniae, continens narrationes exactas de libris nuper in lucem editis hoc in regno, cum pluribus annotationibus vtilibus et curiosis. Tomus primus. A. MDCCLIV, in 8uo. decem et octo plagulae. Summa capitum sequens. I. Liuonia antiqua et hodierna, auctore illustrissimo Dom. de HYLSEN, castenano Liuoniae, nunc palatino Minscensi. II. Historia Poloniae, regnante Sigismundo I. et Sigismundo Augusto, auctore GÖRNICKI, praefecto praefecturae Tykoczynensis. III. Dialogus de electione, libertate, legibus et moribus Poloniae, auctore eodem. IV. Tacitus Polonus, seu doctrina moralis de adulatione, auctore principe IABLONOVIO, palatino Rauensi. V. Tractatus de Heraldica, auctore reu. patre KOLA. VI. Legatio comitis LESCINII, palatini Lencicensis, ad portam Ottomannicam, auctore FRANCISCO POKLOTECKI. VII. Noua litteraria Poloniae. Auctor huius operis est Dom. FRIESE, supremi nunc regni mareschalci secretarius, vir ingenuus, diligens, et in rebus Polonis, praesertim historicis, licet sit exterus, non indoctus. Optandum vt sincerus auctor hoc institutum continuasset, aliamque elegisset linguam, in qua elegantius scripsisset. Cum autem auctor sit natione Germanus, Galli litterati obuenientibus germanismis facile veniam dabunt, multo minus errata typographica, haud rara, ei imputanda sunt, opere absente auctore impresso. Multa vtilia dixit auctor, et quaedam prae caeteris memoria digna, quae vero a nonnullis sinistre interpretata fuere. Et hanc ob causam auctor forte credidit, melius esse in Polonia tacere, quam scribere, cum ea scriptorum in Polonia sors sit, vt veritatem dicendo semper plures sibi inimicos, quam amicos, comparent.




LAVRENTII MIZLERI

ACTA LITTERARIA REGNI POLONIAE ET MAGNI DVCATVS LITHVANIAE

A. MDCCLV.

PVBLICATA

TRIMESTRE SECVNDVM.



CVM SERENISSIMI REGIS POLONIARVM PRIVILEGIO.

VARSAVIAE ET LIPSIAE,
TYPIS MIZLERIANIS.

SVMMA CAPITVM.



I.

De comitiis regni Poloniae generalibus, origine, progreſſu et catalogo omnium, quotquot vnquam cum ordine equeſtri celebrata ſunt, cum actis et ſucceſſu eorum, deque dubiis et defectibus conſtitutionum et ſtatutorum regni, commentatio breuis et ſelecta. Ex collectaneis DAVIDIS BRAVNII, S.R.M. Pruſſiae Conſiliarii. Anno MDCCXXII. Coloniae typis Theodoti Brabei. in 4to.



Comitia generalia regni Poloniae, in quibus rex cum ſenatu et officialibus ſuis prouincialibus de republica conſilia habuit, diu fuerunt in vſu, ſed quod plebi nobilitatis, (quo verbo tunc ab equitibus, officialibus, baronibus, ſub titulo gregariorum militum, diſtinguebantur, de quo latius alibi) ad comitia accedere permiſſum ſit, hoc demum cum initiis libertatis et praerogatiuarum eius, fere a morte CASIMIRI magni coepiſſe conſtat. Emortua enim ſtirpe maſcula Piaſtorum, a CASIMIRI Succeſſore, LVDOVICO Hungaro, tanquam extraneo, magnae libertates ratione tributorum, regi debitorum, ſtipulatae fuere. Nobilitatem vero Polonam iam olim cum palatinis ſuis, ad comitia eligendorum principum et regum conuolaſſe, nemo, qui hiſtoriam gentis inſpexit, negabit, ſed absque iure ſtatus, ſub directione palatinorum et caeterorum officialium prouincialium deſideria ſua ingeſſit nobilitas, nec quicquam diſponens, vel ſciſcens. Ad negotia enim publica ſententias ſuas ante tempora Iagellonidum expedire, nullam facultatem habuit, vt quae a ſolo rege cum ſenatu expediebantur. Sub ipſo adhuc VLADISLAO IAGELLONE,

 et

et filiis eius, ordo ille equeſtris, tantum ad cuſtodiam et praecautionem libertatum recenter acquiſitarum, intereſſe coepit conuentibus regni, absque vocatione regis accurrens. Anno 1404. demum, ex inſolito caſu, quod idem rex crucigeris, pro liberatione terrae Dobrynenſis, magnum aes deberet, quandoquidem priuilegiis LVDOVICI regis, et ſuis ipſius, nobiles a tributis liberi pronunciati eſſent, neque tamen ordinarii regni prouentus aeri tanto ſoluendo ſufficerent, pro eo extra ordinem colligendo, conuentus particulares vniuerſae nobilitati per prouincias conceſſit. Ex quibus conuentibus prouincialibus deputatos nuntios ſuos ad comitia regni generalia KORCINVM miſerunt, qui collationem eam a nobilibus, officialibus a regiis perſuaſis, duodecim videlicet groſſorum de quolibet *laneo* ſiue manſo, laudatam et acceptam eſſe, ſed pro ea tantum vice, ſaluis in futurum priuilegiis ſuis, coram rege et ſenatu declararent. Quae omnia ex DLVGOSSI, aetati illi proximi, relatione Lib. X, ad an. 1404 euidentia ſunt, quocum et CROMERVS conſonat, addens Lib. XVI. „*particulares conuentus prouinciales tunc primum* „ *haberi, propter rem nouam coeperunt* „ Poſtea in famoſo diplomate illo, vnionis magni ducatus Lituaniae cum regno Poloniae, vna cum ſingularibus priuilegiis et indultibus, nobilibus Lituanis in HRODLO anno 1413 dato, idem rex VLADISLAVS, ſtatibus Lituaniae, LVBLINI vel PARSZOVIAE, cum Poloniae ſtatibus, quoties pro commodo ipſorum viſum ipſis fuerit, conuenire, facultatem conceſſit. Qui tamen conuentus, ſenatoribus et officialibus, non nobilibus, magisque ad retinendam in vnione Lituaniam, quam ad alia quaeuis negotia reipublicae tractanda pertinuit. SARNICIVS enim annal. lib. VII. p. 349 recte de conuentu illo ait: „*nuntiorum terreſtrium vſus tunc nondum obtinuit, officiales enim* „ *terreſtres munus eorum ſupplebant.* „

Sub imperio CASIMIRI III Iagellonidis autem, cum ob diuturnum bellum Prutenicum cum crucigeris, ad tributa extra ordinem ſaepius recurrendum eſſet, tandem anno 1469, ex ſimili neceſſitate placuit, vt ex ſingulis palatinatibus minoris Poloniae bini deputati ad comitia regni Petricouienſia mitterentur, qui decernendi modici tributi cum caeteris nuntiis ex maiori Polonia facultatem prouincialium ſecum afferrent. „ *Hoc itaque tunc primum coeptum, ſic inoleuit poſterioribus temporibus, vt* „ *ſine illis legatis, ſiue nuntiis terrarum, nulla comitia legitima haberentur,* „ *neque tributum decerni, ac ne lex quidem vlla ferri poſſe videatur* „ Sunt verba CROMERI Lib. XXVII.

Inua-

Inualuit igitur ab eo tempore mos particularis conuentuum, et ex iis mittendi nuntios terreſtres, hoc eſt, deputatos prouinciales, ad comitia regni generalia, quorum numerus tamen, et loci, vbi nobiles in prouinciis ſuis conuenirent, demum a SIGISMVNDO I rege, annis 1515. 1520. 1522. et 1540 definitus fuit, quod ex Vapouii fragmentis ad an. 1522 et ex ipſis ſtatutis SIGISMVNDI I legimus. Sed in forma querelarum deputati ex conuentibus prouincialibus, negotia ſua et quae ſalutem reipublicae tangere ipſis viſa, in comitiis regni generalibus ad regem deferre, de tributis quoque conſenſum, vel diſſenſum, ſuorum prouincialium declarare, aſt nulla poteſtate conſultoria ſententias dicere, tanto minus intercedere, vel vetare potuerunt. Inſigne exemplum DLVGOSSVS Lib. XIII. ad a. 1459 habet, ne RITWIENSCIO, capitaneo Sendomirienſi, deputato nuntio, terrarum Cracouienſium et vniuerſi regni nomine, vitia regnandi et damna reipublicae, in comitiis Petricouienſibus, libere, ſed quod expreſſe additur, petitionis et querelae forma regi proponente. Qui cum collegis nuntiis caeteris coram concilio regis et Senatus ſtantes reſponſionem regiam exceperunt, verbisque et promiſſis acquieſcentes obedientiam regi ſuam teſtati ſunt. Certe hoc rege imperante nulli nuntii terrarum vnquam ad negotia reipublicae comitialia vocati, niſi pro tributis, nec nobiles prouinciales aliter, quam per officiales et capitaneos ſeu praefectos, grauamina ſua detulerunt. In ſubſcriptionibus igitur ſtatutorum, a rege CASIMIRO III conditorum, nuſquam apud LASKIVM nuntiorum terreſtrium fit mentio. Sed cofirmatio ſtatutorum anteceſſorum eius regum, in comitiis Petricov. an. 1451 expedita, fol. 82 - 87 ita ſubſcripta: *Nos Sbigneus* etc. *caeterique praelati et barones, dignitarii nobiles et proceres, in hac conuentione generali congregati.* Verum in confirmatione huius ipſius ſtatuti, a rege IOANNE ALBERTO, in comitiis Petricouienſibus a. 1496 facta, iam apud Laskium fol. 96 legitur: *praeclarorum Baronum, nuntiorum de ſingulis terris hic congreſſorum, vniuerſorum conſilio et voluntate confirmandum duximus et confirmamus.* Eandem formam poſtmodum ALEXANDER rex, in conſtitutione a. 1504. et ſequentibus, preſſe ſeruare, atque nuntiorum terreſtrium conſenſum neceſſarium ad leges ferendas declarare, coactus fuit. Vnde error SARNICII, lib. VII. annal. p. 368 facile patet, qui nuntiorum terreſtrium ex prouinciis ad comitia regni mittendorum inſtitutionem anno 1462 factam contendat. HERBVRTVS vero pag. 467, altius, quam ad haec comitia Petricouienſia anni 1496 aſcendere non potuit.

Idcirco SIGISMVNDVS I rex, in ftatuto fuo a. 1538, de nouis conftitutionibus, fine confenfu fenatus et nuntiorum terreftrium non faciendis, ad illud ALEXANDRI ftatutum prouocauit. Hinc CROMERVS Lib. II defcript. Poloniae, poft medium, recte ait: *Pofteriore tempore, hoc eft, auorum fere noftrorum memoria, cum vniuerfa nobilitate et vna ciuitate Cracouienfi, communicata funt comitia, coeperuntque adhiberi legati nobilitatis, fiue nuntii terrarum, principio quidem vnam ob rem, nempe fcifcendi in bellum tributi caufa. Deinde vero, cum fiue incuria principum, fiue confiliariorum conniuentia, multa negligi et nobilitatis praerogatiuae minui viderentur, ad alias etiam confultationes de republica accedere coeperunt, non vt confiliarii, fed vt monitores principis et confiliariorum, ceu cuftodes libertatis et praerogatiuarum nobilitatis ac legum publicarum.* Horum itaque nuntiorum terreftrium poteftas a tempore IOANNIS ALBERTI regis, pedetentim creuit, donec SIGISMVNDI I regis nimia lenitas, qua ad retinendas habenas imperii remiffior, maieftatem cum illis nuntiis, incautus publica lege a. 1510. communicaret. Nam in violatores nuntiorum terreftrium difertis verbis crimen laefae maieftatis pronunciauit. Hanc ob caufam CROMERVS Lib. XXVII cum fummo dolore et augurio fequentia fcripfit: *poteftas*, inquit, *inftar tribunitiae apud Romanos, vel ephororum apud Lacedaemonios, effe coepit. Qui tantum fibi noftra tempeftate arrogare coeperunt, vt nullam rem grauem iniuffu fuo decerni a rege et fenatu, aut fieri vellent, et in fenatum atque regem ipfum cenfuram grandi fupercilio fibi fumerent. Aluerunt autem eorum hanc licentiam, eoque magnitudinis fenfim prouexerunt, partim reges, multa ipfis indulgendo, inopiae fifci fui, fiue quieti et otio confulentes, partim potentiores et factiofi proceres, certatim eos prehenfare et quafi tibias inflare, quocunque libuiffet incitare foliti. Metuendum vero, ne infinita illa poteftas; et in licentiam prorumpens libertas, proftrata et euerfa regia maieftate, ac auctoritate fenatoria, fummam reipublicae confufionem, et exitialem anarchiam aliquando pariat, aut certe graui et acerba tyrannide finiatur.* Prudentiffimi fane ac moderati Polonorum femper quefti funt, quod abufus tribunitiae tantae poteftatis inde profluat, quia nullis legibus circumfcripta, aut vllis limitibus definita fit, atque ius hocce vetandi, non vniuerfo ordini equeftri eiusdemque legatis collectim, fed fingulis nuntiis, afferatur.

Primum exemplum ruptorum comitiorum generalium regni, fub SIGISMVNDO I, a. 1536, alterum mox fub eodem, a. 1545 contigit, non fane nuntii alicuius contradictione et voce vetandi, fed a toto ordine equeftri

equeſtri, factionibus ſenatorum excitato. Ita enim BIELSKY verba Polonica de his comitiis, exſcriptor eius NEVGEBAVERVS Lib. VII. p. 563, vertit: *comitia Cracouiae indicta, ob ordinum ſtudia diuerſa, inque factiones ſciſſa, nullo operae pretio facto ſoluta ſunt.* Sic ſub SIGISMVNDO AVGVSTO rege, a. 1548. et 1550, comitia, diſceſſione plerorumque ordinum ſenatorii et equeſtris, ſine concluſione irrita facta, referente eodem BIELSCIO. Porro de comitiis, a. 1582, Varſauiae a STEPHANO rege congregatis, et ob ſeueritatem regis in nobiles homicidas et aliorum bonorum raptores, a nuntiis deputatis, ruptis, ita NEVGEBAVER ex Bielſcio loquitur: *nuntii in propoſito ſuo* (auocandi ſcilicet cauſas nobilium a rege) *perſtiterunt, et per complures dies diſputatione extracta, frequenter in conſilio ſuo tumultuati ſunt. Sic totum tempus, comitiis deſtinatum, conſumptum ac tandem rebus infectis et pendentibus diſceſſum.* Adeo neque tunc publice a nuntio aliquo ſingulari, vetandi voce, comitia ſoluta fuerunt. Sub SIGISMVNDO III, vsque ad annum 1615, ſeptem comitia rupta fuere, ſed ſingula totius ordinis equeſtris commotione et diſceſſu, relictis ſemper in ſuo vigore iam ſancitis ordinum ante diſceſſionem, praeſertim tributorum Scitis. Anno vero 1652, vnus nuntius Lituanus hoc primus auſus eſt. ZAWADSKI, caſtellanus Culmenſis, in hiſtoria ſua arcana p. 93, ex ſententia NOWOMIESCTI, nuntii Rauenſis, prouocat ad legem a. 1667. quaſi expreſſa eius vi ac diſpoſitione, vnius intercedentis nuntii proteſtatione, nulla caeteris collegis ordinibusue, in comitiis relicta ſit actiuitas. Enimuero in conſtitutione iſtius anni, imo in nulla alia ante vel poſt lata, ſingulis nuntiis nobilium, tale ius tribunitium conceſſum vel approbatum legi poteſt. Praeter toties enim repetitam ſecuritatem nuntiorum ad conſilia publica venientium et abeuntium, parem ſenatoribus et miniſtris ſtatus regni, hoc eſt, ſacroſanctam, in illis quoque annorum 1659 et 1667 nihil de nuntiorum poteſtate et iure vetandi conſtitutum eſt. Cum denique in conſtitutione a. 1690, omnes anteriores conſtitutiones, de ordine comitiorum, articulatim repetitae ſimul collectae ſint, de iure tamen vetandi, quod ſingulis nuntiis competat, nulla omnino inſerta eſt diſpoſitio. Quocirca ex hactenus deductis concludere licet: de ſcripta lege, toti equeſtri ordini ac collegio nuntiorum eius vniuerſo, omnino, ſi quid contra patriae ſalutem, innouationem iuris communis publicae priuataeque libertatis, et praerogatiuarum conuulſionem fieri viderint, talia, voce ſua vetandi, impediendi prouiſum eſſe. Sed quod fere cum initio ſaeculi decimi ſeptimi, ſinguli nuntii plenam illam libertatem vetandi ſibi arrogare coeperint,

nec tamen, niſi gregatim, plures ſimul, exercuerint, donec a. 1652. vnus nuntius Lituanus ſolus proteſtatione ſua, tota comitia muta, et in omnibus etiam, ante ruptionem, deciſis ac ſcitis, otioſa reddere auſus fuit, hoc omnino absque lege expreſſa, cum euidenti pernicie conſiliorum publicorum, regibus et ſenatui a factioſis primum extortum, nunc ipſo violento et adulto iam abuſu in ius aliquod ex conſuetudine inualuit.

Quam ſaepe et quam acerbe magni aut docti quoque Poloni, in ſcriptis ſuis, cumque iis omnes, tam inclyto regno bene cupientes, tanto abuſui libertatis indoluerint, magnaque mala, denique inuerſionem ſtatus, ex hoc morbo comitiali, patriae ominati fuerint, non attinet exſcribere, chartasque planctibus onerare, cum legenti hiſtoricos et politicos ſcriptores Polonos, paſſim et vix non in ſingulis libris querelae huiusmodi occurrant. Vnius ex recentioribus KOCHOWSKI luculenti hiſtorici, verba hic adduxiſſe ſufficiant, qui climact. I. Lib. V. p. 313 „*vidimus*, inquit, *toties irritos conuentus malo publico diſſolui, et vniuerſorum ſalutem pendere ab vnius ciuis arbitrio, qui ſi orator adoleſcentulus, aut ambitu, vel rei priuatae ſtudio actus auarus ſenex, nullo ſucceſſu comitia diffluere, et irrito iam Sancitorum omnium valore abire ordines coguntur. Proh amentiam! Deus aut priſcam Polonis mentem, aut efficax aliquod elixir periculoſae huic libertati exhibeat!*

Hucvsque DAVIDIS BRAVNII verba fideliter retuli, qui in rebus Polonis, hiſtoria et iure publico olim fuit verſatiſſimus. Antequam autem ea quae ad Braunii ſententiam dici poſſunt, adiiciam, opus videtur magni auctoris * verba eadem de re inſerere ex libro: *Glos wolny Wolnosc ubespieczaiecy*, hoc eſt: vox libera libertatem ſecuram reddens, ibi haec p. 74 dicuntur:

Mowięc ieszcze de ſecuritate conſiliorum, niech mi ſię godzi examinowac liberum veto, ktore per abuſum confundimus, cum poteſtate ſiſtendi actiuitatem lubo wielka oboyga roznosc. Bo liberum veto ieſt fundament ſtatus noſtri, ktory wtym eſſentialiter conſiſtit, zewszyſtkie ſancita niepowinny bydz

Dicens adhuc *de ſecuritate conſiliorum*, licitum ſit mihi examinare *liberum veto*, quod *per abuſum confundimus cum poteſtate ſiſtendi actiuitatem*, licet valde inter ſe differant. Nam *liberum veto* eſt fundamentum ſtatus noſtri, quod in hoc *eſſentialiter conſiſtit*, vt omnia *ſancita* non debent vim legum acquirere

* Regis STANISLAI, Ducis Lotharingiae.

ſtanowione, tylko nemine contradicente, co ſacroſanƈte obſerwowac powinnismy. Tę wolnosc kontradykowania zowiemy, liberum veto, ktore nigdy nie prowinno extendi, ad ſiſtendam aƈtiuitatem; bo co by to za deſpotica poteſtas była party ku larnego obywatela, zamknęc gębę całemu wolnemu narodowi, yodięc authoritatem radzenia o ſobie całey Rzeczy poſpolitey: Przyznam się ze wartuięc konſtytucye, zda mi ſię, ze nie znalazłem zadney a condita Republiea, zeby wolno było zerwac ſeym, albo ſeymik, albo ſiſtere aƈtiuitatem.

quirere tantum *nemine contradicente*, id quod *ſacroſanƈte* nos obſeruare oportet. Hanc libertatem contradiƈtionis appellamus, *liberum veto*, quod nunquam debet *extendi ad ſiſtendam aƈtiuitatem;* qualis enim *deſpotica poteſtas* eſſet priuati ciuis, toti liberae genti os claudere, et vniuerſae reipublicae *auƈtoritatem* conſilia inter ſe communicandi adimere. Profiteor me euoluentem conſtitutiones regni, nullam, vt mihi videtur, inueniſſe *a condita republica*, vt liberum ſit comitia rumpere, vel comitiola, vel *ſiſtere aƈtiuitatem*.

Qui in rebus ſtatus regni Poloniae, vel mediocriter, verſatus eſt, ſequentia dicet ad ea, quae DAVID BRAVNIVS, liberum veto quod attinet, Scripſit: Verum eſt, quod nulla in conſtitutione regni, expreſſis verbis, liberum veto, libertatis Polonae fundamentum, ad ſingulos nuntios terreſtres extendatur, ſed nemo etiam negare poteſt, vſu id, et tacita reipublicae lege, ad ſingulos in comitiis nuntios fuiſſe extenſum, quod hoc vnico, ſed grauiſſimo, argumento probatur. Quando, vt ſaepius faƈtum, nuntius terreſtris ex comitiis cum proteſtatione abiit, et ſic comitia irrita reddidit, ſeu rupit, tunc caeteri nuntii, cum ſereniſſimo rege et ſenatu, potuiſſent talem nuntium punire, ſi contra legem fuiſſe putaſſent. Hoc autem cum nunquam faƈtum fuit, eo ipſo *liberum veto*, ad ſingulos comitiorum nuntios, tacita lege et vſu, fuit extenſum. Caeterum multi, exteri inprimis egregie falluntur illi, qui ſibi perſuadent, in vnius nuntii libitu poſitum eſſe, toti liberae genti os claudere, vel vniuerſae reipublicae, auƈtoritatem, conſilia inter ſe communicandi, adimere. Nullum in tota hiſtoria Polona extat exemplum vt vllus vnquam nuntius ex ſolo vetandi pruritu id facere auſus ſit, et ſi forte quis in ſuſpicionem eiusmodi vetandi pruritus inciderit, in exiſtimationis atque adeo vitae diſcrimine verſabatur, et mox conſentire coaƈtus fuit. Ii autem, qui comitia ruperunt, ſemper potenti faƈtione fuerunt fulti, et nil habuerunt, quod timerent. Sic nuntius ille Lituanus, qui regnante

IOANNE

IOANNE CASIMIRO primus ſolus comitia a. 1652. rupit, nomine SICINSKI, non id ad ſuum, ſed IOANNIS ducis RADIVILI, cuius erat familiaris, et CHRISTOPHORI OPALINSKI, palatini Posnanienſis, arbitrium egit, vt Rudauſcius in annalibus IOANN CASIMIRI, p. 100 nos docet. Sic comitia aliis temporibus eandem ob cauſam, nempe ob factiones procerum, rupta fuere. Ideo miror, tam multos ſcriptores, Polonos etiam, ſcripſiſſe, quod vniuerſorum ſalus in Polonia ab vnius ciuis pendeat arbitrio, quod omnino, conſideratis rebus circumſtantibus, falſum eſt. Proceres potentes in Polonia eodem modo, ac id Romae olim fuerat, tribunitia potentia et vtuntur et abutuntur, vt IVLIVS CAESAR et POMPEIVS, ope tribunitiae poteſtatis ſimultates primum exercebant, ex quibus mox belli inteſtini initium natum, quod tandem interitum libertatis Romanae effecit. Ne autem eadem ratione libertas Polona ita facile periclitari poſſit, Rex in cauſa eſt, qui patriae pater maieſtate ſua intercedit, omniaque ita temperat, ne factiones potentes male ſibi inuicem facere poſſint, cuius in manibus ſemper efficaciſſima ſunt ad hoc efficiendum media. Ex hoc facile intelligitur libertatem Polonam vero in ſenſu, tranquillitatemque publicam, eo eſſe ſecuriorem, quo Rex caeteris paribus potentior. Exempla regum haud potentum, IOANNIS CASIMIRI et MICHAELIS, quorum ſub imperiis omnia turbulenta et miſera erant, hoc etiam probant.

Cum BRAVNIVS vtiliſſimum indicem omnium comitiorum regni Poloniae, a tempore, quo nuntiis terreſtribus nobilitatis, facultas in comitiis de quibusuis negotiis reipublicae cum rege et ſenatu conſentiendi, conceſſum fuit, magno labore confecerit; in vſum Polonorum ex terorumque hic eum, usque ad regem Sigismundum III, adiiciam:

Catalogus comitiorum regni Poloniae.

IOANNE ALBERTO rege.

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
1496.	Petricouiae.	integra.	Confirmatio ſtatutorum parentis et alia noua cum ſenatu et nuntiis terreſtribus ſancita apud Laskium fol. 96, 110.
1499.	Vilnae.	integra.	Status Lituani ſolam Lituaniae vnionem, cum regno hucusque a VLADISLAIS IAGELLONIDIBVS regibus dilatam, confirmarunt. vid. Lasko fol. 130.

Annus.

Annus.	Locus.	Successus.	
1499.	Cracouiae.	integra.	Rex a morbo liberatus Cracouiae, quo indictus conuentus Petricouiae, ob regis absentiam, limitatus fuerat, foedus cum fratribus perfecit. CROMERVS ad eum annum, item recessus Prutenici.
1501.	Petricouiae.	integra.	Foedus cum Tartaris, induciae cum Turcis, et, metu STEPHANI MOLDAVI, quocum rex, non necessario bello, male rem gesserat; Petro, filio antecessoris illius Eliae, exuli, suppetias petenti, caput amputatum. vid. Cromerus.
			ALEXANDRO rege.
1501.	Petricouiae.	integra.	Electionis ALEXANDRI, Ducis M. Lituaniae.
1501.	Cracouiae.	integra.	Coronationis eiusdem regis. CROMERVS Lib. XXX.
1501.	Cracouiae.	integra.	In absentia regis apud suos Lituanos, fratre regio, FRIDERICO cardinali, gubernatore regni, a proceribus et nuntiis quatuor leges latae, a rege dein confirmatae, quas exhibet Lasko, fol. 111.
1504.	Petricouiae.	integra.	Rex cum senatu et nuntiis terrestribus statuta quaedam condidit. Lasko fol. 112.
1505.	Radomiae.	integra.	Constitutiones nouas cum iisdem ordinibus fecit, quas Lasko fol. 115. seq. exhibet. Ex iisdem comitiis rex diploma dedit, quo Lasko cancellario regio collectio et editio omnium statutorum et priuilegiorum commissa fuit, Quod Laskius fol. 67 exhibet.
1506.	Lublini.	integra.	Vbi de loco digniori in comitiis, item de bonis ecclesiasticis ad expeditionem bellicam obligatis, inter episcopos et senatores seculares certatum. De moneta quoque cudenda, et praesidium Russiae rubrae decretum. Cromerus.

Annus.	Locus.	Succeſſus.	SIGISMVNDO I rege.
1506.	Petricouiae.	integra.	Electionis, poſt obitum ALEXANDRI vid. VAPOVIVS.
1507.	Cracouiae.	integra.	Coronationis. Conſtitutiones quoque nonnullae cum ordinibus factae, quae in ſtatuto SIGISMVNDI I exhibentur. Ibidem diploma, quo rex ille editum, iuſſu ALEXANDRI regis, librum ſtatutorum et priuilegiorum per Laskium confirmauit. Quod Laskius in fine operis adiecit.
1509.	Petricouiae	integra.	In receſſibus Prutenicis annotata.
1510.	Petricouiae.	integra.	Leges variae ſancitae, quae in ſtatuto SIGISMVNDI I continentur.
1511.	Petricouiae.	integra.	Leges itidem ſancitae vid. dictum ſtatutum.
1515.	Cracouiae.	integra.	Iter regis Viennam ad caeſarem decretum, quod refert Vapouius.
1516.	Miclecy.	integra.	Rege in Lituania abſente, ſenatus ratione Tartarorum incurſantium limites regni conuenere, et ſecuritati prouiderunt. VAPOVIVS.
1518.	Cracouiae	integra.	Tributum ad biennium ſcitum, et alia ordinata. Sed in ſtatuto illo SIGISMVNDI I defectus eſt. Vapouius et Bielski narrant.
1519.	Petricouiae.	integra.	Leges variae ſancitae, quae in dicto ſtatuto.
1520.	Bydgoſtiae.	integra.	Leges variae promulgatae in d. ſtatuto.
1520.	Thorunii.	integra.	Ibi ſtatutum de captiuatione nobilium in ciuitatibus, in recenti crimine, quod in conſtitutione anni 1538. exhibetur, ſancitum fuit. Herburtus quoque p. 252. legem horum comitiorum, de laboribus ſubditorum hebdomadalibus allegat, ſed ſtatuti SIGISMVNDI I volumen hoc anno deficit.

Leges

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
1523.	Petricouiae.	integra.	Leges variae, ordinatio proceſſus, et de citationum inſcriptionumque formulis ſancitae vid. d. ſtatutum.
1525.	Petricouiae.	integra.	De his nihil in d. ſtatuto, neque in Herburto. Bielski narrat.
1527.	Cracouiae.	integra.	Leges variae promulgatae. v. in d. ſtatuto. Electio SIGISMVNDI AVGVSTI regis, viuente patre. VAPOVIVS et BIELSKI. Sed etiam apud Herburtum p. 159 in diplomate liberae electionis horum comitiorum fit mentio. In ſtatuto SIGISMVNDI I nihil eſt.
1530.	Cracouiae.	integra.	Coronatio SIGISMVNDI AVGVSTI. Herburtus p. 157. ſeq. exhibet diploma liberae ſtatuum regni electionis, ex his comitiis. In volumine ſtatutorum SIGISMVNDI I nihil.
1532.	Cracouiae.	integra.	Leges multae ſancitae, quae in d. ſtatuto ſunt.
1533.	Petricouiae.	integra.	Turbulenta. Nuntii enim caeteri, absque palatinatibus maioris Poloniae abſentibus, niſi et hi in futuro conuentu ſuo prouinciali conſenſerint (quod poſtea factum) tributum nullum ſciſcere voluerunt. Malo exemplo. Vapouius et Bielski. ſtatutum nihil habet.
1534.	Petricouiae.	integra.	Abſente rege in Lituania, ſenatus cum nuntiis laudum tributorum et alios articulos ſciuere. Bielski narrat. Statutum dictum et Herburtus nil habent.
1536.	Cracouiae.	irrita.	A die 28. Nouembris ad d. 12 Martii anni ſequentis extracta. SIGISMVNDVS AVGVSTVS ſuper iuribus regni iurauit, et alia multa negotia acta. Tandem diſceſſu plerorumque nuntiorum absque ordine ſoluta. BIELSKI refert. Nihilominus Herburtus p. 112 114 et 226 leges ibi promulgatas exhibet. Vsque adeo, li-

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
			cet male finitis comitiis, ante ſancita viguerunt.
1537.	Leopoli.	Rokosz.	In expeditione generali nobilitatis, aduerſus Moldauum, omiſſo externo hoſte, factiones procerum, bonitate regis abutentium, rokosz excitarunt. Orichouius et Bielski. Hic ſecundus numeratur ab illo cruento Rokosz ſub LVDOVICO a. 1380 ad Gliniany, de quo PIASECIVS ad annum 1606 p. 280. KOCHOWSKI climact. I Lib. VI et alii, ſed tantum ex traditione, absque auctore antiquo referunt. (Quid ſit Rokosz vid. RVDAWSKI annales IOAN. CASIMIRI p. 98.)
1538.	Petricouiae.	integra.	Leges ibi variae ſancitae cum tributis. vid. ſtatutum Sigismundi I.
1539.	Cracouiae.	integra.	Laudum tantum tributorum cum diſpenſatorio in dicto ſtatuto apparet. Sed Herburtus multas conſtitutiones ex his comitiis allegat pag. 4. 49. 110. 127. 193. 230. 243. 268. 271. 295. 408. 410. 485. 495. 514. 522. et 548, quas, qui ſtatuti illius volumen ſupplere voluerit, inde colligere poteſt.
1540.	Cracouiae.	integra.	Reuiſis ſtatutis et conſtitutionibus regni, obliuione, ſeu, ita ſcribitur ibi, imprudentia, omiſſa conſtitutio anni 1538 dicto ſtatuto adſcripta. Sed Herburtus praeterea multas leges ex his comitiis exhibet, p. 43. 44. 45. 71. 90. 91. 110. 125. 168. 171. 173. 208. 276. 278. 304. 309. 310. 434. 466. 494. 496. Etiam conſtitutio anni 1611 harum legum mentionem facit.
1542.	Petricouiae.	integra.	Abſente rege per eius delegatos atque ſenatum et nuntios, varii articuli et tributum agrarium ſcita. Statutum ſilet, et Herburtus. Bielski narrat.

Multae

Annus.	Locus.	Successus.	
1543.	Cracouiae.	integra.	Multae leges his comitiis perlatae, quas Herburtus p. 5. 15. 28. 59. 84. 85. 88. 92. 93. 96. 139. 144. 146. 162. 166. 181. 186. 193. 209. 210. 255. 282. 294. 295. 310. 315. 370. 371. 397. 406. 409. 453. 473. 486. 492. 494. 498. 501. 505. 517. 523. 546. 547. exhibet. Statutum dictum iis caret. Bielski etiam Laudum agrarii tributi in iis scitum addit. In confirmatione iurium anni 1550. p. 8. statuti huius anni 1543. quoque fit mentio.
1544.	Petricouiae.	integra.	Leges variae circa defensionem regni, contra Turcorum potentiam, et de expeditionibus bellicis sancitae, quas statutum SIGISMVNDI I non habet, sed Herburtus a pag. 37 ad p. 41 exhibet. vid. Bielski.
1545.	Cracouiae.	irrita.	Factiones procerum, discessu plurimorum vtriusque ordinis, dissoluerunt. Bielski. Tamen Herburtus p. 26 seq. lustrationis ordinationem ex his comitiis exhibet, quae, licet male finitis comitiis, legis obtinuerat vigorem.
			SIGISMVNDO AVGVSTO rege, mortuo patre.
1548.	Petricouiae.	irrita.	A die 18 Octobris ad d. 1 Ianuarii anni sequentis extracta, tandem ob coniugium regis clandestinum cum RADZIWILOWNA sine conclusione soluta, quia rex ab ordinibus ad dimissionem vxoris exorari nequiit. Sed rex litteris ad prouinciales animos bonis verbis deliniuit. Nihilominus Herburtus p. 429 articulum de non negligendo regi senatus consilio, ab his comitiis exhibet. (Mareschalcus horum comitiorum fuit IOAN. SIERAKOWSKI.

Annus.	Locus.	Successus.	
			KOWSKI. vid. Manuscriptum bibliothecae Zaluscianae auctore PSZONKA p. 231. OKOLSKI T. 2 p. 328.)
1550.	Petricouiae.	irrita.	Confirmatio tantum iurium regni et exorbitantiarum correctio, regis diplomate promulgata. In volumine constit. p. 1. Factiosi autem, gregatim iterum abeuntes, soluerunt. Bielski.
1552.	Petricouiae.	integra.	De iurisdictione episcoporum magni cum secularibus statibus motus a rege sopiti. Laudum quoque tributi scitum, quae tamen omnia, cum caeteris actis, in Volum. Constit. deficiunt. Bielski videatur.
1553.	Cracouiae.	integra.	Coronatio tantum reginae CATHARINAE peracta, sed in Volumine nulla acta sunt. vid. Bielski. (Mareschalcus comitiorum fuit OSSOLINSKI)
1554.	Lublini	irrita.	Ob locum insolitum absentia plurimorum ex statibus, nulla. Bielski.
(1556.	Varsauiae.	rupta).	(Nuntius Chelmensis, NICOLAVS SIENICKI rupit haec comitia, quorum diarium extat in manuscripto Bibliothecae Zaluscianae auctore PSZONKA, p. 274.)
1557.	Varsauiae.	integra.	Variae leges sancitae, quae in Volum. p. 9. videntur.
1558.	Krasnostaviae.	irrita.	Ob locum insolitum plane infrequentia et nulla. Bielski.
1562.	Petricouiae.	integra.	A die 22 Nouembris ad d. 20 Martii anni sequentis de executione legum in possessores bonorum regalium. Item de quarta prouentuum illorum in vsum belli, et alii articuli sanciti. Volum. p. 13.
1563.	Varsauiae.	integra.	Ex decreto praecedentium Lomziae designata, inde Varsauiam translata, a die S. Martini ad d. 1 Aprilis anni sequentis. Varia circa vnionem plenariam magni ducatus Lituaniae et angarias, agrariaque tributa sancita. In volumine constit. p. 38.

Limi-

Annus.	Locus.	Successus.	
			Limitata quoque haec comitia pro die S. Ioannis Parczouiam, ad negotium vnionis Lituaniae, p. 44.
1564.	Parczouiae.	irrita.	Ex limitatione praecedentium, sed nihil hic conclusum, ideo volumen legum hic vacat.
1565.	Petricouiae.	integra.	Multae hic leges sancitae, quae in volumine p. 83 exhibentur.
1566.	Lublini.	integra.	Recessus tantum conuentus huius in Volumine pag. 124; quia ob absentiam Lituaniae statuum praeterea nihil actum.
1567.	Petricouiae.	integra.	Constitutiones aliquot sancitae. Volum. p. 128.
1568.	Grodnae.	integra.	Allegantur in constitut. anni 1581. et ab IANVSZOVIO. Sed tantum cum statibus Lituanis celebrata, in ordine ad vnionem plenariam cum regno. Ideo in volumine constit. regni desunt acta haec, tamen ad statutum Lituaniae allegantur.
1569.	Lublini.	integra.	Nunc demum vnio totalis M. D. Lituaniae cum regno, item ducatuum Podlachiae, Volhyniae et Kyiouiae perfecta, quae diplomata, item ordinatio curulis senatus ex vtraque gente; item laudum tributi agrarii in volumine pag. 149 seq. apparent. Tunc etiam a rege duci Prussiae ALBERTO FRIDERICO inuestitura solennis concessa. (Mareschalcus fuit SANDIVOGIVS CZARNKOWSKI, referendarius regni. Ita PONENTOWSKI in comment.)
1570.	Varsauiae.	integra.	Ordinatio quartae ex bonis regalibus perfecta, in Volumine pag. 205. (Mareschalcus ANDR. POTWOROSKI, iudex terrestris Calissiensis)
1572.	Cracouiae.	integra.	Vnio capturalis senatus regni post mortem regis Vol. p. 207.
1573.	Varsauiae.	integra.	Conuocatio ordinum regni in Ianuario ad

Annus.	Locus.	Successus.	
			ad ordinationem futurae electionis, in qua confoederatione pax inter dissidentes de religione Romana seruanda, vnanimi omnium statuum consensu sancita. Vol. p. 208.
1573.	Varsauiae.	integra.	Electionis die VI. Aprilis, item laudum contributionis. Notificationae de electo rege, et articuli pactorum conuentorum in Maio perfecta. In volumine pag. 120. (Mareschalcus SANDIVOGIVS CZARNKOWSKI.)
			HENRICO rege.
1574.	Cracouiae.	integra.	Coronatio cum articulis pactorum conuentorum, in Volumine pag. 227.
1575.	Varsauiae.	Scissio.	Post discessum regis in Galliam, tandem publicato interregno, nunc regina ANNA, SIGISMVNDI I filia, cum STEPHANO, Transyluaniae duce, iungenda, eliguntur. Pars alia MAXIMILIANVM caesarem, regem dixit. Illius literae significatoriae in Volumine p. 230. (Mareschalcus comitiorum fuit NICOLAVS SIENICKI, Succamerarius Chelmensis.)
1576.	Andrzeiouiae.	integra.	Laudum vniuersale defensionis statutum. Item confirmatio electionis STEPHANI, h. e. Poparcie, in Volumine p. 235.
			STEPHANO rege.
1576.	Cracouiae.	integra.	Coronatio peracta, et post significatorias, iuramentum regis atque pacta conuenta, confirmatio articulorum singularium HENRICO regi oblatorum, item confirmatio iurium et priuilegiorum generalis, item approbatio laudi Andreiouiensis statuum, consensus eorundem belli in obstinatos, regem non agnoscentes, denique nonnullae leges sancitae, in Volum. p. 247 seq. (Mareschalcus fuit ANDREAS FIRLEI, capitaneus Sendomiriensis.)

De

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
1576.	Torunii.	integra.	De actis illorum, tantum excepta et conſuetudines Maſouiae, item vniuerſales literae regis de angariis agricolarum et oppidorum, volumini inſerta p. 297.
1577.	Torunii.	integra.	Tantum prouinciales conuentus a rege, Gedanum oppugnante, propter neceſſitates publicas, ad ſciſcendum tributum indicti, regi, poteſtatem iubendi tributum, per litteras vniuerſales fecere, in volumine p. 315.
1578.	Varſauiae.	integra.	Iudicia tribunalitia regni, iam antea excogitata, nunc tandem ordinata, et variae leges ſancitae, atque tributum. Vol. p. 325.
1580.	Varſauiae.	integra.	Nihil actum, praeter tributi agrarii ſcitum, p. 356.
1581.	Varſauiae.	integra.	Multae leges perlatae et tributa ad biennium Scita. p. 372. Mareſchallus, hoc eſt, director nuntiorum STANISLAVS PRZYIEMSKI, (capitaneus Koniacenſis) vid. Bielski. In volumine adhuc de eo nihil.
1582.	Varſauiae.	irrita.	Turbulenta ob rigorem iudiciorum regis inexorabilem, tandem a plerisque nuntiis ſoluta. Mareſchallus nuntiorum SVENTOSLAVS ORZELSKI (capitaneus Radzikienſis) Bielski et Neugebauer.
1585.	Varſauiae.	rupta.	Ob decollatum Zborouium, homicidii cauſa proſcriptum, rigorem regis aduerſus fratres eius et Czarnkouium perduelles, poſt expedita quaedam negotia publica, proteſtatione totius nuntiorum collegii, ſolenniter rupta. Mareſchallus nuntiorum SBIGNEW OSSOLINSKI. vid. Bielski.
1587.	Varſauiae.	integra.	Conuocatio generalis ordinum, mortuo rege, in Martio. Mareſchallus nuntiorum STANISLAVS VCHANSKI, absque vlla praerogatiua inter nuntios caeteros ſubſcripſit. Volum. p. 406. et 418.

Annus.	Locus.	Successus.	
1587.	Varsauiae.	Scissio.	Electio in scissione, vna parte, SIGISMVNDVM, Sueciae principem, altera archiducem Austriae, MAXIMILIANVM, regem dicentibus. Illius electi confirmatio h. e. Poparcie, in Volumine pag. 430. exhibetur.

Notandum verba, vncis inclusa, a nobis esse addita, ex exemplari illustrissimi regni Referendarii comitis ZALVSCII, qui ea adiecit, quae BRAVNIVS omisit. Continuatio huius catalogi vtilissimi erit in sequenti trimestri.

II.

VITAE *trium archiepiscoporum Gnesnensium, seu regni Poloniae primatum, nempe* ANDREAE ROSAE *de* BORYSZEWICE, IOANNIS *de* LASKO, *et* MATTHIAE *de* DRZEWICA.

Archiepiscopus Gnesnensis XLI, ANDREAS ROSA, de BORYSZEWICE. Vetusta stirps Rosarum, a primis fidei catholicae auspiciis, per prouincias Poloniae propagata, potissimum tamen in terra Siradiensi domicilium fixisse videtur. Ab his fuerat ramus Boryseuiorum, seu Krepiciorum, vt in tesseris Polonae nobilitatis memorat PAPROCIVS, vnde ortus ANDREAS noster. In aula CASIMIRI Iagellonidis, et IOANNIS ALBERTI, regum, post diuturna et continua obsequia, per minora sacerdotia, praepposituram Lanciciensem, cononicatum Cracouiensem, Theomuniensem insulam, mox a IOANNE ALBERTO ad Praemisliensem ecclesiam, deinde Leopoliensem archiepiscopatum, quem cum Praemisliensi episcopatu retinuit, promotus, inde ad metropolitanam translatus Gnesnensem. Quam grauibus exercitus negotiis, illa tempestate regis CASIMIRI merebatur gratiam, accuratius connotarunt rerum Polonarum scriptores. Anno 1477 exarserat belli flamma inter FRIDERICVM III, imperatorem, et MATTHIAM, Hungariae regem, ab illo irritatum. Hic dissuadentibus Hungaris bellum in Austriam promouit, omniaque ad fines vsque Bauariae peruastauit, FRIDERICO in Styria se continente, et Bohemorum Polonorumque auxiliares frustra implorante. Miserat tamen CASIMIRVS, Poloniae rex, pro eo affinitatis nexu, qui ei cum FRIDERICO intercesserat, pro belli sumptu decem millia aureorum, per Andream Boryseuicium, tunc Lanciciensem prae-

praepositum, quae imperator vero non acceptauerat, vel quod summa pecuniae tanto bello alendo non responderet, vel spes pacis affulgeret, SIXTO IV, pontifice, Hungaris et Venetis mutuo conatu eam promouentibus. Hac legatione non absque prudentiae ac dexteritatis peracta commendatione ad altiorem adscendebat gradum. MATTHIAS Hungarorum rex cum CASIMIRO Iagellonide, tum aperto bello, tum occultis certabat simultatibus; causaeque NICOLAI TÜNGENI, qui ob episcopatum Varmiensem, eiusque retinendam possessionem, cum CASIMIRO rege, in aleam belli descenderat, patrocinabatur. TÜNGENI tamen conatus improspere ceciderunt, et omnis dissidiorum fomes pacis mediis suppressus, MATTHIA rege vltro id poscente. Igitur ad MATTHIAM tres legatos, RAPHAELEM IAROSLAVIVM, Mareschalcum, PAVLVM IASIENIVM, thesaurarium regni, et ANDREAM ROSAM, praepositum Lanciciensem, cum summa misit potestate CASIMIRVS rex, qui futurae pacis tractationem ita nauiter promouerunt, vt non multo post inter reges et regna, veteris amicitiae nexus fuerit cum omnium plausu redintegratus. Paulo ante cum STANISLAO de STRZELCE WONTROBKA, gente OKSIO, Andreas Rosa designatus a CASIMIRO rege, profectus in Valachiam, anno 1475, iuramentum fidelitatis excepit a STEPHANO, Valachiae palatino. Tandem IOANNES ALBERTVS, Casimiri parentis in throno successor, Andream, veteranum in aula, ad episcopatum primum Praemisliensem, inde ad Leopoliensem promouit archiepiscopatum, vacantem ab obitu IOANNIS de STRZELCE WONTROBKA, factumque interuentione regia, ALEXANDRO VI, summo pontifice, indulgente, vt Andreas vicinum episcopatum, cum Leopoliensi archiepiscopatu simul retinuerit. Anno vero 1494, Leopolim ingressus, sponsam illam salutauit ecclesiam. Damna per hostilem rabiem bonis ecclesiae illata reparare occipiebat. Egenorum pupillorum et viduarum patronus liberalis, erga subditos beneuolus, in negotiis priuatis et publicis egregie dexter. Mortuo IOANNE ALBERTO Thorunii a. 1501, inter legatos fuit, qui ab ALEXANDRO rege iusiurandum de seruandis pactis exegerunt, regnumque ei detulerunt, cuius gratia ad primum in Polonia honoris gradum, ad metropolitanam Gnesnensem cathedram fuit promotus a. 1503, confirmatus a IVLIO II, summo pontifice, anno sequenti iniens ecclesiae metropolitanae possessionem, magno cum laetitiae publicaeque hilaritatis sensu a clero populoque exceptus. Biennio elapso, ELISABETHA Austriaca, ALBERTI, Romanorum imperatoris filia, regis CASIMIRI relicta vidua, eximiae prolis foecunda mater, supremum Cracouiae clausit diem, cui iusta funebria persoluit ANDREAS ROSA,

M 2 archiepi-

archiepiſcopus, actum illum lugubrem multis aliis epiſcopis cohoneſtantibus. At interim ALEXANDER cura et induſtria medicorum a graui conſaneſcens aegritudine a. 1508. Lublinum profectus ad conuentum generalem. Exarſit ibidem acrior concertatio inter ſacrum ordinem ac politicum, de ratione ſedendi, ferendique ſententias in ſenatu, ac de bellica expeditione ex bonis ſpiritualium. Poſt diuturnam tandem altercationem, rex controuerſiam ita decidit, vt epiſcopis circa vtrumque latus regium ſedendi praerogatiua et eccleſiae immunitas a militari ſeruitio, ſalua intaminataque maneret. Peracto eo Lublinenſi conuentu, recta in Lithuaniam ALEXANDER iter ingreſſus, res ibidem, Tartarica incurſione turbatas, ac praeter modum afflictas deprehendit. Tartari enim e Taurica Cherſoneſo fecerunt irruptionem, et Podoliam, Ruſſiam, ac Lithuaniam longe lateque crudeliter afflixerunt, et praeter aliam praedam ingentem ad centum millia hominum in barbaricam abſtraxerunt ſeruitutem. Valetudinem interim regis ire in peius non dubiis euincebatur indiciis. Empiricus quidam, ſeu agyrta impoſtor, qui, cum Polonus eſſet, Graecum ſe origine mentiebatur, regemque balneis ac ſudoribus, vini etiam Maluatici propinatione ita debilitauerat, vt rex non longe a fati limine videretur abeſſe, qui Vilnae a. 1506, menſe Auguſto, mortuus. Quo facto SIGISMVNDVS I, Alexandri frater, Vilnam magnis properabat itineribus, Lithuaniae princeps inauguratus, et mox eodem anno Poloniae rex denuntiatus per Andream Roſam, archiepiſcopum, qui regem, ſequenti anno, xx Ianuarii, Cracouiae praeſentem, in feſto conuerſionis S. Pauli regni diademate inſigniuit. Exorta ibidem fuerat inter epiſcopos controuerſia, inter archiepiſcopum Leopolienſem, et Cracouienſem et Vladislauienſem epiſcopos, quisnam illorum regi a dextris aſſiſteret circa deductionem ad eccleſiam. Verum rex decreuit, vt epiſcopus Cracouienſis, vti paſtor eccleſiae ad eum praeſertim actum, regi a dextris aſſiſteret. Quod ſupereſt ANDREAS ſynodum Lanciciam conuocauerat circa feſtum S. Matthaei, in qua regi pro publica regni neceſſitate duplicatum decretum fuerat ſubſidium. Tandem feſſus annis, maturoque propior funeri, IOANNEM de LASKO coadiutorem, cum futura adoptauit ſucceſſione, vno ante obitum anno. Rex SIGISMVNDVS effecit apud IVLIVM II, pontificem, vt eandem confirmaret adoptionem. Paulo poſt ſeptennio in regimine cathedrae metropolitanae expleto, a. 1510. d. xx Aprilis Louicii ſupremum vitae diem obiit. Gneſnam corpus delatum, honorifice ibi tumulatum. Vir fuit doctus, amoeno ingenio ſemperque hilaris. CLEMENS IANICIVS poſthumae eius memoriae hoc ſcripſit carmen:

Vna

Vna tot aestates vixit rosa, florida semper,
Et vernans nullo tempore digna mori.
Cana quidem, sed grata fuit tunc omnibus illis,
Qui choreas, ludos, deliciasque colunt.

Archiepiscopus Gnesnensis XLII, IOANNES de LASKO. Domicilium familiae Lasciorum erat in terra Siradiensi, et oppidum extinctae iam domus, in hunc vsque diem illorum conseruat memoriam. Stemma priscum gentis habet nauem, pingiturque in eum fere modum vt corbitae, qua ex stirpe prodiit archiepiscopus. Emenso domi forisque cultioris literaturae cursu ad CRESLAVM CVROSWANSCIVM, regni cancellarium, post Vladislauiensem episcopum, se contulit, in eius contubernio meruit, vt minoribus auctus sacerdotiis, Cracouiensi canonicatu, praepositura Scarbimiriensi, ac demum Gnesnensi cancellariatu, Creslao promouente, cui in publicis regni negotiis, quorum moles cancellarios fatigat, promptam et sedulam impendit operam. Regni deinde primus Secretarius renuntiatus, cancellariorum vices a regali curia absentium suppleturus. Rex ipsemet annulare sigillum illius manui imposuit, iuramentum autem coram FRIDERICO cardinali, praestitit. Haec maioris regni Secretarii dignitas et praerogatiua instituta a. 1504. Petricouiae, vt legitur in statuto Herburti. In conuentu generali Lublinensi ab Alexandro rege accepit sigillum maius, qui eum cancellarium renuntiauit. Cum ALEXANDER rex, artibus MICHAELIS GLINSCII, hominis ambitiosi et audacis, quique occupando Lithuaniae principatui inhiabat, circumuentus, ex consilio eius conuentum Brestae habendum indiceret, vt sub tali praetextu, varios primores, quos rebelles esse regi Glinscius persuaderet, in arce caperet trucidaretque, Ioannis de Lasko persuasionibus, tum et Ioannis de Oswecim, canonici Cracouiensis hortatu, qui regi erat a confessionibus, ad mitiora se flecti passus est, cum tam sanguinarium consilium euulgatum esse comperisset. Ignari proceres ad locum publici consilii satis frequentes conuenere, sed IOANNES de LASKO, regni tunc cancellarius, tam feralis, scenae instructae bene gnarus, impendens tantis capitibus denuntiauit discrimen, monuitque vt arcis ingressu abstinerent. Mortuo Alexandro, SIGISMVNDI I regis fidus fuit minister, et in negotiis status summam probauit dexteritatem. Vix coronatione peracta a SIGISMVNDO missus orator ad VLADISLAVM, Hungariae regem, cum IOANNE LVBRANSCIO, episcopo, et CHRISTOPHORO SZYDLOWIECIO, foederum innouationem inter haec vicina promouit regna. Anno 1509, ab Andrea Rosa, archiepiscopo, vt superius

perius diximus, adoptatus, eoque ſequenti anno rebus humanis exempto, plenariam eccleſiae metropolitanae iniit gubernationem. Mox ad ſopiendam cum crucigeris nuper exortam diſſenſionem a rege Sigismundo deſtinatur ad congreſſum cum iisdem Poſnaniam, cum variis aliis proceribus, qui tamen congreſſus nihil ſolidi parturiit, magisque irritatis, quam pacatis, animis, ſolutus eſt. Totius negotii legatorum ordinis et ſociorum ſumma fuit, vt Pruſſia tota ſimul et Pomerania, ordini crucigerorum reſtituerentur, item vt a ſacramento fidei, quod ex vi pactorum praeſtare tenebantur, omnino eſſent liberi, tertio, vt a bellicis expeditionibus, quas cum Polonis ſubire obligabantur, prorſus eſſent immunes. Poſtremum erat, ne Poloni ad ordinem vnquam admitterentur, quod cum riſu exceptum, neque difficulter Poloni conſenſum praebuerunt. Mortuo autem magiſtro ordinis FRIDERICO, Saxoniae duce, in eius locum ſucceſſit ALBERTVS, marchio Brandenburgicus, SIGISMVNDI regis ſororis filius, a. 1512 qui Polono regi conſuetum detrectauit praeſtare iuramentum. Sigismundus rex erat coelebs et de ſceptri aſſumenda ſocia agitabat conſilia. Non impar tanto principi viſa conſors BARBARA, Stephani comitis Scepuſienſis et Heduigis ducis Teſchinenſis filia, quae ad regni fines cum deducta eſſet, MORAVICIAE, pago vicino Cracouiae, Barbara egit noctem, vbi Ioannes de Lasko eam ſalutauit, et paulo poſt d. VIII. Februarii a. 1512 Cracouiae coronauit. Excurrerat rex SIGISMVNDVS in maiorem Poloniam a. 1513. et Posnaniae morabatur, vbi BARBARA regina, primo partu enixa filiam, cui nomen Heduigis impoſitum. Venerat ibidem Lasko archiepiſcopus, quem rex ad Iulium II, pontificem deſignauit legatum, qui Cracouiae parum moratus, primis Aprilis diebus itineri ſe accinxit. Contenta legationis haec fuere, vt ad concilium Lateranenſe, nuper a IVLIO II inchoatum, regis Sigismundi orator properaret, tum etiam res Pruthenas, quas crucigeri ſusque deque permiſcere non ceſſabant, et ſequiori de illis relatione, aures pontificis onerabant, fide integra pontifici repraeſentaret. Vix Cracouiae archiepiſcopus abiuit, cum nuntiatum eſſet, pontificem die XXI Februarii e vita abiiſſe, et paulo poſt XI Martii LEONEM X electum. Mutato itaque legationis titulo, nihilominus Romanum continuauit iter, dumque Oenipontem perueniſſet STANISLAVS OSTROROG, Caliſſienſis caſtellanus, adiunctus a rege SIGISMVNDO, legationis collega, archiepiſcopum aſſecutus eſt, ſimulque Venetias perrexerunt, illamque vrbem ingreſſi a principe Venetiarum, LEONARDO LAVREDANO, a ſenatu totoque populo perhonorifice excepti. Poſtridie IOANNES de LASKO in

in ſenatum reipublicae Venetae deductus, dixit: Sigismundum regem praeſentem Venetorum calamitatem acerbius indolere, omnemque operam impendere velle, vt optata tranquillitas reſtituatur. Hisce confectis Romam oratores regii properarunt, vbi in publico conſiſtorio ad LEONEM X prolixe ſatis perorauit archiepiſcopus, obedientiam LEONI X deferendo, adſtante STANISLAO OSTROROG, d. XIII Iunii a. 1513. qui legatus in Hiſpaniam ad PHILIPPVM I abiuit, cum interim Lasko concilio Lateranenſi Romae intereſſet. Omnia, quae ad has legationes pertinent, continentur in Tom. I epiſtolarum et legationum PETRI TOMICII, epiſcopi Cracouienſis. In hoc concilio Lateranenſi archiepiſcopus pro ſe, ſuisque ſucceſſoribus, a LEONE X impetrauit ius et titulum legati nati. Diploma ſeu bulla legationis natae inſertum volumini conſtitutionum prouincialium Tom. I. LASKO noſter deinde, ſupra biennium Romae moratus, concilio abſoluto d. XVI Martii a. 1517, rediit in Poloniam. Interim, mortua regina BARBARA, Sigismundus rex, de nouis nuptiis cogitabat, qui BONAM Aragoniam, Italam, ducem Barienſem, regio cenſuit dignam thalamo. Erat tum rex Vilnae, veneratque ibidem CHRISOSTOMVS COLVMNA, qui comitabatur MAXIMILIANI caeſaris, ad magnum Moſchouiae ducem BASILIVM, legatum, baronem de Herberſtein, cum Secretario ISABELLAE Aragoniae, quae fuit mater BONAE, hocque connubium apud caeſarem promouebat. Cum igitur SIGISMVNDVS rex hoc approbaret connubium, tabulaeque ſuper eo confectae fuiſſent, a PETRO TOMICIO, Praemislienſi epiſcopo, regni procancellario, COLVMNA Italum vnum e domeſticis Antonetum, Vilna Barium cum laeto nuntio expediuit, qui celeritate incredibili Barium peruenit, die vigeſima tertia; cum Vilna et Barium inter ſe diſtent trecentis ſeptuaginta ſex milliaribus Germanicis. Oratores poſtmodum ad ſponſam deducendam expediti, STANISLAVS OSTROROG, Caliſſienſis caſtellanus, et IOANNES CONARIVS, archidiaconus Cracouienſis. Iuerat obuiam ſponſae Sigismundus, quae Morauiciae ſubſtiterat, cumque Cracouiae appropinquaret, ſalutauit eam rex et Ioannes Archiepiſcopus. Ab ingreſſu Cracouiam, qui fuit XV Aprilis, quarta die, Sacro delibutam chriſmate coronauit Ioannes archiepiſcopus a. 1518. Biennio elapſo BONA inter magnas bellorum procellas, peperit SIGISMVNDVM AVGVSTVM, Cracouiae, ipſis Auguſti calendis a. 1520. Hoc tempore crucigerorum magiſter, ALBERTVS, abiecto nigro pallio cum alba cruce crucigerorum ductaque vxore, regis Daniae filia, religionem LVTHERI colere coepit, ſimul et orientalem Pruſſiam, iure fiduciario, praeſtito Cracouiae fidei ſacramento, a rege Sigismundo impetrauit. Venerant

tunc

tunc in Pruſſiam, religionis Lutheranae propagnadae cauſa ex Germania ANDREAS OSIANDER et IOANNES POLYANDER, qui cum PETRO, epiſcopo Lacaedemonienſi, ſuffraganeo Plocenſi, litterariam de fide habebat concertationem. Duo etiam epiſcopi, alter Sambienſis, GEORGIVS POLENTA, alter Pomeſanienſis, ERHARDVS eandem profitebantur religionem, quorum prior matrimonium contraxit, reditumque epiſcoporum fiſco ducali permiſit adſcribi. Hoc tempore factum, vt CLEMENTIS VII, pontificis iuſſu, magna pars dioeceſis Pomeſaniae, Mariaeburgenſis palatinatus et inſula maior, cum omni clero curae paſtorali et iurisdictioni Culmenſis epiſcopi ſubiiceretur, qui in hunc vsque diem titulum Pomeſanienſis epiſcopi, patrimonio epiſcopatus ad fiſcum ducalem redacto, vſurpat. Gedani etiam religionis cauſa magnae exortae turbae, ad quas ſopiendas SIGISMVNDVS profectus. Praecipuus concitati tumultus habebatur IOANNES SOLCIVS, acerrimus dogmatum Lutheri propugnator, a partibus catholicorum fuerat PHILIPPVS BISSOVIVS, motus et exturbatus magiſtratu. Hic SOLCIO rege praeſente, religionis mutationem, et vaſorum ſacrorum rapinas exprobrauit, qui deinde in carcerem ductus, cum tredecim aliis, capitis ſubiit ſupplicium. Sic catholica res in ea ciuitate reſtituta credebatur, quae potius inde exacerbata magis fuerit, adeo vt SIGISMVNDVS Lutheraniſmum regio reſcripto firmare ex ratione ſtatus coactus fuerit, promouente hoc negotium CHRISTOPHORO SZYDLOWIECIO, caſtellano Cracouienſi, regni cancellario. Hic cum poſtea a Gedanenſibus multis halecum doliis, aliisque muneribus donatus eſſet, ANDREAS CRICIVS Szydlowiecium ſatyrica carpſit mordacitate ſcribens:

Aſſe IESV terdeno venditus ante fuiſti,
Vilem nunc halecem vix bone Chriſte vales.

A. 1523. SIGISMVNDVS rex paciſcebatur, et foedus perpetuum cum rege Daniae FRIDERICO I, cum ducibus Meklenburgenſibus et Pomeraniae ſanciebat, quod negotium Gedani IOANNES LASKO, cum variis aliis proceribus Polonis, perfecit.

Anno 1526, clades, quam LVDOVICVS Hungariae rex, a SOLIMANO Turcarum imperatore d. XXIX Auguſti accepit, anſam dedit, vt magnae inuidiarum procellae in caput IOANNIS archiepiſcopi redundarent. LVDOVICVS enim Hungariae rex, ſuis adinternecionem ad Mahatzium deletis, ipſe fugiens in palude limo oppreſſus periit, quo mortuo, Hungariae et Bohemiae regnum, ad FERDINANDVM I, Caroli V

fra-

fratrem germanum, iure dotali, in conuentu Viennensi pactis firmato, cuique Soror LVDOVICI nupta erat, pertinebat. Verum Hungari celeri magis, quam maturo, vsi consilio, IOANNEM comitem Scepusiensem, cuius Soror, BARBARA regina, SIGISMVNDI vxor, nuper abierat e viuis, electum Hungariae regem, die festo S. Martini regali curarunt insigniri diademate, quo facto FERDINANDVS, ius suum ad regnum Hungariae asserendo, cum praeualido exercitu Hungariam ingressus, regni illius iniit dominationem, et coronationis solenniis peractis, IOANNEM aemulum ad amnem Tibiscum profligauit. Victus IOANNES comes, castrisque exutus, in Poloniam profugit, quem SIGISMVNDVS rex, vt affinem, non grauatim patiebatur in regno commorari, et in solatium aerumnarum cum Poloniae primoribus familiarius conuersari, inter quos non erat postremus HIERONYMVS LASKO, palatinus Siradiensis, vir et bellicae fortitudinis praeclarus, et in rebus agendis consilio promptus, nepos ex fratre Ioannis archiepiscopi. Cum hoc et IOANNE TARNOVIO, comite, IOANNES collatis sermonibus, de amissi regni infortunio, repetendoque regali solio, lamentabilis saepe colloquebatur. Tandem redintegrandae fortunae regiae nullum alium modum superesse perhibebat Lascus, quam remedium apud SOLIMANVM, Turcarum imperatorem quaerere. HIERONYMVS LASCVS, tam arduam et periculi plenam suscepit prouinciam, profectus Constantinopolim, precibus, muneribus, perfecit, vt IOANNES imperatoris beneficiarius appellaretur, et in clientelam reciperetur. Ineunte vere a. 1529 auxiliares copiae IOANNI in regnum reducendo decretae, quae eundem in regni possessionem immiserunt, FERDINANDI praesidiis eiectis, profligatisque copiis. Non probabat SIGISMVNDVS rex tam impium HIERONYMI LASCI conatum, et quae nepos attentauerat, in patruum IOANNEM archiepiscopum redundabant, cui tam feralis tragoediae apparatus imputabatur. Ioannes archiepiscopus, in litteris ad regem, suam quidem deduxit innocentiam, se inscio inconsultoque, nepotem Hieronymum, tam atrox incendium rei christianae concitasse, sed Romae neque Ioannes archiepiscopus vacare culpa, credebatur, et hanc ob causam anathema contra archiepiscopum Ioannem a CLEMENTE VII, fulminatum. Deinde ad instantiam FISCALIS mandato summi pontificis, Petrus S. R. E. episcopus Sabinensis Anconitanus vulgo dictus, ad eam causam iudex a CLEMENTE VII deputatus, IOANNEM archiepiscopum, Romam citauit, obiiciendo, consilii eum participem fuisse cum nepote, de Turcarum armis in Hungariam euocatis. In-

ſerta haec citatio, ſeu monitorium, Tom. VIII, epiſtolarum Petri Tomicii, tres fere philuras efficiens, vbi dictum, vt archiepiſcopus in perſona, non per procuratorem, compareat, ſub poena priuationis ab archiepiſcopatu. Totus contextus citationis fabricatus verbis quaeſitiſſimae aſperitatis, quae legi absque horrore non poteſt. Nomine archiepiſcopus, opere archidiabolus, appellatur Ioannes, et cum Datan, Core, Abiron, et Iuda, Saluatoris proditore, in vna ponitur lance. Exprobratur archiepiſcopo, pro tam nefando nepotis facto complendo, bona eccleſiae diſtracta, oppignorata, arma, bellica inſtrumenta, lanceas in oppidis ipſius fabricatas, et in Hungariam Turcis ſubmiſſas fuiſſe. Qualem ſummi pontificis indignatio effectum habuerit, non liquet, neque diu ſuperuixit archiepiſcopus.

SIGISMVNDVM AVGVSTVM, Sigismundi filium, archiepiſcopus ſolitis caeremoniis renuntiauit magnum Lithuaniae ducem, annorum nouem puerum, XV calend. Nouembr. a. 1530. eundemque conſenſu ordinum, patri ſucceſſorem deſignatum, ſequentibus IX calend. Martii regio inſigniuit diademate, necdum decem annos natum. In eo conuentu rex cum regina cauit regni ordinibus, non teneri ordines regni ad obedientiam praeſtandam regi nouiter inaugurato, donec adultior factus priuilegia iuraque eorum confirmet iuramento. Cum PETRO TOMICIO, epiſcopo Cracouienſi, acriores fouit ſimultates, ab ANDREA CRICIO, ex ſoror Tomicii nato ſatyrica etiam exagitatus mordacitate. MAVRITIVM FERBERVM, Varmienſem epiſcopum, d. XXVIII. menſ. Octobr. a. 1523 conſecrauit Petricouiae. Eccleſiam collegiatam in oppido haerediterio Lasko erexit, praepoſitum infulatum ibidem conſtituit. Synodos prouinciales frequentius, etiam vnam Gneſnae, congregauit. Conſtitutiones Synodales ſuorum anteceſſorum et proprias, primus in lucem edidit publicam. Statuta et leges regni, Alexandri regis iuſſu, priuilegia, diplomata, ex archiuo, ſeu ſcriniis deprompta in vnum compegit volumen, primusque imprimi curauit. Librum iuris feudalis et iuris Magdeburgenſis; cuius in ciuitatibus et oppidis promiſcuus eſt vſus, ordinauit, correxit et prelo ſubiecit. Sic dictum nepotiſmum ſtrenue promouit, agnatis ſuis multa largiendo. Ciuitatem Louicienſem, priuilegiis, immunitatibus decorauit, et quaſi aemulam Cracouiae fieri deſiderabat. Iudaeos Louicii commorantes expulit. Sodalibus Dominicanis Znenenſibus, lacum, molam, certum pratum, cuius vſum iure poſtulabant, mandauit reſtitui. Archiepiſcopi auctoritatem ille primus ampliauit, efficereque contendebat, vt non

niſi

niſi in eccleſia metropolitana epiſcopi, ſuffraganei conſecrarentur. Tandem coronationi SIGISMVNDI AVGVSTI, cui refragabatur, Petricouiae in conuentu electionis, tum etiam Cracouiae, circa actum inaugurationis, aperte reſiſtebat, id quod nullius frugi futurum, et rempublicam turbaturum praedicebat. Placatus tamen ſuis ingratiis coronationis impleuit actum. Cum aetate iam eſſet prouecta, ſeptuaginta quinque annorum, languere coepit, et mox, viginti annis, menſibus quinque in regimine metropolitanae eccleſiae completis, Caliſſii in curia archiepiſcopali XIX Maii menſis a. 1531 mortem cum vita commutauit. Statura fuit procerus, vultu ſerius, moribus grauis, vita honeſtus, rerum gerendarum, et ſi ardua interueniebant, dexteritate pollens, magno et excelſo animo, conſilio promptus, ſubditis, pauperibus, clemens, benignus, ſanguini proprio locupletando ~~minio~~ plus addictus, Gneſnae tumulatus. CLEMENTIS IANICII verſu finiamus vitam huius archiepiſcopi: nimio

Relligionis amor, patriae pater, auctor honoris
Gneſna tui, caſtus cum pietate pudor,
LASCIVS. O ſancta mors ſimillima vitae,
Sic, o ſi fas eſt, ſunt mea vota, mori.

Archiepiſcopus XLIII. MATTHIAS de DRZEWICA. Locus illius natalis in terra Sendomirienſi, Opocinenſi diſtrictu, oppidum Drzewica, ad amnem eiusdem nominis ſitum, e ſtirpe Culkorum ſeu Vitelliorum. Exacta in ſcholis adoleſcentia, ingenioque grauiori literatura exculto, in ſeruitium aulicum, viuente rege CASIMIRO, cooptatus, eam prudentiae atque integritatis nactus exiſtimationem, vt a morte Caſimiri, IOANNES ALBERTVS, minoribus prouiſum ſacerdotiis, annularem ſecretarium, mox regni procancellarium renuntiarit, eique tantum magiſtratum a VINCENTIO PRZEREMBIO dimiſſum detulerit. Eidem poſtmodum in Praemislienſi et Vladislauienſi ſucceſſit cathedra. Breui magna moles aduerſorum Drzewicium fatigauit. Suſpicio, vel ſiniſtra delatio, aures Friderici cardinalis imbuerat, DRZEWICIVM, vita functo rege IOANNE ALBERTO, centum viginti millia florenorum, ex regio priuato theſauro, cuius habebat curam, tum alias ſummas FRIDERICI cardinalis, contrectaſſe, et IASINSKI, vir nobilis, conſcius et complex nominabatur. Hanc ob cauſam a. 1501, nullo reſpectu, tanti magiſtratus et ſacri ordinis, habito, die XXX Iulii in cuſtodiam et carcerem truſus, tandem deducta innocentia dimiſſus nona Auguſti. DRZEWICIVS, hoc infauſto ſuperato caſu, ab ALEXANDRO rege epiſcopus Praemislienſis fuit deſignatus, gubernacula illius epiſcopatus vndecim annis tractans.

Ioanne de Lasko archiepiscopo facto, sigillumque maius dimittente, a. 1510. a SIGISMVNDO I cancellarius regni renuntiatus. Regiae beneficentiae amplam et luculentam nactus est testificationem, quam non interrupta serie erga Drzewicium SIGISMVNDVS continuauit. Rex IOANNES ALBERTVS, non multo ante supremum vitae suae diem, a. 1497, ius patronatus et collationem canonicatus, et sic dictae praebendae, in ecclesia cathedrali Praemisliensi quae regii iuris erat, academiae Cracouiensi perpetua transcripsit donatione, insuper Matthiam Drzewicium requisiuit, vt eandem, tanquam *dioecesanus loci ordinarius*, approbaret, quod omni facilitate confecit. A. 1518 SIGISMVNDVS rex Drzewicium episcopum Vladislauiensem nominauit, maius autem sigillum CHRISTOPHORO SZYDLOWIECIO, palatino, post castellano, Cracouiensi, rex contulit. Ad congressum Viennensem, Maximiliani imperatoris cum Hungariae rege, comitatus est Sigismundum Drzewicius, episcopus Vladislauiensis, cum IO. LVBRANSCIO, Posnaniensi, PETRO TOMICIO, Praemisliensi, procancellario, episcopis, Ex eodem conuentu miserat rex Sigismundus legatos ad rempublicam Venetam, MATTHIAM DRZEWICIVM, RAPHAELEM LESZCZYNIVM, IOANNEM DANTISCVM Secretarium, qui episcopus Varmiensis obiit, qui inter imperatorem et Venetos pace composita, in Poloniam redierunt. Mortuo imperatore MAXIMILIANO, ad comitia Francofurtum ad Moenum pro nouo eligendo imperatore Sigismundus Drzewicium misit legatum cum Raphaele Lesczynio. Rebus in eo conuentu ex regis sententia confectis, rediit in Poloniam, animum vertens ad curas pastorales. Illo enim tempore in tota Prussia et Gedani inprimis Lutheri doctrina propagabatur, prae caeteris a IACOBO FINKENBLOCK, et PANCRATIO, Sodali Dominicano, quos auctor insignes Christi perduelles vocat. Ideo DRZEWICIVS communicato cum archiepiscopo Ioanne de Lasko consilio, Gedanum venit, et vicarium constituit, qui doctrinam nascentem reprimeret, et sacerdotes licentius viuentes ad omnem componeret honestatem. Sed nil effecit. Rediit altera vice Gedanum Drzewicius cum archiepiscopo de Lasko, et cum quendam Lutheranae doctrinae buccinatorem comprehendere et in carcerem coniicere mandasset, a plebe nautica contumeliosis verbis impetitus vix discrimini se subduxit, misso e carcere, quem plebs postulabat. Hoc facto statim e ciuitate abiit cum archiepiscopo, nemine salutato. Brunsbergam etiam Drzewicius ad motus religionis causa componendos a rege missus fuit. Posteaquam in regimine Vladislauiensis ecclesiae compleuisset annos octodecim, IOANNE de LASKO

e vita

e vita migrante, qui viuens Drzewicium ſibi optabat ſucceſſorem, rege Sigiſmundo promouente archiepiſcopus electus eſt. CLEMENS VII pontifex, translationis impertiit diploma vna cum pallio metropolitanae dignitatis, nonis Auguſti a. 1531. Binas celebrauit Synodos Drzewicius, primam Petricouiae 1532, alteram Lanciciae, a. 1534. Cum Ioanne Karnkouio, ſucceſſore in epiſcopatu Vladislauienſi, ob reſtitutionem fructuum, quos iam archiepiſcopus perceperat, litigium et ſimultas tanta illi interceſſerat, vt negotium ad trutinam Romanae deueniſſet curiae CLEMENS VII pontifex, totius cauſae, TOMICIO, epiſcopo Cracouienſi, delegauit cognitionem, qui eam amice compoſuit. Vertebatur in tribunali Drzewicii litigium Ioannis de Wolborz, parochi Chencinenſis, cum conſulibus et tota communitate. Satagebat parochus, vt decimam, ex agris ciuilibus prouenientem, ad parochi deueherent horrea, quod ante nunquam fuit in vſu. Quinimo Sbigneus de Olesznica, Drzewicii deceſſor, litem ſuper hoc exortam ita complanauerat, vt qui precario, vel mercede conducta a parocho decimam vellent conducere, a conſulibus non prohiberentur. Interuentione Tomicii ciuitas illa ab hac impetitione liberata, et parocho, temere litiganti, ſilentium impoſitum. Tandem Drzewicius aetate maturus ac prope ſeptuagenarius febre continua correptus ſupremum expleuit diem anno 1535, die XII Auguſti, hora noctis ſecunda, in arce Louicienſi, aetatis LXIX. Perhibetur, fuiſſe miti et placido ingenio, prudentia ſingulari. Arces et bona menſae archiepiſcopalis, diligens et prouidus pater familias reſarciebat, conſeruabat. Fertur fuiſſe ad rem attentior et magis beneuolus, quam beneficus. Eccleſiam in fundo haereditario DRZEWICA coctis lateribus aedificauit, vbi eius viſebatur effigies. Gneſnae tumulatus, vbi in lapide ſepulcri haec legitur inſcriptio: *Iacet hic Matthias de Drzewica, gratia diuina in archiepiſcopatum Gneſnenſem euectus 1531, qui antea trium Poloniae regum fuit vicecancellarius, epiſcopusque Praemislienſis et Vladislauienſis* XXVI *annis, obiit in arce Louicienſi M. D. XXXV die* XII. *Auguſti, hora ſecunda noctis*, 29. Septembris ſepultus, vixit annos LXIX.

Parcus eram forſan, vel ſic me fama vocabat,
Quae ſolet inſignes inſimulare viros.
Siue tamen verum, cur ſim vitioſus in iſto?
Eſt virtus rebus parcere magna ſuis.

III.

Polonia litterata nostri temporis, auctore IO. DAN. IANOZKI, bibliothecae Zaluscianae Secretario. Pars I. Vratislauiae apud Io. Iac. Korn. M.DCCL. in 8. mai. plag. 9.

In duos hic libellus diuiditur iterum libros, in priori recensentur Scriptores Poloni hac nostra aetate illustres, in posteriori vero exhibentur Scriptores Poloni nostra ipsa aetate, hoc est, AVGVSTO TERTIO, optimo maximoque principe Poloniam obtinente, demortui. De priori nil hic dicemus, quia in capite sequenti, dicturi de Lexico eruditorum Ianociano, integrum eruditorum viuentium, eorumque scriptorum catalogum inseruimus, quod lexicon litteratae Poloniae editio quasi Germanica est, hac tamen cum differentia, vt literatissimus auctor, nomina quidem eruditorum, in Polonia litterata obuenientia, repetierit in lexico, quorundam omiserit, nonnullorum adiecerit, lectorem vero ad cognoscenda eorum scripta ad Poloniam litteratam semper remiserit, vitas eorum in compendio addens, quae in Polonia litterata desiderantur.

Elenchum igitur hic eruditorum, nostra aetate mortuorum, eorumque scriptorum suppeditabimus ex libro posteriori, quorum sequentes sunt:

GALECKA (*Sophia*) Palatini Posnaniensis filia, canonicarum saecularium Varsauiensium abbatissa. Excessit mense Febr. A. MDCCLVIII. Ex gallico in vernaculum sermonem eleganter conuertit, typis exprimi curauit: Francisci Terueni, S. Th. D. et parochi Nanceiani, tractatum, de felicitate canonicae saecularis, officio suo rite fungentis. Varsauiae, typ. Soc. Ies. 1745. in 8. plag. 11.

GRZYBOWSKI (*Antonius*) ord. min. conv. S. Th. D. et minister in prouincia Lithuana emeritus, obiit 1749. Varia edidit opuscula, lingua vernacula, inter quae commentarius de Franciscanis, inter Lituanos, martyribus, Vilnae 1740. in 8. plag. 10½.

HOSIVS (*Stanislaus Iosephus de Bedzan*) episcopus Posnaniensis, ord. aquilae albae eques. Aetatis suae LXV, A. MDCCXXXVIII, III. id. Octobr. e vita decessit. Extat eius: Synodus dioecesana Posnaniensis A. D. 1738 diebus VII. VIII. et IX mens. Iulii, in ecclesia cathedrali Posnaniensi habita, publicae edita. Varsauiae, typis coll. Soc. Ies. in 4. Alphab. 1. plag. 17.

IDLINSKI (*Elias a S. Francisco*) Carmelit. strict. obs. in maiori Polonia prouincialis emeritus, a. 1748. nonagenario maior e vita migrauit. Scripta eius:

I) Ideae theologiae moralis. Vars. typ. Schol. piar. 1726, in 4. Alphab. 5½.

II) Scrutinium iuris in re et ad rem theologico-iuridicum, etc. in sex tomos vna cum septemplici indice respectiue ad sua iura dispositum. In folio. Vnus solum tomus adhuc Idlinscio viuo in vulgus exiit. Vars. typis Schol. piar. A. 1736. Alphab. 6. plag. 10. Reliqui in conuentu Carmelitarum Varsauiensi summa diligentia seruantur.

KAMPENHAVZEN (*Io.Mich.*) Succamerarius Pernauiensis, celebris ille copiarum dux, ante octo circiter annos fato concessit. Scripsit de vsu ac praestantia hastarum lingua vernacula, Calissii, 1737. in 8. plag. 12½. Asseruantur quoque inter codices manu scriptos bibliothecae Zaluscianae: de re militari nostrorum temporum disciplina: obseruationes et alia opuscula ad rectam bellorum administrationem, pertinentia. Idem ille KAMPENHAVZEN AVGVSTI II regis gesta, nobilissimo opere fuisse prosecutus traditur.

KARP (*Iosaphat Michael*) Samogitarum antistes, mortuus a. 1739. reliquit epistolam pastoralem ad clerum dioecesis Samogitiensis. Vilnae typ. Soc. Ies. 1737. in 4. plag. 17.

KOCZOROWSKI (*Franciscus*) Soc. Ies. rector collegii Lublinensis, viuis excessit VII. Kal. Aprilis A. 1743. Scripta eius.

I) orationes sacrae vernaculae de S. Benedict. Sandomiriae 1734. in folio.

II) orationes sacrae de S. Thoma Aquinate, Calissii, 1738. in 4.

III) Elementa, fidei et doctrinae catholicae, lingua Polona. Sandomiriae 1734. in 8. Liber idem, eadem in vrbe Gallico simul et Polonico sermone prodiit, 1735. in 8. Postea *theologiae controuersae Hannenbergianae* fuit subiunctus, praemissa KOCZOROWSCII vita, lingua vernacula. Calissii 1744. in 8.

IV) Kalendaria politica annorum 1742 et 1743. Lublini, in 12.

KOMOROWSKI (*Stephanus a Komorow*) celsissimi primatis frater germanus, dapifer palatinatus Belzensis etc. A. 1750 functus vita. Reliquit orationes aliquas vernaculas, in conuentibus nobilium habitas. Polono carmine Thomae a Kempis de imitatione Christi lib. III reddidit, qui nondum impressi.

KOZVCHOWSKI (*Stanislaus a Kozuchowo*) pincerna Vielunensis, A. 1744 senio confectus obiit. Is regni leges ab a. 1550 ad an. 1726, literarum ordine, vnum in codicem retulit, typisque suis propriis in praedio Mokrzk exscripsit. a. 1732. in fol. Alphab. 10. plag. 21.

KVLCZYNSKI (*Ignatius*) ord. S. Basilii, abbas Ruthenus Grodnensis, morte praematura e vita sublatus d. IX Ianuar. Anno 1747. Scripta eius, admirabili rerum Ruthenicarum copia referta, sunt

I) specimen ecclesiae Ruthenicae, ab origine susceptae fidei, ad nostra vsque tempora, in suis capitibus, seu primatibus Russiae, cum S. Sede Apostolica Romana semper vnitae, exhibitum. Romae. 1733. typis Hieronymi Mainardi in 8. plag. 20. cum sanctorum illorum Rutheorum, ac singulorum archiepiscoporum Kiouiensium, totiusque Russiae metropolitarum imaginibus aeri nitide eleganterque incisis, in charta augusta.

II) Appendix ad specimen ecclesiae Ruthenicae, in quo nonnulla plane noua et hucusque nondum edita, continentur. Romae. 1734. apud Mainardum. in 8. plag. II.

III. Oratio de b. V. Mar. imagine Zyrowicensi, corona solenniter exornata. Romae, 1732. in 12. plag. 4.

IV) Il Diaspro prodigioso di tre colori, ouuero Narazione istorica delle tre magini miraculose della beata vergine Maria. In Roma. 1732. in 4. plag. II.

V) Historia S. Mariae Zyrowicensis. Supraslii. 1728. in 8 plag. 4.

VI) Relationes authenticae de statu Ruthenorum, cum S. R. E. vnitorum, in

in regno Poloniae degentium. Romae, typis reuerendae camerae Apostolicae. A. 1727. in 4.

KWIATKOWSKI (*Petrus*) Soc. Ies. prope nonagenarius mortuus pridie calend. Maii, A. 1747. scripta eius

I) collectanea ascetica, exercitiis spiritualibus S. Ignatii fundatoris Soc. Ies. accommodata etc. Augustae Vindelicorum, sumtibus Christoph. Bartl. 1740 in folio. Alphab. 4. plag. 5.

II) Historia veteris et noui testamenti. Aug. Vind. 1741. in 4. Alphab. 4.

LABISZEWSKI (*Antonius*) Christianiss. Gallorum reginae a confessionibus et Eleemosynis, anno circiter 1747. mortuus. Extat ipsius dispositio ad bonam mortem, in 12. plag. 13.

LIPSKI (*Io. Alexander a Lipie*) S. R. E. Presbyter cardinalis, episcopus Cracouiensis etc. Extant duae epistolae ad clerum Cracouiensem datae, typis etiam excusae orationes coram senatu recitatae, inter quas illa disertissima, qua Augusto III, principi diuinitus ad nos delato, imperii Poloni auspicia, reipublicae nomine gratulatus est. Mors eius senatui populoque Polono flebilis accidit x Kalend. Martii A. 1746.

LVBOMIRSKI (*Theodorus*) S. R. I. princeps, palatinus Cracouiensis et praefectus Scepusiensis, eques aurei velleris, ex hominibus abiit VIII. iduum Febr. A. 1745. Extant illius orationes vernaculae, ad senatum vel honoris officiique caussa habitae in Io. Ostrowscii DANEYKOVICII Suada Polona et Latina Tom. I. p. 26. 99. 386.

LVDER (*Bartholomaeus*) Soc. Ies. viuere desiit 1747. Scripta eius.

I) Castalis, flumenque rhetoricum, in littus idem, commissum, seu epigrammata et elogia diuorum Soc. Ies. A. 1737. Gedani, typis Io. Iac. Preussii, in 8. plag. 16½.

II) Olympus litteratus etc. Leopoli. 1733. in 8. Alphab. 1. plag. 4.

III) NoctesAtticae in solem diemque datae, seu lucubrationes rhetoricae oratorum Soc. Ies. Gedani, typis Preussii. 1740 in 8 Alphab. 1. plag. 3.

MADEYSKI (*Aegidius a S. Iosepho*) Schol. piar. rector collegii Lucouiensis, anno circiter 1748 mortem obiit. Eius sunt

I) Panegyrici, regni optimatibus, totius ordinis nomine, dicti. Varsauiae 1729. in 8. plag. 19.

II) Priuilegia, seu constitutiones Apostolicae, religionem clericorum regularium scholarum piarum concernentes, vna cum collecta breuiter, de eiusdem religionis initiis et progressu, historia. etc. A. 1736. Varsauiae in 4 plag. 22.

III) Sermones vernaculi, singulis diebus Dominicis ad populum Cracouiensem habiti Vars. 1739. in fol. Alph. 4 plag. 22.

IV.) Alii Sermones, festis diebus habiti. Cracouiae. 1741. in fol. Alphab. 3.

V) Vita b. Ios. Calasantii, cleric. reg. Schol. piar. primi conditoris et moderatoris, lingua vernacula. Vars. 1744 in 4. Alphab. 2. plag. 6.

MANIECKI (*Franciscus*) Soc. Ies. clarus poeta, morte functus, pridie Kalend. A. 1749. Sunt admodum multa illius carmina, inter quae illud maxime iucundum videtur, quod *Apollo* inscribitur.

MATY-

MATVSZEWIC (*Io. Herculanus ex Dowmont*) S. Th. D. Canonicor. reg. Lateranensium per minorem Poloniam et M. D. Lith. praepositus generalis. mortuus 1734. Liber eius eruditissimus: *Canonicus regularis Lateranensis in Polonia et M. D. Lithuaniae, explicatus.* Cracouiae typis Franc. Cezary A. 1720. Alphab. 1. plag. 5.

MEKONI (*Antonius*) Soc. Ies. in collegio Stanislaopoliensi studiorum praefectus, diem obiit 1745. Permultae sunt ipsius disputationes theologicae. In Polonum sermonem conuersae etiam ab eo *Boilaei* cogitationes selectae Leopoli, typis Soc. Ies. A. 1729. in 8. Alphab. 2.

MIONCZYNSKI (*Adamus*) Petri palatini Czerniechouiensis filius, Ser. regis cubicularius et praefectus Krzepicensis 1749 decessit admodum iuuenis. Extant eius theses philosophicae etc. in fol. plag. 6.

MIASKOWSKI (*Adrianus*) Soc. Ies. ipsis Cal. Martii A. 1737. aetatis suae annorum LXXX ab hominibus emigrauit, Opera eius

I) Expedita salutis via, per exercitia Spiritualia a S. patre Ignatio, monstrata. Sandomiriae A. 1728. in 8. partes III.

II) Introductio in vniuersam Aristotelis philosophiam. Sandom. A. 1720. in 4 Alphab. I. plag. 15.

III) Deus in essentia vnus, in personis trinus etc. Pragae in coll. Soc. Ies. Anno 1723. in fol. Alphab. 6½.

IV) Deus homo, seu incarnatio verbi diuini etc. Pragae per Norb. Io. Fitzky A. 1728. in fol. Alphab. 10. plag. 7.

V) Tractatus de angelis etc. Posnaniae, 1730. in fol. Alph. 6. plag. 2.

VI) Tractatus de fine vltimo et beatitudine creaturae rationalis. Posnaniae A. 1731. in fol. Alphab. 3. plag. 5½.

MISZTOLT (*Antonius Aloysius*) Soc. Ies. rector collegii Vitepscensis, vitam posuit VII calend. Dec. Anno 1740, aetatis LV. Edita ab eo: *Historia illustris. domus Sapiehanae, ab origine et antiquitate sua; genealogico syllabo, per gloriosos Heroum eiusdem et connexarum familiarum progressus in praesens saeculum deducta.* Vilnae, A. 1724. in 4 Alphab. 2. plag. 9. Eidem locus in Suadae Polonae Tom. II part. VI. p. 118 - 238 datus.

MNISZEK (*S. R. I. comes Iosephus Vandalinus*) Castellanus Cracouiensis, aquilae albae eques etc. excessit e vita IX Calend. Sept. A. 1747. Viri huius principis orationes vernaculae leguntur in suadae Polonae Tom I p. 52. 170. Lectissimam possidebat bibliothecam.

MOSZYNSKI (*Constantinus*) ex ordine S. Pauli primi eremitae ad Liuoniae pontificatum euectus. Naturae concessit 1738 fere nonagenarius. Reliquit annales Claromontanos.

NARAMOWSKI (*Adamus Ignatius*) Soc. Ies. praepositus domus professae, et rect. coll. Vars. morte ereptus A. 1736. Scripta eius

I) Facies rerum Sarmaticarum. Liber prior prodiit Vilnae 1724 in 4 Alphab. 2. Posterior ibidem 1726. Alph. 3. plag. 18½.

II) Aurorae Solis Sarmatici etc. 1727. Vilnae. in 4. plag. 16.

III) Cancellarii et Procancellarii regni Poloniae, quibus adiuncti supremi thesaurarii regni. Varsauiae typis coll. Soc. Ies. 1727. in 4 plag. 19.

IV. Conciones vernaculae. Vilnae 1723 in 4. Alphab. 2. plag. 7. Latent adhuc in tenebris ipsius consilia: *de studiorum in prouincia Soc. Ies. Polona. forma corrigenda emendandaque.*

NAVMANSKI (*Ioannes*) mortuus a. 1740. In eo, de Polona iuuentute, optime meritus, quod Io. Hubneri, rect. Hamburg. compendia geographica, genealogica atque historica in vernaculum sermonem translata, edidit.

NIEPRECKI (*Ioannes*) Soc. Ies. colleg. Vars. eloq. professor, adolescens decessit, A. 1749. Tabulam geographicam Lithuaniae confecit, Homanniorum haeredum sumptibus edita. Varias etiam orationes reliquit.

NIESIECKI (*Gaspar*) Soc. Ies. ante duodecim, et quod excurrit, annos, morte extinctus. Auctor magni operis, quo gentium et familiarum Polonarum originem, literarum ordine persecutus est, cuius inscriptio: *Corona Polona* quatuor tomis constans, Leopoli typis Soc. Ies. excusis 1728. 1738. 1740. et 1743. cum figuris insignium gentilitiorum, ligno incisorum in folio. Primus tomus habet A-C. Alphab. 3. plag. 6. secundus D-K. Alphab. 7. tertius L-R. Alphab. 9. plag. 16. quartus S-Z. cum supplementis Alph. $8\frac{1}{2}$ lingua Polona.

OSIECKI (*Bruno*) ord. S. Pauli primi eremitae. S. Th. D. concionator conuentus Varsauiensis, ante octo circiter annos e vita decedens, ingens reliquit concionum Volumen. typis Clarimontis Czenstochouiensis impressum 1738. in 4.

PEZARSKI (*Andreas*) Soc. Ies. S. Th. D. Vilnensis domus primae et secundae probationis rector, aetatis LIX de 2 mens. Aug. 1744 ex hominum vita demigrauit. Liber eius: Annibal ad portas. Vlodimirus Monarcha Russiae, in facie et acie Ducum et Heroum illustriss. Oginscianae domus, a prima prosapiae origine, vsque ad praesens saeculum, cum colligatis sibi familiis, genealogica productus serie. Typis regii coll. Soc. Ies. Vars. A. 1732. in 4. Alphab. 2. plag. 2.

POKORSKI (*Innocentius*) ord. S. Pauli I erem. Vicarius prouinciae Polonae et prior conu. Vars. A. 1740. aetat. LXVIII mortuus perhibetur. Edidit vitas S. S. patrum Paulinorum ex S. eiusd. ord. annalibus excerptas. Vars. Schol. piar. 1730. in 8.

PONINSKI (*Antonius Lodzia a Ponin*) palatinus Posnaniensis, eques aquilae albae, poeta celeberrimus, fato succubuit VIII id Quinctil. A. 1742. Clarissima opera eius.

I) *Opera heroica*, olim sub nomine equitis Poloni, sparsim edita, nunc vero plurimum aucta. Cura Io. Max. Krolikiewicz, S. R. M. S. impressa. A. 1739. Vars. typis Schol. piar. in 4. Alphab. 2. plag. 8.

II) Sarmatides, seu satyrae, ab eodem Krolikiewicz publicatae, sine loci mentione A. 1741. in 4. Alphab. 1. pl. 10.

III) Orationes tam vernaculae, quam Latinae cultissimae, coram rege ac regni proceribus, et exterarum nationum principibus, a *Poninscio*, dictae, lucem adspexerunt in Suada Polona et Latina Tom. I p. 46. et 189. Tom. II p. 5. et 8.

POTOCKI (*Comes Theodorus*) Archiepiscopus Gnesnensis et regni Primas etc. ord. aq. alb. eques, caelitibus restitutus aetatis suae LXXV. A. 1738. pridie

pridie Idus Nouemb. Permultae huius sunt orationes vernaculae et epistolae, ad regni ordines exaratae. vid. *Gasp.* Niesiecii Corona Polona Tom. III p. 705.

PVZYNA (*Stephanus*) Christophori, palatini Mscislauiensis frater germanus, S. Th. D. praefectus typographiae Soc. Ies. Vars. Septuagenarius spiritum extremum edidit 1738. Scripta eius

I) De immaculata conceptione b. v. Mariae. Vars. typis coll. S. I. a. 1737. in 8. plag. 12.

II) Quatuor orbis partium etc. breuis descriptio. Lublini, typis S. I. 1750. in 12. plag. 10. edit. altera. Latino simul et polono sermone.

III) Iac. Casimiri Haur Oeconomicum, supplementis suis expletum. Vars. 1730. in folio Alphab. 2. plag. 16.

RADZEWSKI (*Franciscus*) Succamerarius Posnaniensis, A. 1748 de vita migrauit. Scripta, adscito Poklatecii nomine,

I) Quaestiones politicae a. 1743. in 8. absque loci indicio, quibus praecipua iuris Poloni et publici et priuati capita persecutus est.

II) Commentarius legationis a Raphaele comite LESZCZYNSKI, Palatino Lenciciensi, Augusti II' reg. Pol. nomine, ad Mustapham II, Turcar. imper. Summa cum laude et dexteritate, obitae. Posnaniae. 1744. in 8.

ROSTKOWSKI (*Adamus Franciscus Xau. in Rostkowo*) S. Th. et V. I. D. episcopus Philadelphiae, archidiaconus Plocensis, praepositus Varsauiensis et Pultouiensis octogenarius acquieuit IV. Non. Martii A. 1738. Opera eius.

I) Relatio de obitu Andr. Chrysost. Zaluski, S. R. I. principis, Episcopi Varmiensis et Sambiensis, sub ficto ROGALLI nomine prodiit Brunsbergae 1711. fol. plag. I. quae nonnihil multata accessit Epist. Zaluscianarum Tom. III p. 906.

II) Clypeus Cleri Poloni, contra tela fori saecularis etc. Vars. typ. Sch. piar. A. 1728. in 4. Alphab. 1. plag. 16.

III) De vita priuata sapienter instituenda, liber ex Gallico Polonice versus, Brunsbergae 1714, in 8. plag. 15.

IV) De rege Poloniae ex indigenis eligendo, disceptatio. Vars. 1733. in 4. plag. 10. lingua vernacula.

RVDNICKI (*Dominicus*) Soc. Ies. rector collegii Pultouiensis, e viuis abiit, annos natus LXIII, calend. Octobr. a. 1739. Extant ipsius orationes Latinae, seu panegyrici, item conciones vernaculae, et varia poemata.

SCIPIO (*Iosephus de Campo*) Mareschalcus curiae Lithuaniae, mortuus a. 1743. Sunt eius aliquot orationes vernaculae, in senatu habitae, magnorum consiliorum plenissimae, Suadae Polonae T. I p. 91. et 393 insertae.

SCZANIECKI (*Stephanus*) Soc. Ies. per Poloniam praepositus prouincialis, ab humanis decessit A. 1773. Opera eius

I) Fragmenta philosophiae vniuersae, ex ipsius praelectionibus collecta. Vol. I. Calissii a. 1694, Vol. II. Lublini a. 1710 editum in 8.

II) Ars docendi religiose, vtiliter, honeste etc. Calissii, typis coll. Soc. Ies. 1715. in 8. plag. 5.

III) Nuda veritas de terra puri verbi Dei pridem exorta, contra palliatam falsitatem, ex carne et sanguine, spirituque priuato, subinde renatam; seu vetus et genuina ex Sacra Scriptura, responsio catholica, ad sophistice nouellas dissiden-

tium, praesertim Caroli Drelinkurtii, ex eadem scriptura, obiectiones, idiomate Polono, Calissii. 1719. Deinde ab alio Soc. Ies. theologo Latine reddita. Posnaniae 1723. in 4. Alphab. 2. plag. 14.

IV) Remonstratio, contra cuiusdam D. Lutherani mellite maledicam Demonstrationem, quod sanctissimus D. noster BENEDICTVS XIII, in multis articulis sit bonus Euangelico - Lutheranus, et iuxta protestantium fundamenta, in suis ordinationibus et dispositionibus procedat, cum appendice libelli, de famoso dissidentes inter, atque catholicos, negotio Thorunensi 17 Iulii 1724. coepto, et 7 Decembris eiusdem anni terminato. Posnaniae. 1727. in 4. pl. 17. Auctor is quoque est: *Protreptici ad Magistros*, dissimulato nomine.

SERIEWICZ (*Adrianus*) ord. frat. min. obseru. qui Bernardini vocantur, in Russia, custos prouincialis, ante octo circiter annos mortuus. Extant eius conciones vernaculae pergraues et vehementes. Leopoli A. 1738. in 4.

SOBIESKI (*Iacobus Ludouicus*) IOANNIS III, regis Poloniae filius, aurei velleris eques, bonarum in Polonia litterarum praecipuus existimator, ad Deum excessit XIV Calend. Ianuar. A. 1737, annum gerens aetatis LXXI. Constat optimum hunc principem permulta, exercendi animi gratia, composuisse, et parentis sui gesta opere quodam Gallico posteris commendauisse. Neque desunt, qui referant, eundem arti, quam cabbalisticam appellant, opem haud mediocrem dedisse, deque eius placitis libros duos reliquisse. Instructissimam possidebat bibliothecam.

SZEMBEK (*Christophorus Andreas Ioannes comes in Slupow*) primum Chelmensis, post Premisliensis, demum Varmiensis Episcopus, ord. aquilae albae eques, obiit a 1740. Opera eius sunt

I) Synodus Dioecesana Chelmensis, Crasnostauiae, in ecclesia cathedrali, praesente vniuerso dioecesis clero, celebrata. Die decima octaua mensis Iulii et aliis duabus sequentibus diebus. A. D.M.DCC. XVII. Zamoscii, typis vniuersitatis in folio. Alphab. 1. plag. 10. Huic adiecta est: Bernardi S. R. E. presbyteri cardinalis MACIEIOWSKI epistola pastoralis ad parochos prouinciae Gnesnensis.

II) Synodus dioecesana Premisliensis etc. celebrata d. XI seq. m. Iulii A. 1723. Cracouiae, typis Iac. Matyaskiewicz. in fol. Alphab. 1.

III) Epistola pastoralis ad clerum Dioeceseos Varmiensis, exarata. d. XXIX Dec. A. 1724. in 4. absque loci et typographi mentione.

IV) Synodus dioecesana Varmiensis, Heilsbergae instituta. d. 14 Iulii A. 1726. Brunsbergae. typis coll. Soc. Ies. in 4. plag. 16.

V) Meditationes de passione Christi. Brunsbergae. typis iisdem, in 12. plag. 3.

VI) Orationes vernaculae, in diuersis dioeceseon suarum ecclesiis recitatae. typis iisdem. Brunsbergae. 1740. in folio Alphab. 2. plag. 6. in charta augusta, cum celsissimi ipsius Szembekii imagine, manu I G. Haid, in aere affabre caelata. Reliquit et orationes tam vernaculas quam Latinas, coram AVGVSTO III summo patriae patre, habitas, et in Suada Polona T. I p. 56. Tom. II p. 8. legendas.

VII) Doctrinae Christianae compendium etc. Brunsbergae 1735. in 8. plag. 13.

VIII)

VIII) Curante eodem principe, ibidem impressi Sermones Sacri, diebus solemnibus, lingua vulgari dicti a Stanislao Szembeck, archiepiscopo Gnesnensi et regni primate, 1726 in 4. Alphab. 1.

SZEMBEK (*Christophorus Antonius comes in Slupow*) Primum Liuoniae, deinde Posnaniensis, postea Cuiauiensis episcopus, tum denique archiepiscopus Gnesnensis, regni primas etc. in tuenda religione auita acerrimus, ceteroqui natura bonus, et vulgo SWIETA DVSZA, hoc est, sancta anima, appellatus. Aetatis LXXXV obiit pridie Non. Iulii A. 1748. Scripta eius haec sunt:

I) Sanctissimi D. N. Dom. Clementis, papae XI, duae constitutiones, quarum vna incipit: *Vnigenitus Dei filius*, altera: *pastoralis officii etc.* adiiciuntur cardinalis de Alsatia de Boussu etc. epistolae pastorales, et plura alia, in constitutionum illarum Apostolicarum defensionem, edita. Vars. typ. Schol. piar. A. 1719. in 4 plag. 10.

II) Synodus dioecesana Posnaniensis, per biduum Vars. celebrata. A. M. DCC.XX. diebus 27 et 28 mens. Feb. Vars. typ. Schol. piar. in 4 Alphab. 1. plag. 5. in fine addita est: *collectio nonnullorum iurium regni Poloniae contra haereticos.*

III) Monita pastoralia, vniuerso clero et populo dioecesis Cuiauiensis et Pomeraniae, data, aduersus eos, qui cognitiones, de sagis sinistre instituunt. Vratislauiae in Polonia maiori. A. 1727 Latine et Polonice. Germanica versio legitur in diario illo: *Preussischer Todes-Tempel* p. 322.

IV) Oratio vernacula, quam ad regni ordines, Stanislai regis seruandi caussa, mutuo foedere iunctos, habuit. Czenstochouiae d. IX mens. Febr. A. 1735. reperitur etiam in Suada Polona T. I p. 204.

Idem princeps perhibetur auctor commentationis vernaculae: de cardinalitia Cracouiensis episcopi dignitate, archiepiscopi Gnesnensis iuribus, non derogante. a. 1741.

TARLO (*Ioannes*) Palatinus Sendomiriensis, aquilae albae eques, morte occubuit 1750. Reliquit permultas orationes vernaculas in senatu dictas.

WCISLOWSKI (*Valentinus Iosephus*) S. Th. D. Can. reg. S. Sepulcri congregat. Miechouiensis, praepos. conuentus et eccles. Cracou. obiit XV Calend. Maii a. 1747. Scripsit poema vernaculum, *Theologia Polona*, inscriptum, Leopoli 1742 in 4 plag. 20.

WESSEL (*Augustinus*) Episcopus Camenecensis, animam Deo reddidit III idus Febr. a. 1735. Scripta vernacula haec reliquit:

I) In psalmos septem poenitentiales paraphrases Cracouiae, typis Caesarii, 1724 in 4 Alphab. 3 plag. 10

II) Ad vitam piam et Christo dignam, adhortationes. Vars. typ. Soc. Ies. 1728 in 4 Alphab. 1.

III) Passionis Christi mysticam expositionem, typ. coll. S. I. Leopol. 1738. in folio. Alphab. 9. plag. 2.

IV) Optimam episcopi formam, absque anni et loci mentione, in 8.

WIERVSZEWSKI (*Casimirus*) Soc. Ies. circa annum 1745 naturae debitum persoluit. Scripta eius:

I) Elogia heroica, D. Stanislao Kostka per Clementem XI, apotheosi donando, dicata. Posnaniae, 1717. in 4 plag. 21.

II) Io. Francisci Regis, Soc. Ies. professi, vita et res gestae, elogiis adornatae. Posnaniae. 1719. in 4. plag. 21.

III) Illustres vmbrae: id est, principes ordinum religiosorum conditores, elogiis celebrati. Posnaniae. 1719. in 4 Alphab. 1. plag. 20.

IV) Laurea poetica, e Soc. Ies. sago et toga inclytis. Calissii 1726. in 8. Tomi II.

V) Europa in Serenissima Lesczyniorum domo, sanguine et affinitate, per orientis et occidentis imperatores: per absolutos Monarchas: per omnes fere Poloniarum reges, per duces, heroes et summos proceres, inclusa, ad connubiale Festum Ludouici XV ac MARIAE LESCZYNIAE Christianissimorum Galliae regum, pro augenda totius Europae laetitia, adaperta. 1725. Francof. in 8. plag. 15. WIERVSEWSCIVS familiarum omnium illustrium, cognatione cum Ser. Lesczyniorum domo, coniunctarum, originem luculenter subtexuit.

VI) Libellus de conscribendis epistolis, lingua vernacula, Posnaniae 1720. in 8. edit. altera Vars. 1739. in 12.

Ei quoque tribuuntur: *Literae amici ad auctorem libelli, cui titulus: de emendandis vitiis eloquentiae*, quibus mira inest verborum petulantia atque mordacitas. Idem ille: *historiam sui temporis*, reliquisse traditur. Suppellex eius libraria collegio cessit Soc. Ies. Lanciciensi ab ipso eodem condito.

WISNIOWIECKI (*Ianussius Korybuth Dux in Zbaraz et Wisniowiec*) Castellanus Cracouiensis, eques aquilae albae, humanis rebus exemtus A. 1741. Extant carmina ipsius complura, adscito Ignatii Lucae Olzowscii nomine, edita. Orationes vernaculae ipsius reperiuntur in Suada Polona Tom. I part. I p. 6. part. II. Gallicum librum: *pensez y bien*, inscriptum, Polonice. reddidit Posnania. a. 1728. in 4. Alphab. 1.

WISNIOWIECKI (*Michael Korybuth, Dux in Wisniowiec*) Ianussii frater germanus, supremus Lith. Cancellarius, post etiam palatinus Vilnensis, et copiarum Lituanarum imperator perpetuus etc. exiit e vita die XVIII. mens. Sept. 1744. Pauli Segneri Soc. Ies. Mannam animae ex Italico in patrium sermonem translatam diuulgauit. Vars. typ. coll. S. I. 1728. in 4. Reliquit etiam historiae populi Dei, a Berruyerico Gallice scriptae versionem Polonam, cuius tomus secundus typ. Schol. piar. Vars. impressus. in folio, 1740. Orationes vernaculae inueniuntur in Suadae Pol. T. I p. I. p. 4. et 54, litterae Polonae T. I. p. IV. p. 35. 63. 66. 81. Bibliotheca hic princeps, vndique magno studio conquisita, gaudebat.

ZAKRZEWICZ (*Simon*) Congregat. missionis Superior Cracouiensis, mortalis esse desiit a. 1740. De cura animarum liber post auctoris obitum Supraslii excusus. a. 1741. in 4. Alphab. 1. plag. 5½.

ZALVSKA (*Alexandra*) Adalberti com. Lanskoronski, Castellani Gostinensis vxor, mortalium grege erepta a. 1744. Crasseti colloquia de augustissimo Eucharistiae Sacramento, ex Gallica in Polonam linguam vertit. Vars. ex typographia Schol. piar. 1735 in 8. plag. 13.

ZALVSKI (*Franciscus comes in Zaluskie*) palatinus Plocensis, eques aq. alb. Spiritum edidit XV. Calend. Dec. a. 1735, aetatis suae LXXV. Extat liber ab eo Polonice confectus: de vita Michaelis, Poloniae regis in folio.

ZAWISZA (*Christophorus Stanislaus comes in Bakszty*) palatinus Minscensis diem obiit a. 1734. Adolescens adhuc publicae luci exposuit:

I) propositiones Christiano politicas, vnitati et pietati animorum, bello et paci vniuersae christianitatis, accommodas. Cracouiae typis vniuersit. 1695. in 4. Alphab. 2. plag. 3.

II) Stanihursti, Soc. Ies. historiam Dei immortalis in corpore mortali patientis e Latino in Polonum Sermonem conuersam excudi curauit, Vilnae 1721. in 4. Alphab. 1. plag. 4.

III) Orationes vernaculae, quibus propriae familiae suae origines adiecit. Vars. typ. S. I. 1728. in 4 Alphab. 2. plag. 3½.

Ante octo circiter annos occubuit filius eius, IGNATIVS ZAWISZA, M.D. Lith. curiae mareschalcus, eques aquilae albae, cuius commentarius legationis suae, ad ANNAM Russorum imperatricem, Augusti III Polon. reg. nomine peractae, lingua vernacula editus. a. 1734. in folio plag. 8.

ZRZELSKI (*Ioannes*) Soc. Ies. Sexaginta annis maior obiit III Non. Dec. 1746. In magno pretio Polonis habentur septem illae conciones vernaculae: de passione Christi. Vilnae typ. S. I. academ. 1739. in 4. plag. 18.

IV.

Lexicon derer itztlebenden Gelehrten in Pohlen, herausgegeben vom Canonico und Bibliothecario Ianozki. Erster Theil. Breslau, verlegts Io. Iac. Korn. 1755.

Hoc est:

Lexicon nunc viuentium eruditorum in Polonia, editum a Canonico et bibliothecario IANOCIO. Par prior. Vratislauiae Sumtibus Io. Iac. Kornii, 1755 in 8. mai. 14. plagulae.

Dominus IANOCIVS, Canonicus Scarbimiriensis, laudabiliter labores suos literatos sustinet, donando Poloniam hoc eruditorum Lexico. Nemo vero miretur, hoc lexicon tam angustis circumscribi terminis, et quatuordecim tantum efficere plagulas. Qui noscit difficultatem, eruditorum Polonorum vitas et scripta ex iis comperire, et quam delicatissima sit res in Polonia de viris doctis viuis scribere, et veritatem dicere, ille certe mirabitur magnitudinem voluminis. Arduum omnino laborem subiit, in re litteraria Polona prae multis aliis versatus IANOCIVS, scribendo de eruditis in Polonia viuentibus, qui, licet aeque laudarit cum modestia ad vnum omnes, quosdam tamen deprehendit male contentos, quia forte laudis nondum habuere satis, vnde quis non inepte colligere possit, istos magis vanis laudibus, quas haud merentur, quam veris meritis, illustri laude dignis,

dignis, florere velle. Quod ſuper eſt, auctor eruditorum Polonorum ſcripta parce tantum citauit, quia in Polonia litterata, vbi catalogum plurimorum eorundem eruditorum ſuppeditauit, de iis iam loquutus eſt. Nobis e re eſſe videtur, catalogum omnium eruditorum in Polonia nunc viuentium ex hoc lexico, eorundemque ſcriptorum ex Polonia litterata, ſimul hic adiicere, vt exteris, ſi non ita cito eorum ſcripta, nomina tamen interim illorum innoteſcant. Sunt autem ſequentes:

ANTONOWICZ (*Michael*) Sacerdos. Perſium cum explicatione Polona edidit.

BARTOLT (*Eraſmus*) Monachus Ord. S. Auguſtini, S. Th. D. opus eius de diſciplinis Sacris ex Sententia D. Auguſtini, lucem nondum vidit.

BIEGACZEWICZ (*Albertus Ioannes Cantius*) A.M. eloquentiae in Academia Cracouienſi Profeſſor, canonicus colleg. S. Annae.

* BIELINSKI (*Franciſcus*) comes ſupremus regni Mareſchalcus, magnus literarum aeſtimator et Maecenas, variorum bonorum librorum promouit liberalitate ſua impreſſionem, varia etiam ſcripta vtilia idiomate Polono donauit, de quibus alio loco vberius dicemus.

BIELSKI (*Ioannes*) e Societate Ieſu, in collegio Poſnanienſi eloquentiae profeſſor, purioris Latinitatis in Polonia inſtaurator.

BOHOMOLEC (*Franciſcus*) e Societ. Ieſ. prouinciae Lithuan. collegii nobilium Varſauienſis eloquentiae Profeſſor. Primus puritatem linguae Polonae introducere laudabiliter conatus eſt.

BOSZKOWSKI (*Philippus*) ord. Ciſtercienſis, S. Theol. D. Liber eius prae caeteris vtilis, eſt: *noua et vetera, liberas, ab antiquo, electiones regularium abbatum Poloniae, concernentia.* in 4. Alphab. 1. plag. 12.

BRZOZOWSKI (*Ioſephus*) Societatis Ieſu, rector collegii Societ. Ieſ. Mſcislauienſis.

BVLHAK (*Georgius*) Epiſcopus Pinſcenſis et abbas Supraslienſis. Iuſſu et ſumptibus eius biblia idiomate Ruthenico Suprasliae impreſſa fuere, anno 1743.

BVRZYNSKI (*Stanislaus*) Caſtellanus Breſtenſis, antea inſtigator m. D. Lithuaniae. Edidit

I) Academiam et vniuerſitatem Vilnenſem Societatis Ieſu, priuilegiis, conſtitutionibus etc. roboratam etc. a. 1738. fol. plag. 13.

II) Apologiam academiae Vilnenſis aduerſus ſcholas pias, a. 1738. fol. plag. 3.

III) Deciſiones cauſarum inter Acad. Vilnenſem aduerſus ſcholas pias, factas a Sereniſs. Auguſto III, Pol. rege. 1738. fol. pl. 1½.

BVTIVS (*Andreas Vincentius*) Auditor et iudex generalis S. Apoſt. Nunciaturae regni Pol. et M. D. Lithuaniae, natione Italus. Deciſiones eius ab a. 1747, vsque ad an. 1754. Varſauiae impreſſae fuere, apud patres Scholarum piarum.

BVYDECKI (*Florianus*) S. Th. D. ord. Canonicor. S. Sepulcri cuſtos generalis, et Canonicus metropolitanus Gneſnenſis. Inter ſcripta eius praecipuum: vita venerabilis ſerui Dei, MATHIAE LVBIENSKI, Archiepiſcopi Gneſnenſis etc. Caliſſii A. 1752. Alphab. III. continens.

BYSTRZO-

BYSTRZONOWSKI (*Adalbertus*) Societatis Iesu, rector collegii Soc. I. Leopoliensis. Scripta eius

I) Polonus politus.

II) Elementa matheseos vniuersae, Lublini, 1743.

III) Kalendaria historica et politica.

BYSTRZYCKI (*Martinus*) Soc. Iesu, S. Th. D. et monitor spiritualis. Iuuenis scripsit introductionem in arithmeticam, Polono idiomate, opus etiam IACOBI CASIMIRI HAVR de re oeconomica, lingua Polona scriptum, amplissimis locupletatum accessionibus, edidit Varsauiae. 1744. in folio Alphab. 3. plag. 4.

CHMIELOWSKI (*Benedictus*) Canonicus honorarius metropol. eccles. Leopoliensis. Varios libros theologicos, nec non introductionem ad eruditionem vniuersalem Polono idiomate scripsit.

CHODYKIEWICZ (*Clemens*) Ord. S. Dominici, conuentus generalis Leopoliensis theologiae professor. Triadem dissertationum, de septem diaconis, deque epistolis ad Corinthios, et martyrio S. Clementis, pontif. max, edidit 1749. in fol. plag. 5.

CIESZKOWSKI (*Crispinus*) Canonicus cathedralis Leopoliensis. Opera Latina poetica auunculi sui edidit, praemissa praefatione erudita de fato poeseos Latinae apud Polonos. a. 1747. in 4. Alphab. 2. plag. 10.

CZAPLINSKI (*Stanislaus*) Societ. Iesu, eiusdemque Archiuarius et historiographus prouinciae Polonae, editurus breui historiam prouinciae Polonae Soc. Iesu.

* CZARTORYSKI (*Theodorus*) Celsissimae Czartoryściorum principum familiae, decus, Poloniae Maecenas, Episcopus Posnaniensis, aquilae albae eques. Orationem de effussione Spiritus Sancti, Romae habitam, nec non epistolam pastoralem, imprimi curauit.

* CZARTORYSKI (*Michael*) Dux in Klewan et Zuko, M. D. Lithuaniae cancellarius supremus, Poloniae Maecenas. Auspiciis eius editio nouissima SARBIEVII. Soc. Ies. Lyricorum prodiit Gedani, a. 1737. Alphab. 1. plag. 2.

CZOSNOWSKI (*Ignatius*) Cubicularius regius, optimas Petri Cornelii tragoedias Gallicas, elegantissimis versibus Polonis expressit.

DAMBROWSKI (*Stanislaus*) Scholarum piarum. Orat. Cic. select. XIII edidit, et alia quaedam.

DANEYKOWICZ (*Ioannes*) thesaurarius districtus Pinscensis, editor Suadae Polonae Latinaeque.

* DEMBOWSKI (*Antonius Sebastianus*) Episcopus Cuiauiensis, ord. aquilae albae eques, Poloniae Maecenas. Scripta eius sunt

I) Recta dioeceseos Plocensis visitandae ratio.

II) Officium passionis etc. carmine Latino et Polono, Dantisci. 1743.

III) Oratio in comitiis a. 1740, sermone vernaculo habita extat in Suada Polona Tom. I. p. 181.

IV) de vniuersae rei Polonae publicae statu, Gallico idiomate.

V) De libertate Polonorum, Latine.

DOCHTOROWICZ (*Fabianus*) Soc. Iesu, Rector collegii Grodnensis. Orationes sacras vernaculas edidit, in comitiis maxime Grodnensibus habitas, maximo regni procerum applausu. Varsauiae. 1748. in 4. Alph. 1. plag. 3.

DOGIEL (*Mathias*) Scholarum piarum, prouinciae Lithuaniae assistens. Vir in rebus litteratis Polonis versatissimus, simul et diligentissimus. Breui orbem litteratum donabit codice diplomatico, quo tabulae publicae, tam veteres quam recentes, ad regnum Poloniae et M. D. Lithuaniae ac reliquas prouincias, Poloniae iunctas, spectantes continentur. Opus sex circiter voluminibus in folio consistens, et quale Polonia nunquam antea vidit.

DOMARADSKI (*Iosephus*) Societ. Iesu Prouincialis dignitate functus methodum tractandi studia correxit, plus sic pro litteris in Polonia faciens, quam scribendo libros, ad quos edendos tempore caret, multis negotiis obrutus. Varias Theses, eo praeside, propugnatas promulgauit, artis disputandi admodum peritus.

DRVZBACKA (*Elisabetha*) Celeberrima Poloniae Poetria, genere Kowalska, Casimiri Druzbascii, thesaurarii olim Zydaczeuiensis, vidua. Opera eius omnia poetica in primo Tomo collectionis poematum viuorum poetarum continentur. vid. biblioth. Varsauiensis pars IV. p. 326.

DVNCZEWSKI (*Stanislaus*) mathes. Prof. in academia Zamoscensi et regni Pol. geometra. Edidit defensionem astrologiae, meditationem de cometa a. 1744, et commentationem de re Poloniae monetali, adiectae Kalendariis, quae ab a. 1726. edere quotannis coepit. Correctionem etiam Heraldicae Polonae Niesiecii suscepit.

DVNSKI (*Aloysius*) I. V. Doctor, et coll. S. Mariae Posnaniae praepositus, canonicus Varsau. honorarius etc. edidit Iureconsultum in materia censuum et decimarum. Posnaniae. in 4. Alphab. 1. plag. 11.

EBERT, natione Saxo, Illustriss. comitis Sapieha, episcopat. Vilnensis coadiutoris, et supremi Lithuan. Referendarii, Secretarius et Bibliothecarius. Opus, quod CONNOR de Polonia edidit, quam plurimis in locis correxit, breui forte typis exscribendum.

FORMICA (*Antonius*) Celsissimi episcopi Cracouiensis archiater, per multos annos in Polonia medicus celeberrimus, natione Italus, nunc colleg. om. Sanctor. Cracouiae Decanus. Edidit consilium medicum, pro auertenda et curanda lue epidemica, in tractu Varsauiensi, anno eodem 1737 grassante. Varsauiae in 8. plag. 4.

GARCZYNSKI (*Stephanus*) Palatinus Posnaniensis, aquilae albae eques etc. Variae eius impressae sunt orationes, in comitiis habitae lingua vernacula, scripsit etiam anatomiam reipublicae Polonae, Sermone Polono, Varsauiae. a. 1751. impressam in 4to. Optimus Senex praeterito anno fatis functus, veneno, vt dicitur, sublatus a domestico seruo.

GOLEMBIOWSKI (*Anastasius*) Carmelit. discalceat. prouincialis. Extat opus eius Leopoli a. 1751 impressum, cuius inscriptio: philosophia naturalis: octo libros physicorum, libros de generatione et corruptione, de anima, ac compendium meteororum complectens, vna cum dedicatione ad S. Thomam Aquinatem, in fol.

GRABIA (*Stanislaus Stephanus*) Canonicus regularis S. Augustini, prior conuentus canon. reg. Tresmenensis. Scripsit

I) de Bennonis, episcopi Misnensis, vita et miraculis.

II) de

II) de ritu gentium, fidei catholicae addictarum, instituendi, in ecclesiis, pia loca, viae crucis, seu Caluarii nuncupata, ad instar stationum montis Caluarii a. 1739. in 12. plag. 5.

III) differt. de canonicis regularibus S. Augustini Calissii. in 4. plag. 3.

* GRABOWSKI (*Adamus Stanislaus*) Episcopus Varmiensis, S. R. I. princeps, aquilae albae eques, magnus literarum aestimator. Poloniae Maecenas. Scripsit

I) explication historique d'un tableau en relief. in 4. mai. pl. 5.

II) Orationem memorabilem Polonam in comitiis Grodnensibus a. 1744. habitam, inuenitur in Daneykowiciana Suada Polona Tom. I p. 441. Auctor etiam hic celsissimus Maecenas, vt Martinus Gallus et Vincentius Kadlubko, cum duobus anonymis ex Ms. bibliothecae episcopalis Heilsbergensis, per celeberrimum LENGNICHIVM in lucem prodierint.

GRABOWSKI (*Mansuetus*) ordinis minorum obseruantium, cognomento Bernardinorum. Impressae sunt ab eo scriptae orationes vernaculae, de laudibus sanctorum. Auctor etiam commentarii rerum, a fratribus ordinis minorum obseruantium qui Bernardini nuncupantur, in Polonia, ab anno 1450, vsque ad an. 1744 gestarum.

GRODZICKI (*Faustinus*) Soc. Iesu. Scripsit

I) theatrum eloquentiae, illustrium personarum apparatu, ex antiquissimis et probatissimis Rhetoribus etc. instructum, Leopoli, 1745. in 8. Alphab. 1. pl. 15. In hoc libro nimium inuehitur in KONARSCIVM, optime de litteris in Polonia meritum.

II) Scientias artium militarium, architecturam, pyrothechnicam, Tacticam, Polemicam, Perspectiuam complectens etc. Leopoli. 1753. editio altera auctior cum tabulis aeneis, in 4.

GRVSZEWSKI (*Hieronymus*) Regens studii theologici fratrum minorum conuentualium S. Francisci Posnaniae, et definitor prouinciae Polonae. Scripta eius sunt

I) de recta litterarum sacrarum pertractione, Varsauiae, 1734, in 12.

II) de vtilibus et inutilibus controuersiis fidei christianae, A. 1740. in 4. lingua vernacula.

III) Orationes sacrae, in duobus Tomis in 4. Posnaniae, 1748.

IV) Consilium de reformandis studiis monasticis, in regno Poloniae, Manuscriptum, quod ob inhibitionem superiorum nondum fuit euulgatum.

HALKIEWICZ (*Michael*) fratrum minorum conuentualium S. Francisci prouincialis. Studium theologicum ordinis sui Varsauiense magno labore correxit, melioremque methodum introduxit, bibliothecam etiam ad eum pertinentem auxit. Scripsit doctrinas Sacras, presbyteris ac vniuerso clero etc. vtilissimas. Vars. 1740. in 8. pl. 11.

HEMPEL (*Raphael*) Soc. Iesu, collegii nobilium Varsau. humaniorum literarum et philos. experimentalis professor. Scripsit: Clodoaldum, Daniae principem, Tragoediam. Vars. 1748. in 4. pl. 6. et Darium, Tragoediam. Vars. 1749. in 4. pl. $7\frac{1}{2}$. missurus breui in lucem orationes suas publice habitas, in quas erit

et illa, de bibliotheca Zaluſciana publica, litterarum in Polonia culturam plurimum iuuante.

HERKA (*Clemens Stanislaus Koſtka*) Gymnaſii academici Poſnanienſis director, et conſiſtorii generalis aſſeſſor. Scripta eius ſunt

I) Quaeſtio iuridica de feriis. Cracouiae in fol. 4.

II) Recueil de quelques exercices de pieté, de civilité et de la Chronologie Sacrée et profane propre à faire profiter la jeuneſſe dans la langue Françoiſe et ces trois choſes en même tems. à Poſen. 1752 in 8. plag. 35. Hiſtoria eius Academiae Cracouienſis ſummo deſiderio expectatur.

HOLOWKA (*Caſimirus Aloyſius*) Soc. Ieſu. apud illuſtriſſ. Anton. Przezdziecki, M. D. Lith. Referendarium a confeſſionibus, eiusque filiorum ſtudiorum moderator, antea Seminarii academici Vilnenſis viceregens. Scripta eius

I) Compendium Geographiae, e priſcis nouisque Scriptoribus depromtum. Vilnae 1743 in 8. plag. 7.

II) Notitia vtriusque Poloniae in duabus tabulis chartae, quam regalem dicimus. 1748. Varias alias praeterea tabulas Geographicas edidit.

HREBNICKI (*Florianus*) archiepiſcopus Polocenſis et epiſcopus Vitepſcenſis ord. S. Baſilii. Literarum aeſtimator et promotor. Varia edidit Scripta contra patres Soc. Ieſu Polocii, concernentia controuerſiam ob bona, a rege Stephano Bathoreo, Graecis ante vnionem ademta, patribusque Soc. Ieſu ibi donata, facta autem vnione a Graecis iterum repetita, inter archiepiſcopos Polocenſes, et rectores collegii Soc. Ieſu ibidem fundati, per ſaeculum iam Romae ab vtraque parte magno ſtudio, ſummisque ſumptibus agitatam.

HVLZEN (*Georgius Nicolaus*) Epiſcopus Smolenſcenſis, literarum aeſtimator et promotor. Scripta eius

I) Laur. Scupoli, cler. reg. certamen ſpirituale ex ital. in Pol. conuerſum. Vilnae. 1741. in 8. plag. 5.

II) Claudii Fleurii etc. catechiſmus hiſtoricus, ex gallico, Polonico expreſſum. a. 1746. in 8. Vol. II.

III) Epiſtola paſtoralis vernacula, ad clerum vniuerſum dioeceſeos Smolenſcenſis. Vilnae 1746. in 4. plag. $3\frac{1}{2}$.

IV) Regulae precandi, lingua vernacula, 1747. in 8.

V) Pia ad SS. Trinitatem, ſuſpiria, opuſculum Latinum.

VI) Conſilium, de recta beneficiorum eccleſiae conferendorum ratione.

VII) Monita, Confeſſariis inprimis pro directione, at vero praelatis et parochis pro correctione, ſcitu perquam neceſſaria; in epiſt. Card. Belarmini; ad epiſcopum Theanenſem, nepotem ſuum comprehenſa, cum annotationibus, Gedani 1755. in 8.

HYLZEN (*Io. Auguſtus*) epiſcopi Smolenſcenſis frater germanus, Palatinus Minſcenſis, aquilae albae eques, litterarum aeſtimator et promotor. Scripſit lingua vernacula Hiſtoriam veteris et nouae Liuoniae, cum omnibus eius priuilegiis, immunitatibus etc. Vilnae, 1750. in 4. Alphab. 2. plag. 13. Variae etiam illuſtriſſimi palatini orationes cultiſſimae vernaculae, in publicis regni conuentibus recitatae inueniuntur in Daneykowicii Suada Polona et Latina.

*IABLO-

* IABLONOWSKI (*Ioſeph. Alexander*) S. R. I. princeps, Palatinus Nouogrodienſis, Sti Spiritus in Gallica ordinis eques etc. Non magnus ſolum literarum aeſtimator et Poloniae Maecenas, ſed et inter principes Polonos eruditos ponendus. Continuo ſtudiis vacat, ampliſſima exquiſitiſſimaque bibliotheca inſtructus, auctor multorum vtiliſſimorum ſcriptorum, edita nempe ab eruditiſſimo hoc principe ſunt

I) *Vſtawy y Zdania* ſeu *apophthegmata* ac ſententiae depromptae et compilatae ex quatuor fontibus, ſcilicet Ameloti, Huſeyii, Oxenſternae et Galli cuiusdam anonymi, addita propria ad capita nonnulla. Varſ. 1741 typis patrum Schol. piar. Editio altera nitidiſſima cum dedicatione ad conſanguineum ſuum et ſocerum Ducem in Wiszniowiec vltimum, in qua Genealogia et hiſtoria Ducum Wiszniowieciorum praeclare admodum, adhibitis etiam exteris auctoribus, pertractata eſt. Opus id ſtylo terſo Polonico conſcriptum, adeo vt vnicuique ſatis factum ſit. Quingenta exemplaria erant A. 1754. de nouo impreſſa, ac vix vnicum apud bibliopolas proſtat.

II) *L' Empire des Sarmates*, Gallico idiomate, ſeu *imperium Sarmaticum*, prima editio in 4. mai. Halae, 1741. Edit. ſecunda, reuiſa, correcta et aucta, Norimbergae 1748, apud Georg. Chriſtoph. Lochner. Tertia editio multo adornatior Halae 1755 apud Chriſtoph. Petr. Franke. De Sarmatis ſeu Aſiaticis ſeu Europaeis, eiusdem tamen gentis, nemo plura ſcripſit, hicque liber rarus ob exemplarium penuriam. In hoc opere non ſolum origo Polonorum a Slauis, horum a Sarmatis probatur, ſed et antiqua regni Poloniae, tum M. D. Lit. geographia et topographia adiuncta eſt, cum chronologia veteri huius regni elaboratiſſima. In ipſo vero fine celſiſſimus auctor adiunxit genealogiam veterum gentium doctiſſimam ampliſſimamque et tabulam Sarmatiae geographicam.

III) Oſada Kleynotow Rycerskich etc. hoc eſt Heraldica, ſeu ſcientia ſtemmatum vel inſignium familiarum Poloniae omnium, ſcientia pauciſſimis in regno nota, cum multis ad rem ſpectantibus ſupplementis, et additamentis, plerumque ex tabulario regni et M. D. Lit. magna expenſa deſumtis, ſimul et chartophylacia theſauri, cancellariarum, tribunalium, praefecturarum, et plus quam viginti praecipuarum. familiarum regni et mag. Duc. Lit. in auxilium adhibita fuere. in 4. Leopoli, typis collegii Soc. Ieſu 1743. Editio ſecunda aucta et correcta Leopoli, A. 1752. Alphab. I. plag. 2. cum multis tabulis aeneis. Opus magna diligentia et lingua vernacula elegantiori ſcriptum, Scientiae huius vocabula explicata omnia, ſecundum regulas Heraldicae. Celſiſſimus auctor diſſerit etiam de originibus Poloniae, magni Duc. Lit. Ruſſiae et Pruſſiae. Additus tractatus de ſucceſſione, quae in iure Polono nondum ſatis definita. Dedicatio eruditiſſima continet originem principum Radiuiliorum et comitum Sapieharum.

V) *Rollini hiſtoria antiqua* etc. ex Gallica in vernaculam verſa. Lublini, typis colleg. Soc. Ieſu. in 4. cultiſſimo hic liber ſtylo Polono exaratus, et iam rarus.

VI) *Tabulae Iablonouianae* etc. Opus in magno folio ſplendidiſſimum, in charta regia impreſſum, cui elaborando celſiſſimus auctor viginti quinque annos impendit. Amſtelodami partim a. 1744, partim Norimbergae a. 1748 typis exaratum. Labor tam magnus in hoc fuit conficiendo opere, vt Societatem magis

gis eruditorum, quam vnicum virum desiderare videatur. Sumtus vero, quos celsissimus auctor in hoc opus genealogicum impendit, fidem fere superant. Breui hae tabulae Genealogicae, in suo genere vnicae et vtilissimae, de nouo auctae erunt impressae, quiaque Latinae, plurima exemplaria iam ad varia regna et bibliothecas publicas designata.

VII) *Vita et Martyrium D. Eustachii*, carmine heroico Polono, Leopoli, in folio, typis colleg. Soc. Iesu. plag. 50. Ducenta tantum exemplaria fuere impressa, vnde iam eo rarior, quo sublimior et gratiosior versificatio.

VIII) *Descriptio fundationis arcis et capellae Lachouecensis*, in 8. 1751. lingua vernacula, elegantissima de palatinatu Volhyniae continens collectanea varia.

IX) *Pars scripturae Sacrae et Psalterium*, Polonicam in linguam fidelissime translatum, in 4. A. 1752. Hunc librum nobilissimum auctor matri suae dedicauit; dignus tanto auctore labor, pia religionis aemulatione ardente.

X) *Musaeum Polonum* etc. in 4. Leopoli 1752. Auctorum Polonorum rariorum elenchum seu compilationem sistit.

XI) *Dissertatio de progressu artis poeticae* in vernacula lingua. Leopoli 1753. in folio. Additus est elenchus, seu musaeum poetarum Polonorum.

XII) *Trigonometria* in 4. A. 1753. lingua vernacula. Liber regni officialibus et geometris Polonis in primis vtilis. Adiunctae tabulae sunt mensurarum, ponderum etc.

XIII) *Podhorecensia*, quibus castrum quoddam auctoris nomen ortumque dedit. Sub nomine nobilissimi domini Georgii Scopii, Angli prodiit, sed celsissimus auctor varia lectu digna addidit. Leopoli, 1754. in 4.

XIV) *Dodecas ducum Martis Poloniae et M. D. Lit.* seu classicum Sarmatiae, Leopoli, 1754. in fol. typis Io. Filipowicz. Tom. I continet praefationem, ordinem totius materiae distincte exponentem. Sequitur dissertatio de origine Ducum exercituum regni Poloniae, deque functionibus eorum et praerogatiuis, cui etiam historiae bellicae Polonae potissima pars inserta est. Additae etiam sunt constitutiones omnes de ducum praerogatiuis et re militari summa cum cura ab celsissimo auctore compilatae, quam materiam nemo, quantum scimus, Polonorum adhuc tangere ausus est. Series deinde ab anno millesimo ad nostra vsque tempora, omnium, qui in republica fuere, ducum, maximo cum labore collecta. Secunda dissertatio agit de ducibus exercitus militiae aulicae, vulgo domus regiae. Tertia, de Regimentariis seu generalissimis, qui et supremi et campi ducis munere simul fungebantur. Quarta, de ducibus ad vitae tempus regimen capessentibus. Quinta et vltima ducum quorundam vitae et gesta illorum nitidissimo stylo Polono exponuntur. Tom. II aliorum Sex ducum vitas continebit. Tom. III. iam omnium exercitus ducum vitas comprehendet absolutas.

XV) *Anecdota Iablonouiana*, de quibus in trimestri primo fuse egimus, cui operi vltimam auxiliatricem porrexit manum illustrissimus regni referendarius, comes ZALVSKI.

XVI) *Nagody* seu *nuptiae Chananaeae*, liber purae et verae deuotionis, religioni Sacer. in 8 mai. Lipsiae typis Io. Christ. Langenheim. a. 1755.

XVII)

XVII) *Dissertatio de progressu literarum in Polonia*, seu Specimen literarum Slauo Polonarum in 4. Ex ea quilibet copiosissimam notitiam et eruditionem auctoris facile colliget.

XVIII) *Bibliotheca Iablonouiana*, seu catalogus, studio Witzlebenii, viri eruditi in 4. mai. Lipsiae litteris Breitkopfianis a. 1755. Obseruationes, librorum raritas, et pretia adiecta sunt. Tres adhuc tomi sperantur, quorum primus manuscripta membranacea continebit.

Sequuntur nunc alia opera celsissimi auctoris, typis nondum exscripta, tempore autem imprimenda, nempe

XIX) *Ephemerides peregrinationis Iablonouii* in 4. Gallico idiomate.

XX) *Astronomia Iablonouii*, septem sectiones continens, etc. in folio.

XXI) *Repertorium Historiae.*

XXII) *Collectanea poetica selecta*, ex omnibus fere poetis.

XXIII) *Orationes Iablonouii*, comitiales, nuptiales et funebres, Polonico idiomate vario tempore habitae, et in vnum volumen collectae.

XXIV) *Vindiciae Poloniae contra Bohemiam*, seu scriptores Bohemos, qui corpus D. ADALBERTI, quod Gnesnae asseruatur, male se possidere gloriantur.

XXV) *Tabularium locupletissimum domus Iablonouianae*, in folio.

XXVI) *Diarium obsidionis Gedanensis.*

XXVII) *Mappa*, seu *tabula* geographica regni Poloniae, omni cum cura per celsissimum auctorem disposita, et per Saint-hillers delineata.

XXVIII) Duodecim orationes M. T. Ciceronis in vsum emendandae eloquentiae.

Stupebit forte lector, celsissimum nostrum Iablonouium, principem, regni senatorem, tam multis aliis negotiis obrutum, tam multa variaque opera exarare potuisse. Sed ille est, qui se reipublicae, litteris Musisque totum dicauit, rarissimum, singulari memoria dignum, et non omni saeculo sperandum exemplum *.

IABLONOWSKI (*Stanislaus Vincentius*) S. R. I. princeps, Palatinus Rauensis, Sti Spiritus in Gallia, et aquilae albae eques, Poloniae maecenas, nuper fato functus. Scripta eius sunt

I) C. Cornelii Taciti sententiae morales, de adulatione. Ex Gallica Amelotii editione in vernaculam translatae. Leopoli, 1744. in 4. Alphab. I. pl. 6.

II) Vita Sti Nepomuceni, lingua vernacula.

III) Poema de victoria magni STANISLAI IABLONOWSKI a Turcis et Tartaris A. 1685 reportata.

IABLONOWSKI (*Ioannes Caietanus*) S. R. I. princeps, palatinus Braclauiensis, aquilae albae eques, nec non aurei velleris, literarum aestimator et promotor. Scripta eius

I) Hi-

* Hic Catalogus Scriptorum IABLONOVII principis in Lexico Ianociano non reperitur, vbi lector ad Poloniam eiusdem litteratam remissus, in qua autem quinque tantum eius operum mentio facta est.

I) Hiſtoriae biblicae trium illuſtrium matronarum, Eſtherae Iudithae, et Suſannae; patrio carmine delineatae Leopoli 1747, in 4.

II) Paralellon duorum Ioſephorum, patriarchae et B. V. Mariae ſponſi. 1749. in 4. plag. 8.

IARMVNDOWICZ (*Caſimirus*) I. V. Doctor et Profeſſor in Acad. Cracouienſi, collegii Ilcuſenſis canonicus. Scripta eius variae diſſertationes iuridicae, et Hiſtoria abbatiae ciſtercienſis, quae Landae eſt, et de eius abbatibus. Posnaniae a. 1745. in folio. Expectatur opus eius de re monetaria Polona ſummo cum deſiderio.

IAROSZEWICZ (*Florianus*) ord. Min. S. Franciſci ſtrictae obſeruantiae reformatorum prouinciae Ruſſicae prouincialis, ſcripſit principia theologiae Aſceticae ad vſum et captum tyrocinii religioſi, potiſſimum ſeraphici ordinis minorum S. P. N. Franciſci ſtrictae obſeruantiae reformatorum. Ex probatis auctoribus collecta, diſpoſita et elucidata A. D. 1752. Leopoli, typis confrat. Sanctiſſimae Trinitatis in 8. Alph. 2. pl. 9.

IAWORSKI (*Stanislaus*) Soc. Ieſu prouinciae Polonae, orator et poeta. Prae caeteris eius ſcriptis memoria digna

I) Tragoedia Ionathan, lingua vernacula, verſibus ſine rythmis conſiſtens, Caliſſii producta et impreſſa a. 1746 in 4. plag. 10.

II) Oratio pro vera eloquentia, Lublini habita a. 1751. in 4 pl. 3.

IEZIERSKI (*Carolus*) Soc. Ieſu prouinciae Lith. Philoſoph. in Acad. Vilnenſi Profeſſor primarius, eiusdemque Syndicus et Bibliothecarius, varia edidit ſcripta in quibus philoſophiam Ariſtotelicam contra patres ſcholarum piarum defendere conatur.

IEZIERSKI (*Stanislaus Raymundus*) ord. S. Dominici, epiſcopus catholicus Bakouienſis in Valachia. Varias habuit orationes ſacras ſolennes, quae autem nondum impreſſae. Bibliothecam Dominicanorum Lublini auxit.

IVNIEWICZ (*Michael*) Soc. Ieſu prou. Lith. eiusdemque procurator generalis. Imprimi nunc curat lettres edifiantes et curieuſes, ecrites des Miſſions etrangeres par quelques miſſionaires de la compagnie de Ieſus.

IVRAHA (*Caſimirus*) Soc. Ieſ. prou. Lith. tabularii prouincialis inſpector. Editurus bibliothecam ſcriptorum Soc. Ieſ. prouinciae Lithuaniae.

IVRAHA (*Ioannes*) Soc. Ieſu prou. Lith. Caſimiri frater Germanus collegii et Academiae Vilnenſis rector. Scripſit apologiam pro vniuerſitate Vilnenſi, aduerſus clericos regulares, qui a ſcholis piis denominantur. Vilnae. 1739. in folio. plag. 4.

KAMIENSKI (*Valentinus*) Scholar. piarum. Hiſtoriam vet. et nou. teſtamenti epiſcopi Varmienſis et ſupremi Cancellarii, Zaluſcii, ex Gallica editione dom. le Maitre in linguam vernaculam translatam de nouo imprimi curauit pro vſu Scholar. piarum. Varſ. 1744. in 8. Eodem tempore edidit controuerſias a religioſis Scholar. piarum collegii Varſauienſis, collegio Varſauienſi Societatis Ieſu, de iure publice imprimendi, illatas in 4. plag. 7.

KEMPSKI (*Adamus*) Secretarius mareſchalci regni ſupremi, comitis Bielinſcii. Poeta Polonus elegantiſſimus, breui editurus opus poeticum contra religionis cauillatores in Polonia.

KIELLPSZ (*Michael*) Soc. Iesu prou. Lith. Auctor Tragoediae, cui nomen *Sedecias*, vtraque lingua, Latina et Polona scripta ab eo, et nobili iuuentute Varsauiae acta a. 1752, eodemque anno impressa in 4. plag. 26.

KOBIELSKI (*Franciscus Antonius*) episcopus Luceoriensis et Brestensis, Ser. reginae cancellarius, aquilae albae eques. Scripta eius

I) Panegyricus Augusto II, regi Poloniarum optimo maximo dictus. Craconiae 1734. in 4. plag. 3.

II) Sermones sacri solemnes, absque loci indicio excusi. 1735. in 4.

III) Litterae pastorales ad vniuersum clerum et populum vtriusque dioeceseos, cum annexis de verbo ad verbum, in testimonium legis suae, sanctissimi Domini Benedicti Papae XIV constitutionibus et litteris, in anno 1740. 1741. et 1742. emanatae, ad perpetuam rei memoriam, et intro contentorum executionem, pro vnaquaque Dioeceseos ecclesia, in vnum codicem, typis reimpressae. Leopoli 1744. in 4. plag. 20.

IV) Conciones vernaculae, ad Iudaeos, in maxima ipsorum celebritate, habitae. Leopoli, 1746, in 4.

KOLA (*Demetrius Franciscus*) Scholar. piarum prouinciae Polonae, in celsiss. regni primatis aula theologus. Scripta eius

I) Meditationes de summis Christianismi practici capitibus. Varsauiae 1742 in 4. Alphab. I. plag. 2 Polono idiomate.

II) Catechismus Romanus, electissimis codicis sacri locis, adornatus. Vars. 1742. in 4. Alphab. I. plag. 5. Polono idiomate.

III) Nouum magnum Lexicon abbatis Daneti Gallicum et Latinum, cum interpretatione Polonica, Varsauiae, typis S. R. M. et reipublicae in coll. Schol. piar. in folio. Tomus I. 1743. continet literas A - E. Tom. II. 1745. exhibet F - Z.

IV) Compendium Heraldicae. Vars. 1747. Polono idiomate.

* KOMOROWSKI (*Adamus*) Archiepiscopus Gnesnensis, regnique primas etc. etc. literarum in Polonia promotor et Maecenas. Sub celsissimo eius nomine prodierunt

I) Informatio pro vniuerso clero archiepiscopatus Gnesnensis etc. lingua Latina. in 4. plag. 2.

II) Defensio cleri Poloni contra accusationes saecularium. in fol. plag. 3. lingua vernacula.

KONARSKI (*Stanislaus*) Scholarum piarum, vir de litteris in Polonia optime meritus. Scripta eius sunt

I) Elegiarum Libri III, quibus accessit decas Lyrica. Varsauiae 1724. in 12. plag. 9.

II) De emendandis eloquentiae vitiis Liber I cum consensu superiorum. Varsauiae 1741. in 8. plag. 20.

III) Grammatica Latina, ad vsum iuuentutis Scholar. piar. in 8. edit. tertia Varsauiae. 1743.

IV) Flauii Eutropii breuiarium historiae Romanae, Laur. Reinhardi obseruationibus, indice Latinitatis et Geographico exornatum, iuxta exemplar Hafniense recusum. Vars. 1744. in 8. plag. 16.

V) Collegii priuati, ad normam illuſtriſſimi illius Naſareni Romani, ſub regimine ſcholarum piarum, cura eorundem pp. ſumtibus autem publicis, pro educanda nobiliſſima Polona et Lituana iuuentute, coepti, tam interior quam exterior facies, expoſita ſimul ſaluberrimi huiusce inſtituti ratione. Sermone Gallico et Polono. Varſ. 1744 in folio. conſtat plagulis 8 et tabulis aeri inciſis 4.

VI. Carmen epicum de Serenisſ. Stanislai I regis, Lotharingiae et Bari Ducis, virtutibus. Lutetiae pariſiorum 1747. in 4.

VII. Reuer. pater KONARSKI maxime etiam auctor fuit, vt leges, ſtatuta, conſtitutiones, priuilegia regni Poloniae, M. D. Lithuaniae, omniumque prouinciarum annexarum, a comitiis Visliciae A. 1347 celebratis, vsque ad vltima regni comitia, in ſex tomos in folio colligerentur ſumtibusque publicis typis Schol. piar. imprimerentur. Ampliſſimi vtiliſſimique huius operis Tomus I a. 1732 editus. Tom. II. a. 1733. Tom. III. a. 1735. Tom. IV. a. 1737. Tom. V. 1738. VI vltimusque Tomus a. 1739. Doctiſſimam praemiſit doctiſſimus Konarscius praefationem: *de legum, apud Polonos ortu ac progreſſu.*

Eidem tribuuntur: Epiſtolae familiares. A. 1733. in 4. partes II.

Nec deſunt, qui modeſtiſſimo Konarſcio attribuant: Reſponſiones, ad Academiae et Vniuerſ. Vilnenſis, Soc. Ieſ. priuilegia, conſtitutiones, Decreta, lingua vernacula, ex typographia Schol. piar. Varſ. in vulgus editas. 1738. fol. plag. 6. Eius quoque ductu in publicum prodiiſſe dicitur: Summarium priuilegiorum, decretorum, teſtimoniorum etc. concernentium fundationem Vilnenſem Schol. piar. absque anni et loci indicio fol. plag. 10.

KOWALSKI (*Ioannes*) Soc. Ieſ. Polonae prouinciae. Innotuit ſcripto contra patrem Schol. piar. Antonium Wiſniewski, Caliſſii a. 1750. impreſſo in 8, plag. 7. Sub titulo: philoſophia peripatetica, orthodoxis veritatibus, prae aliis ſectis philoſophicis conformior.

KRASZEWSKI (*Daniel*) Ord. Praemonſtratenſis, Abbas Vitouienſis. ingens condere aggreſſus eſt opus: de vitis ſanctorum Praemonſtratenſium. in folio. Animo etiam meditatur opuſculum: de ordinis Praemonſtratenſis apud Polonos, inſtitutione atque propagatione in 4. Varia etiam opuſcula theologica tuendae deuotionis cauſa edidit, omnia idiomate Polono.

KROLIKOWSKI (*Caſimirus*) Ord. S. Dominici Polonae prouinciae, S. Th. D. ord. ſui per Poloniam prouincialis. Scripſit

I) Obſeruationem canonicam in conſtitutionem regni Poloniae A. 1685, ſub IOANNE III, de reparatione viarum, in hac alma ciuitate Varſauienſi latam in fol. plag. 2½.

II) de petulantia Iudaeorum in regno Poloniae et in primis in magno ducatu Lithuaniae, vna cum remediis contra eam. Leopoli, in 4. A. 1750, Latino et Polono idiomate.

KRVSINSKI (*Iudas Thadaeus*) Soc. Ieſ. Miſſionarius Perſicus. Praeſtantiſſimum eius opus eſt: *Tragica vertentis belli Perſici hiſtoria, per repetitas Perſarum clades, ab anno 1711 ad annum 1728 continuata. Poſt Gallicos, Hollandicos, Germanicos, ac demum Turcicos, auctoris* typos auctior. Acceſſit ad eandem hiſto-

riam,

riam, relatio Turcico - Persicae legationis, quam ad Persarum regem, Szah Sultan Hussein, Durri Effendi, solemniter administrauit, et redux e Perside, Turcarum imperatori, Achmet III, in scripto consignauit. Ex Turcico, additis Scholiis, Latine facta. Coronidem imponit: de legationibus Polono - Persicis, dissertatio. Leopoli 1740. typis coll. Soc. Ies. in folio alphab. 7. plag. 14.

KRVSZEWSKI (*Antonius*) Soc. Ies. prouinciae Lith. Scripsit informationem pro iis, qui aegrotos ad mortem praeparare debent Vars. 1750 plag. 26. in 8.

KRVSZEWSKI (*Franciscus*) Soc. Ies. prouinciae Lith. Antonii frater, Acad. Vilnensis procurator. Eo curante prodierunt Odae VII, R. P. Matthiae Cas. Sarbieuii, S. I. quae in libris lyricorum non habentur. Vilnae 1747. in 12.

KVRZENIECKI (*Martinus*) Soc. Ies. prou. Lith. Explicationes euangeliorum vna cum catechismo edidit, Polono idiomate, a. 1752. in 4. nec non colloquium inter procerem et in aula sua theologum, de maxime necessariis fidei capitibus, eadem lingua. in 8. Vilnae.

LABENSKI (*Simon*) Praefectus Rohatynensis. In Polonam linguam traduxit

I) instructions pour un jeune Seigneur, ou l' idée d' un galant homme, par Mr. de la Chetardie.

II) Reflexions sur les femmes, par Mad. la Marquise de Lambert. Satyram etiam edidit sine indicio nominis et loci in 4. contra ordinem liberorum murariorum. Optimas etiam Gallorum tragoedias Polonis versibus expressit, quae vero nondum impressae.

LASKOWSKI (*Martinus*) Soc. Ies. Polonae prouinciae. Edidit Io. Musantii facem chronologicam auctiorem, in 8. a. 1748. Sandomiriae. Auctor etiam variarum orationum poematumque Latinorum.

LAZNIEWSKI (*Ignatius Carolus*) Soc. Ies. prou. Lith. Nuper collectionem selectarum suarum concionum edidit Vars. 1742. in 4. mox in vulgus traductionem orationum sacrarum, quas abbas Massillon coram Ludouico XV, Galliarum rege, tempore quadragesimae, habuit, editurus.

LEGVCKI (*Ioannes*) Soc. Ies. prouin. Pol. Volumen panegyricorum Leopoli a. 1750 in 4 edidit.

LESKI (*Adalbertus Stanislaus*) monachus Cisterciensis, episcopus Culmensis. Scripsit

I) Sancita ordinis Cisterciensis, tam antiqua quam nouissima, per capitula generalia, ac etiam prouincialia, pro Polona congregatione Cisterciensium, sancita et definita A. 1745 in 4. Alphab. I. plag. 3. absque loci et typographi indicio.

II) Dissertationem, in qua controuertitur, liceatne dissidentibus Thorunensibus fanum, vulgo Zbor, pro exercitio suae Augustanae confessionis, erigere Thorunii, cum annexis literis et manifestationibus, hoc in negotio scriptis, atque ad acta castrensia Christburgensia porrectis in 4. plag. 10.

Ad hanc dissertationem Thorunenses solide responderunt, sub titulo: *animaduersiones ad dissertationem quandam, liceatne dissidentibus Thorunensibus fanum* etc. fol. plag. 3.

LIPIEWICZ (*Andreas Dominicus*) Poeſ. et matheſ. in Acad. Poſnanienſi Prof. ſcripſit de vera origine capitaneatuum reg. Pol. et M. D. Lith. nec non de ordine equitum Melitenſium, eiusdemque in Polonia adminiſtratoribus. Poſnaniae 1747. in 4. plag. 3.

LOPACINSKI (*Ioannes*) canonicus eccleſ. cathedral. Vilnenſis. Compendium hiſtoriae eccleſiaſt. Langleti du Fresnoy, et abbatis de Vertot de rerum in Luſitania commutationibus ex Gallico in Polonum idioma traduxit.

LVBIENSKI (*Mathias Ioſephus*) Archidiaconus eccleſ. cathedral. Cracouienſis etc. etc. Polono idiomate donauit Facciolati: Giouane cittadino inſtruito nella ſcienza ciuile, e nelle Leggi dell' amicizia; in 4. plag. 25.

LVBIENSKI (*Vladislaus Alexander*) Reg. Poloniae Notarius maior, Abbas commendatarius Paradiſienſis, Scholaſticus cathedralis Cracouienſis, canonicus metropolitanus Gneſnenſis, vir magnae probitatis. Opus magni laboris ei debemus, totius terrarum orbis deſcriptionem geographicam, chronologicam et hiſtoricam, lingua Polona. Vratislauiae a. 1740. in fol.

LVBOMIRSKI (*Antonius Benedictus*) S. R. I. princeps, praefectus Caſimirienſis, ord. Sti Andreae in Moſcouia eques. Praeter orationes Suadae Polonae inſertas, celebratur et illa, quam in funeribus Soceri ſui, comitis Georgii Ozarowski, reg. Pol. caſtrametatoris a. 1741 defuncti, habuit, Varſauiaeque typis Schol. piar. in folio impreſſa eſt.

* MALACHOWSKI (*Ioannes*) Supremus regni Poloniae cancellarius, magnus litterarum aeſtimator et Poloniae Maecenas. Pater eius erat palatinus Poſnanienſis, mater nata princeps Lubomirska. Orationes tam vernaculae quam Latinae reperiuntur in Suadae Polonae T. I. p. 89. 423. Tom. II. p. 10.

MALCZEWSKI (*Adamus*) Soc. Ieſ. Scripta eius duo, contra celeber. Stanislaum Konarſcium, et ſalis et fellis pleniſſima nempe:

I) Specimina ligatae et ſolutae eloquentiae. A. S. 1747. Poſnaniae in 8 Alphab. I. plag. 5.

II) de vera eloquentia diſceptatio, eiusdemque analyſis Cicerone illuſtrata. M. DCC. XL. VIII. Poſnaniae in 4 plag. 12.

MAMCZYNSKI (*Stanislaus*) I. V. in Acad. Cracouienſi profeſſor, eccleſ. colleg. Sti Michaelis decanus, I. V. D. et conſiſtor. general. Cracou. aſſeſſor. Scripta eius

I) Praxis commiſſorialis fori ſpiritualis compendioſiſſima etc. Poſnaniae 1738, edit. altera 1745 in 8. plag. 12.

II) de priuilegiis iuriſconſultorum. Cracouiae, typ. vniuerſ. 1748. fol. plag. 4.

III) Panegyrici vernaculi lectiores, Diis Poloniae praeſidibus dicti. Poſnaniae 1738. in 4. Alph. I. plag. 3.

Varias etiam edidit quaeſtiones iuridicas, ex quibus prae caeteris celebris de vita et honeſtate clericorum Cracou. 1747. impreſſa.

MASSALSKI (*Michael*) Caſtellanus Vilnenſis, Lithuaniae belli dux ſecundus, ord. aquilae albae eques etc. Orationes vernaculas, viri huius eloquentiſſimi vide in Suadae Polonae Tom. I. p. 108, 261. Filius eius IGNATIVS MASSALSKI, M. D. Lith.

Lith. Notarius, eccleſ. cathed. Vilnenſis et collegiatae Varſau. canonicus edidit diſputationem de praecipuis eccleſiae Romanae placitis. in folio plag. 10.

MASZTEROWSKI (*Ioſephus*) Congregat. miſſionum ſacerdos, varias edidit philoſophicas et theologicas diſputationes.

MICINSKI (*Adalbertus*) I. V. D. et profeſſor primarius in Acad. Cracou. eccleſ. cathed. canonicus. Scripſit de priuilegiis et immunitatibus vniuerſitatis Cracouienſis in 4. In animo etiam habet: ius regni Poloniae, auctore Zaluszowski, nouis acceſſionibus auctum edere.

MISKE (*Ludouicus*) S. Th. D. ord. min. conuent. S. P. Franciſci. Scripta eius:

I) Commentarius de rebus S. Heduigis, Poloniae et Sileſiae ducis, coenobii virginum Ciſtercienſium, quod Trebnicii floret, conditricis. Cracouiae 1724. in 4. Alphab. 3. plag. 5 idiomate Polono.

II) de excellentia praeſtantiaque trium ordinum a diuo Franciſco inſtitutorum, deque illorum viris, apud Polonos, vel doctrina vel ſanctimonia illuſtribus liber ſingularis. Poſnaniae 1736, in 8. pl. 14. Varia etiam, magna religionis aemulatione correptus edidit ſcripta contra diſſidentes, nec non conciones vernaculas, partim typis expreſſas.

MIZLERVS de KOLOF (*Laurentius*) philoſ. et Med. D. Ser. Regis Polon. Conſ. A. et Med. etc. natione Germanus. Scripta eius ſunt:

I) Diſſertatio quod muſica ſit ſcientia et pars eruditionis philoſophicae, quam in Acad. Lipſienſi publico eruditorum examini ſubmiſit, reſpondente Liborio Oſchmann. in 4. a. 1734. plag. 3. edit. altera 1736 plag. 4.

II) De vſu ac praeſtantia philoſophiae in theologia, iurisprudentia, medicina, vbi ſimul recitationes ſuas priuatas indicat. Lipſ. 1736. in 4 plag. 2.

III) Muſicaliſche Bibliothek, oder gründliche Nachrichten etc. hoc eſt, Bibliotheca muſica, ſeu relationes ſolidae vna cum iudiciis ſinceris de libris ſcriptisque muſicis. Volumen primum, ſex ex partibus conſiſtens, vna cum tabulis aeneis indicibusque. Lipſiae 1739. Alphabet 1. plag. 12. in 8. Pretium decem Sextarii.

IV) Sammlung auserleſener moraliſcher Oden etc. h. e. Collectio ſelectarum odarum moralium, in vtilitatem et oblectamentum muſices amatorum edita. Notae muſicae ſuper XXIV tabulas aeneas expreſſae ſunt auctore Mizlero, verſus autem odarum typis exſcripti. in 4. plag. $3\frac{1}{2}$. Lipſiae. Eadem ratio eſt ſequentium collectionum, quarum vnaquaeque XXIV odas, et totidem tabulas, aeri inſculptas, continet.

V) Zweite Sammlung auserleſener moraliſcher Oden etc. hoc eſt: Secunda collectio ſelectarum odarum etc. Lipſiae. plag. $3\frac{1}{2}$. in 4.

VI) Dritte Sammlung auserleſener moraliſcher Oden etc. h. e. Tertia collectio ſelectarum odarum etc. Lipſiae plag. $3\frac{1}{2}$. in 4.

VII) Vierte und lezte Sammlung auserleſener moraliſcher Oden etc. h. e. Quarta et vltima collectio ſelectarum odarum etc. Lipſiae. plag. $3\frac{1}{2}$. in 4.

Hae quatuor collectiones ſimul ſumtae continent XCVII odas, et totidem tabulas aeneas. Pretium huius operis eſt imperialis ſolidus.

VIII) Gradus ad Parnassum, oder Anführung zur regelmäßigen musicalischen Composition etc. h. e. Gradus ad Parnassum, siue manuductio ad compositionem musicae regularem, methodo noua, ac certa, nondum ante tam exacto ordine in lucem edita, elaborata a. Ioan. Iosepho Fux, S. Caes. ac Reg. cathol. maiestatis Caroli VI Romanorum imperatoris, supremo chori praefecto. Nunc ex Latino in Germanicum idioma translatam, vtilibus necessariisque notis aucta, editaque. Lipsiae 1742. in 4. Alphab. 1. plag. 2. cum tabulis aeneis LVII. Pretium 1. th. 12. gl. seu $7\frac{1}{2}$ tynfones Poloni.

IX) Musicalische Bibliothek etc. h. e. Bibliotheca musica, seu relationes solidae vna cum iudiciis sinceris de libris scriptisque musicis, in qua omnia quae ex mathesi, philosophia, et litteris humanioribus, ad explicationem et correctionem cum theoreticae tum practicae musices pertineant, sensim suppeditantur. Volumen secundum consistens ex quatuor partibus, cum tabulis aeneis xxxvi. Lipsiae, 1743. in 8. Alphab. I. plag. 19. Pretium 1. Thal. seu 5 tynfones monetae Polonae.

X) Anfangsgründe des Generalbasses, nach mathematischer Lehrart abgehandelt etc. h. e. Elementa Bassi generalis, methodo mathematica scripta, et ope machinae hunc in finem inuentae perspicue proposita. Lips. 1739. in 8. plag. 10. vna cum machina, quae constat ex variis tabulis aeneis, quae super asserculos, vel varias conglutinatas philuras, agglutinatae, coloribus, cum tonis musicis sub eandem rationem cadentibus, distinctae et gummi transparente incrustatae. Pretium 2. Th. 12. gl. seu 12. tynfones.

XI) Musicalischer Staarstecher etc. h. e. Ophthalmiater musicus, qui probatorum musicorum errores modeste animaduertit, imaginarios vero melodiarum textores deridet. Appendicis loco, domini Riuae, tunc temporis Principis Mutinensis residentis Londini ministri, relatio pro musicis, qui cantica notis excipiunt, cantoribusque adiuncta, ex Italico in Germanicum idioma translatum a Laur. Mizlero in 8uo. Lipsiae 1740. plag. 8. Pretium 6. gl. seu 4 Sextarii monetae Pol.

XII) Programma de natura Syllogismi etc. Lips. in 4 plag. 2.

XIII) Vier Sonatinen auf die Queerflöte etc. h. e. Quatuor cantica, dictae ab Italis Sonatine, pro tibiis transuersis, et illis, quae oboi dicuntur, nec non pro fidibus et pinnis tactilibus organicis, composita. fol. Super XVII tabulas aeneas expressa. Lips.

XIV. Bibliotheca musica, seu relationes solidae cum iudiciis sinceris de libris scriptisque musicis, in qua omnia, quae ex mathesi, philosophia et litteris humanioribus ad explicationem et correctionem cum theoreticae tum practicae musices pertineant, sensim suppeditantur. Volumen tertium, quatuor ex partibus consistens, cum tabulis aeneis LVII. Lipsiae 1752. in 8. Alphab. 2. plag. 6. Pretium 1. Th. seu 5 tynfones.

XV) Eiusdem bibliothecae musicae voluminis quarti, pars prima et secunda etc. Lipsiae 1754.

XVI) Dissertatio inauguralis medica de balsami sui vulnerarii vsu ac praestantia in omnibus vulneribus, vlceribus cum inueteratis tum venereis, omnibus exter-

externis et plurimis internis inflammationibus, ſcirrhoſis inflammatisque feminarum mammis etc. manibus pedibusque frigore laeſis, viperarum morſu, tuberibus, ſcirrhis etc. inuentore et auctore Laur. Mizlero. in 4. plag 5. Erfordiae. A. 1747.

XVII) Eadem diſſertatio, Germanico idiomate: Abhandlung vom Nutzen und Gebrauch des Mizleriſchen Wundbalſams. ibidem. 1747. in 4.

XVIII) De vſu ac praeſtantia medicamentorum chemicorum. Varſauiae 1751. typis colleg. Schol. piar. in 4.

XIX) Conſultatio de neceſſitate collegii medici auctoritate regia Varſauiae erigendi. Varſ. typis colleg. Scholar. piar. a. 1752. in 4.

XX) Warſchauer Bibliothek etc. h. e. bibliotheca Varſauienſis, ſeu ſolidae relationes de libris ſcriptisque, tum veteribus tum nouis in Polonia editis, in qua ſimul hodiernus eruditionis in Polonia ſtatus enarratur. Ex partibus quatuor conſiſtens, adiectis indicibus. Varſauiae et Lipſiae 1755. in 8uo. Alphabet 1.

XXI) Hiſtoriarum Poloniae, ab exceſſu Vladislai IV. regis Poloniarum ad pacem Oliuenſem vsque Libri IX, ſeu annales regnante IOANNE CASIMIRO, Poloniarum Sueciaeque rege, ab anno 1648 vsque ad annum 1660, auctore Ioan. Laur. Rudawski, equite Polono etc. Ex manuſcripto celeberrimae bibliothecae Zaluſcianae edidit, notas, vbi opus videbatur, et hiſtoriam in compendio ab anno 1660 vsque ad annum 1668, adiecit ac praefatus eſt Laurentius Mizlerus. Varſ. et Lipſiae. 1755. in folio Alphabet. VI. plag. 2.

XXII) Acta litteraria regni Poloniae et magni D. Lithuaniae A. MDCCLV. publicata. Trimeſtre primum et ſecundum cum Sereniſſ. regis Polon. priuilegio. Varſauiae typis Mizlerianis. Pretium pro integro anno, 4. tynſones. Catalogum hic meorum ſcriptorum omnium inſerui, licet in Lexico Ianociano tria tantum eorum citentur. Quod vitae meae res quasdam circumſtantes attinet, valde optaſſem, vt reuerendus auctor huius lexici eas prius amice mecum communicare voluiſſet, vt de contrario eum certiorem facere potuiſſem. Hoc autem non facto, non poſſum non, ad ea, quae typis exſcripta a veritate deſciſcunt, reſpondere hoc loco, falſaque amice refutare. Primum aperte falſum eſt, quando literatiſſimus auctor p. 108 dicit: *me Varſauiae medicinam exercere coepiſſe.* Ego vero medicinam practicam Konſciis, per ſex annos ante ſemper exercui, medicinae doctor legitime factus aliquot annos ante Varſauiam quam veni, neque demum Varſauiae eam exercere coepi, vt quidam, neſcio quem in finem, aliis perſuadere male informati, non dubitarunt. Teſtis eſt ciuitas Konecenſis, aula illuſtriſſimi ſupremi regni cancellarii, et ſatis magnus numerus nobilium circumiacentium. Sed parum curo, ſi quis medicinae in Polonia practicum me credat vel ſeptem, vel, vt verum eſt, tredecim annorum. Aliud eſt, quando dominus Ianocius ſcripſit: *er miſſet der geſammten zu groſen und rühmlichen Unternehmungen, von Natur angetriebenen Nation, ſolche Fehler bey, die doch nur, wie in andern wohlgeſitteten, und aufs weislichſte eingerichteten Republiken, von einzelnen niederträchtigen Perſonen begangen werden*, hoc eſt: *tribuit toti ad magnas laudabilesque actiones natura incitatae nationi, eiusmodi vitia, quae tamen tantum, vt in aliis bene moratis ſapientiſſimeque ordinatis rebuspublicis, a quibusdam abiectis hominibus committuntur.* Nulla potui percipere cogitatione, quid tandem reuerendum canonicum Scarbimirienſem induxit, vt talia publice mihi obiiciat, quae et falſa et incredibilia ſunt, quaeque nullo modo pro-

probare poteſt. Falſum eſt, me vitia quaedam tribuiſſe toti inclytae nationi in bibliotheca Varſauienſi, de qua ſemper cum debita reuerentia loquutus ſum. Nullo etiam alio de vitio, quam de literarum in Polonia negligentia generatim ſermonem feci. Euoluat quis bibliothecam Varſauienſem, et quaerat, vtrum ea inuenire poſſit, quae inique mihi hic obiiciuntur. Affirmans debet probare argumentum. Prouoco nunc his, vt auctor locum indicare velit, vbi vitium, quod a quibusdam tantum committitur, toti nationi tribuerim. Incredibile deinde etiam eſt, me velle ſcribere contra totam gentem, cum qua conſuetudinem et familiaritatem iungo quotidianam, vbi dego, a qua denique remunerationem propter varios meos pro Polonia labores expecto. Sinceritatem meam erga Poloniam ſatis probaui, et quam plurimi cordati Poloni bene id ſciunt. Si quis inique ea, quae de ſcientiarum in Polonia ſtatu recte ſcripſi, interpretari velit, is ſua per me vti poteſt opinione, mea ſcripta haud legere, et ſcriptores impoſtores, adulatores, mendaces, ſi ita placet, ſibi acquirere. Ego vero nunquam talis ero, qui ſcio in republica litteraria, vt potentiam atque auctoritatem, ſic etiam adulationem atque impoſitionem nullum habere vſum. Sola veritas, ſoliditas ac ſinceritas vtramque hic faciunt paginam. Non credo reuerendum auctorem haec mihi ex ſua ſententia obieciſſe, qui forte tantum inſtrumentum fuit paucorum quorundam inuidorum, qui in odium hac ratione me vocare voluerunt, haud perpendentes, iniquam in rebus litteratis inſimulationem nunquam vllum habere effectum. Merito etiam vir honeſtus eiusmodi machinationes contemnit, qui ventos falſorum rumorum colligere non curat. Haud recuſo etiam odium plebis litteratae ſuſcipere, quod iſti excitare velle videntur, ſi modo finem meum obtineam, nempe vt Poloniae re vera vtilis eſſe poſſim.

Quando denique dominus Ianocius dicit: *me diſſertationes medicas measque inuentiones chymicas, copioſius in taedium amatorum litterarum Polonarum, inſerere*, vix hic opus reſponſione eſt, quia ea iam in bibliotheca Varſauienſi, part. IV. pag. 282 reperitur. Alii aliter ſentient. Medicina enim atque chymia ſunt illae ſublimiores ſcientiae, quae prae caeteris vtilitatem afferunt longe maiorem, quam purae putae recenſiones librorum Polonorum ſtupendae raritatis.

MLODOWSKI (*Antoninus*) Monachus ord. D. Baſilii magni Ruthenus, S. Th. D. coll. Zyrouicenſis praefectus, ſcripſit: philoſophiam peripateticam, ex Graeca D. Io. Damaſceni Baſiliani etc. interpretatione, a perditiſſimis Arabum fabellis liberatam. Supraslii A. 1749. in fol. pl. 17.

MORAWSKI (*Leo*) I. V. D. Canonicus metropolitanus Gneſnenſis. Orator Polonus perplures ſcripſit habuitque orationes vernaculas. Latina etiam vna extat, in conſtit. Synod. Poſnan. A. 1738 habitae.

MOZAŃSKI (*Paulus Sebaſtianus*) canonicus regul. S. Auguſtini coll. Caliſſienſis, recudi curauit: R. D. Auguſtini Erath, tractatum, in quo Sacrae canonicorum regularium veſtes, ex ſummorum pontificum decretis SS. congregationum declarationibus etc. demonſtrantur. Caliſſii 1744. in 4. plag. 10. Ad calcem huius editionis adiecit obſeruationes ad rem eiusdem ordinis Polonam pertinentes. Edidit etiam priuilegia, congregationi ſuae, a Papis Romanis, archiepiſcopis Gneſnenſibus etc. data, adiectis explicationibus hiſtoricis.

NAGVRC-

NAGVRCZEWSKI (*Ignatius*) Soc. Ief. prou. Lith. Bucolica Virgilii polonis verfibus donauit.

NAKIELSKI (*Stephanus*) Canonicus et concionator coll. ecclef. Skalmierfcii vitam celeberrimi Samuel. Nakielfcii breui editurus.

NAROLSKI (*Iofephus*) Ord. D. Bafil. imprimi curauit: Iofaphatidos, fiue de nece B. Iofaphat Kunczewicz, archiepifcopi Polocenfis, ritus Graeci, pro vnione, Vitebfci a fchismaticis caefi lib. III, olim A. 1628 a fratre Iofaphat Ifakowicz, ord. D. Bafil. elucubrati et typo mandati. Poczaiouiae A. 1748. in 4. plag. 11.

NEIFELD (*Erneftus Ieremias*) Med. D. et Medicus Lefnenfis. Ex numero medicorum, qui in Polonia fcientias excolunt, literatorum, quique egregia eruditionis folidae fpecimina edidit. Scripta eius:

I) Primitiae phyfico-medicae, ab iis, qui in Polonia medicinam faciunt, collectae. Volum. I. Lesnae typis Prefferianis. in 8. plag. 17. Volum. II. Züllichouiae, fumtibus Orphanotrophei apud Io. Iac. Dendelerum 1750. in 8. plag. 18. Volum III. ibidem 1753. in 8 plag. 20. Ad has primitias multa etiam contribuit D. GOTTLOB EPHRAIM HERRMANNVS, celfiffimi principis SVLKOVII medicus, et phyficus ciuitatis Boianouae in maiori Polonia, qui pariter ex numero medicorum in Polonia litteratorum fcientias excollentium, quique prae multis aliis locum in hoc lexico meruiffet.

II) Specimen I phyfico-medicum de fecretione humorum in genere, ex mechanica folidorum ftructura, fluidorumque genio demonftrata. Zullichouiae apud Dendelerum A. 1751. in 8. plag. 14.

III) Phyficalifche Abhandlung vom Altwaffer Sauerbrunnen in Schlefien etc. hoc eft: Tractatus phyficus de aquis acidulis in pago Altwaffer in Silefia etc. Zullichouiae apud Dendelerum. a. 1752. in 8. plag. 15.

NIEMIRZYCZOWA (*Antonina*) Nata Ielowicka, poetria Polona celebris, edidit lingua vernacula cantilenas Sacras in 4. Leopoli 1743, nec non translationem Polonam fabulae romanenfis domini Prechac: Le beau Polonois. ibidem 1750 in 4.

OLECHNOWICZ (*Antonius Bonauentura*) monachus conuent. minor. prouinciae Lith. S. Th. D. Guardianus Grodnenfis. Scripfit obferuationes rituales. Decreta Sacrae rituum congregationis circa miffas ac diuinum officium debite ordinandum, quae nondum ad notitiam in his partibus peruenerunt, diligenter collecta. etc. Vilnae 1738. in 8.

ORLOWSKI (*Auguftinus*) Schol. piarum prou. Pol. Praefectus coll. nobilium Varfauienfis, hiftoriarumque Profeffor fere omnes domini de Voltaire tragoedias verfibus Polonis donauit, quae Varfauiae fuper theatro collegii Schol. piar. magno applaufu actae fuere, et breui typis exfcriptae in lucem prodibunt.

ORLOWSKI (*Carolus Nepomucenus*) Archidiaconus Kiiouienfis, edidit hiftoriam epifcopatus Kiiouienfis, illiusque epifcoporum Leopoli 1748 in 4.

OSMOLSKI (*Onuphrius*) Carmelita difcalceat. Pol. prou. Sti Spir. vifitator in Polonia generalis, in linguam vernaculam transtulit P. Philippi a ftma trinitate decus carmeli religiofi in fplendoribus fanctorum ac illuftrium carmelitarum. Pars I. Lublini a. 1746. in fol. Pars II. Cracouiae 1746. Pars III. ibid. 1747. ad quas acceffit fupplementum, ibid. in eadem forma.

R OSTROW-

OSTROWSKI (*Antonius Casimirus*) Episcopus Liuoniae, vicarius in spiritualibus et officialis generalis Ducat. Masouiae. Literarum in Polonia aestimator et promotor. Epistola eius pastoralis a. 1753. Vars. impressa, singulari memoria digna est, quia hic prudens antistes in ea falsam religionis aemulationem, nimium adhuc in Polonia grassantem, secundum Christi praecepta, et dicere etiam possumus, secundum regni constitutiones, moderari sapientissime conatur, his verbis: *Verum, vt vestri huius memineritis officii, iuuabit plurimum meminisse huius, quem incolitis, loci. Hae etenim, quibus excolendis delecti estis, prouinciae, vt vt numerum Christi fidelium contineant non temnendum, ferunt tamen plures quoque, a vera fide et Sancta ecclesia Romana catholica alienos. Vnde, quo facilius hi ad gregem et ouile Christi adducantur, quo zelo, quo exemplo praeditos vos esse oporteat? et zelo quidem, sed illo, qui secundum scientiam Christi est, suaui, discreto, modesto, temperato. Non in contentione vocis et clamoris, sed in ostensione veritatis, et soliditate doctrinae; non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in fundamentis et inexpugnabili robore Scripturarum.*

OZGA (*Alexius*) Schol. piarum, in prou. Pol. Secretarius, nunc perillustris ac magnifici praefecti Varsauiensis, comitis de BRÜHL, studiorum theologicorum moderator. Varias in lucem edidit orationes Latinas elegantes, nec non poemata. Speramus etiam ALZIRAM, Voltarii tragoediam Polonis versibus redditam.

PALASZOWSKI (*Io. Ios.*) I. V. D. et Professor in Acad. Cracouiensi, archidiac. eccles. coll. O. Sanct. Imprimi iterum curauit: Hier. Venero deLeyua examen episcoporum et eorum, qui approbandi sunt ad administranda sacramenta. Posnaniae 1736. in fol. nec non Argenidem Barclai, a Venceslao Potocio versibus Polonis donatam, ibid. in 4.

PILECKI (*Alexander*) Soc. Ies. pol. prou. monitor Spiritualis collegii Leopoliensis, Io. Petri Pinamonti, opuscula ascetica omnia ex Italico sermone, in Polonum conuersa, edidit a. 1744, Sandomiriae in 4.

PODLESIECKI (*Alexander*) Soc. Ies. prou. Polonae. Scripta eius:

I) Compendium philosophiae Aristotelicae, ad consummatissimorum in Polona Soc. Ies. prouincia, philosophorum rationem, explicatae. Sandomiriae 1731. in 8. Alphab. I.

II) Placita recentiorum in prouincia Polona Soc. Ies. philosophorum. Lublini, 1743 in 8 plag. 22.

III) Logica FRANCISCI SVAREZ, S. I. in Hispania, e manu scripto edita. Leopoli 1755.

* PONIATOWSKI (*Stanislaus Ciolek comes*) Magnus litterarum in Polonia aestimator et Maecenas, castellanus Cracouiensis, et primus regni Poloniae Senator. Huic tribui solet libellus ingenii plenus: Remarques d'un Seigneur Polonois Sur l'histoire de Charles XII, Roi de Suede, par Mr. de Voltaire. A la Haye. 1741. in 8. plag. 12.

PORTALVPI (*Antonius Maria*) Theatinus, Italus natione, Ser. Reg. Pol. capellanus aulicus. Varios scripsit panegyricos, varia etiam dramata Metastasii Latina reddidit. Meritum etiam haud exiguum habet, qui philosophiam Wolfianam inter primos in Polonia docuit.

POSZAKOWSKI (*Ioannes*) Soc. Ies. Scripta eius:

I) Do-

I) Doctrina diſſidentium, cum doctrina veteris eccleſiae collata. Vilnae 1733. in 4. plag. 12.

II) Corpus Controuerſiarum theologicarum, partibus quinque diſtinctum, a. 1736 et quatuor ſubſecutis excuſum. Vilnae. in 4.

III) Examen religionis reformatae. Varſ. typis coll. S. I. 1742. in 4. Alphab. 1. plag. 9.

IV) Hiſtoria Lutheraniſmi. Vilnae 1745. in 4. Alphab. 3. plag. 5.

V) Hiſtoria Caluiniſmi. Varſ. typ. S. I. 1747. in 4. Alph. 2. plag. 5.

VI) Nicolai Sanderi hiſtoria ſchiſmatis Anglicani, ex lingua Latina in Polonam translata. Varſ. 1748. in 4. Alphab. 2. plag. 22.

VII) Animaduerſiones criticae in R. Simeonis Iochaidis librum, *Sohar* inſcriptum. Varſ. ex typographia S. I. 1749. in 4. Alphab. 1. plag. 16.

VIII) Kalendarium Soc. Ieſ. maius, res eiusdem Societatis memorabiles per ſingulos anni dies, a primis ipſius initiis, vsque ad ſecundum eius annum iubilaeum repraeſentans. Vilnae. in 4. Alphab. 2. plag. 2.

IX) Kalendarium Societ. Ieſu minus, ſecundo ipſius ſaeculo transacto, publicatum. Vilnae. 1740. in 12. plag. 19.

X) Guilielmi Marcelli conſpectus Chronologiae, Polonice verſus, ingentique rerum ad Poloniae ſtatum pertinentium, acceſſione locupletatus. Vilnae 1748. in 12. Partes II.

XI) Cenſura libri, ab HATZFELDO, peruerſae mentis homine, hoc titulo diuulgati; La decouverte de la verité et le monde detrompé à l'egard de la philoſophie et de la religion.

XII) Abſurda Ianſeniſtica, hoc eſt, ſceleratus, per gratiam Paſchaſii Quesnellii, Ianſeniſtarum anteſignani, ab omni culpa et poena immunis, vti euidentiſſime demonſtrat ſequens: colloquium theologicum Catholici cum Ianſeniſta: nunc primum ex Gallico, quo in Batauia prodiit ſermone, Latine redditum.

XIII) Vernacula lingua donauit Homelias Ioſephi Lamberti, S. Th. D. Vilnae Tom. I. II. in 4. cui adiectus eſt cathechiſmus cardinalis Bellarmini.

POTKANSKI (*Florentinus*) Schol. piar. Rector collegii Louicenſis: Extat eius: de Zaluſciorum in rem Polonam litterariam, meritis, vid. nouvelle biblioth. Germanique. Tom. I. p. I. pag. 171. Extant etiam eius conciones vernaculae. Varſ. typ. Schol. piar. 1744. in 4. plag. 14. nec non carmina, tam Latina quam Polona, haud inuita Minerua ſcripta.

* POTOCKI (*Antonius*) Palatinus Belzenſis, ord. aquilae albae et Sti Andreae eques etc. Magnus litterarum aeſtimator et Poloniae Maecenas. Vir tanta facundia praeditus, vt in dicendo vix parem Polonia, noſtra aetate, ſenatorem habeat. vid. genealogia Potociana p. 340. Leguntur eius aliquot orationes vernaculae elegantiſſimae in Suada Polona Tom. I. pag. 429. et Tom. I. part. VI. plag. 92.

RADLINSKI (*Iacobus Paulus*) S. Th. D. ordinis canonicorum regularium cuſtodum S. Sepulcri praepoſitus generalis infulatus, vir optimus, et licet iam ſeptuagenarius, tamen diligentiſſimus. Scripta eius:

I) Norma vitae apoſtolicae, vniuerſo ordini apoſtolico canonicorum regularium propoſita. Prima pars, Cracouiae 1725 in 8. Alphab. 1. plag. 4. pars ſecunda, Lublini, 1732. in 8. Alphab. 1. plag. 3.

II) Sepultura viuentium in ſepulcro Chriſti, ſeu meditationes in pſalmos, cantica et euangelia. Lublini 1734. in 8 Alphab. I. plag. 20.

III) Sepulcrum paraſceues etc. ſeu praxis viſitandi ſepulcra Chriſti, quae pro die paraſceues, in variis eccleſiis exſtrui ſolent, in memoriam illius ſepulcri Hieroſolymitani. etc. Sandomiriae. 1736. in 8. Alphab. I. plag. 9.

IV) R. Stanislai a Lowicz, canon. reg. S. Sepulcri, enchiridion de immaculata conceptione B. M. V. A. 1538 Cracouiae impreſſum. Iam variis acceſſionibus amplificatum. Cracouiae. typis Dyaszewski. 1747. in 8. plag. 12.

V) Conſtitutiones capitulorum generalium Miechouienſium, ord. can. reg. S. Sepulcri etc. A. D. 1747. in 4. plag. 22.

VI) Encaenia bibliothecae Zaluſcianae publicae Varſauienſis. Crac. 1748. in 4. Alphab. I. plag. 5.

VII) Vita Claudiae, ducis Lotharingiae, fundatricis conuentus Carolopolitani, Virginum S. Sepulcri. olim a R. P. Hilarione de Coſte, ord. minimorum, Gallice ſcripta, nunc in Latinos numeros conuerſa. Crac. 1749 in 8. plag. 14. Veniunt nunc opera, quae Polona lingua ſcripta ſunt:

VIII) Officium de Sepultura Chriſti Domini. Lublini. 1730. in 8. plag. $12\frac{1}{2}$.

IX) Sepulcrum paraſceues etc. Lublini, 1730. in 8 plag. 21. idem liber qui No. III, ex hac Polona in Latinam verſus.

X) De ratione diuini Sacrificii. Lublini. 1731. in 8. plag. 18.

XI) De dignitate Sacerdotali. Lublini. 1735. in 8. plag. 15.

XII) Veritas chriſtianae religionis adſerta, h. e. epiſtola R. Samuelis Marocciani ad R. Iſaacum, Subiulmecenſis Synagogae magiſtrum, miſſa etc. ex fr. Alphonſi Boni hominis ord. praedicat. Latina verſione Polonice reddita et annotationibus aucta. 1733. Lublini in 8. Alph. 2.

XIII) Supplicationes doloroſae virgini Mariae praeſtandae. Cracouiae 1744. in 8. plag. 10.

XIV) Trophaea immaculatae conceptionis, b. v. M. ligato Sermone Latino. Crac. 1751 in 4. Alphab. I. plag. 14.

XV) Fundamenta ſcientiarum, ſeu principia et axiomata, partim philoſophica, partim theologica. Crac. 1753. in 4. Alph. 2.

* RADZIVILL (*Michael Caſimirus*) Dux in Olyka et Nieswiz, palatinus Vilnenſis, exercitus Lituani imperator, eques ord. aquilae albae, magnus litterarum aeſtimator et Poloniae Maecenas. Extant eius orationes vernaculae in Suada Polona. T. I. p. 165. 241. 385.

* RADZIVILL (*Vlricus*) Dux in Olyka et Nieswiz, ſtabuli Lith. praefectus ſupremus, ord. Sti Andreae eques, magnus litterarum aeſtimator, doctiſſimusque princeps. Varia quidem ſcripſit, ſed praeter poemata quaedam nondum typis ea mandare voluit.

REINALD (*Ioſephus*) Schol. piar. extant eius conciones Polonae Varſ. 1745. in 4. Alph. I. pl. 14.

RO-

ROBERTSON (*Guilelmus*) I. V. D. Archidiaconus Posnaniensis, canonicus Gnesnensis et Varsauiensis. Extant eius Sermones Sacri Crac. 1724 et Posnaniae auctiores recusi 1744. in 4. lingua vernacula.

ROSNERSKI (*Matthias*) fr. minor. obseru. prouincialis maioris Poloniae, traduxit vitam Ladislai de Gielnow Sancti, ex Vinc. Morauii Latine scripta.

ROSOCKI (*Lucas*) Schol. piar. prou. Lit. collegii Vilnensis Schol. piar. rector. edidit conciones de passione Domini. Vars. 1731. in 4. plag. 19. lingua Polona. et vitam Serui Dei Calasantii, cler. reg. pauperum matris Dei Schol. piar. fundatoris. Vilnae. 1736. in 4. Alphab. 2. plag. 5. Lingua vernacula.

ROSTKOWSKI (*Antonius*) S. Th. D. Canonicus chelmensis etc. varia opuscula lib. Bar. de Wolf philosophica, nec non elementa eius matheseos Polono idiomate donauit, quae autem nondum impressa.

RVBCZYNSKI (*Martinus*) Carmelita antiquae obseruantiae, S. Th. D. prior conuentus Leopoliensis. varias vitas sanctorum sui ordinis ex idiomatibus, Gallico atque Italico, in Polonam linguam traduxit. Varia etiam Scripta et dissertationes polemicas contra schismaticos Polona et Ruthena lingua vulgauit.

RVDNICKI (*Syluester*) Episcopus vnitorum Luscensis. Scripsit: iura et priuilegia, genti Ruthenae catholicae a maximis pontificibus Poloniaeque regibus concessa, in 4. Leopoli. 1746.

RVDZKI (*Andreas*) Soc. Ies. pol. prou. Edidit sub ficto nomine Adalberti Obrembski, philosophiam orthodoxam, omnium ferme saeculorum consensu, doctissimorum virorum existimatione, ecclesiae auctoritate, cum suo principe Aristotele celebratissimam. Posnaniae 1747 in 4. plag. 9. Suo autem nomine scripsit: aristotelicam philosophiam, quaestionibus eruditis ac notis sententiarum illustratam, in 8. Lublini. 1750.

RYLLO (*Maximilianus*) Monachus ord. Basilii Ruthenus, S. Th. D. Scripsit commentarium in Baronii cardinalis historicam relationem de Ruthenorum origine, eorumque miraculosa conuersione. Supraslii.

* RZEWVSKI (*Venceslaus*) Palatinus Podoliae, exercitus regni Poloniae dux secundus, ord. aquilae albae eques, magnus litterarum aestimator, cultor et promotor. Scripsit carmen Polonum elegans, AVGVSTI II, Polon. reg. virtutes celebrans. Oratio in celsissimum Wisniowiecium, humanis rebus ereptum, comtissima legitur in Suada Polona T. I. part. V. p. 98. Ibidem inuenitur responsum illustrissimi palatini, ad epistolam Clementis XII, Romani pontificis, quam ad Palatinum Podoliae A. 1739. d. VII. Sept. Scripsit. Tom. II. part. II. plag. 47.

SAPIEHA (*Io. Fridericus S. R. I. comes in Koden*) Cancellarius M. D. L. ord. aq. alb. eques, magnus olim litterarum aestimator et Poloniae Maecenas. Scripta eius:

I) Monumenta antiquitatum Marianarum, in imagine vetustissima, vulgo Gregoriana, a S. Augustino Romano, depicta, integerrimae virginis Deiparae de Guadalupe Kodnensis. Ex ipsius ecclesiae archiuis, tum domus suae tabulariis, collecta. Vars. typ. S. I. 1721. in fol. Vol. II. Sermone Latino.

II) Adnotationes historicae, de origine, antiquitate, excellentia, heroici ac celeberrimi in regno Poloniae, ordinis equitum aquilae albae etc. cum fig. a. 1730.

a. 1730 in 4. Alph. 2. plag. 5. Varſauiae, licet nomen Coloniae inſcriptum ſit. recuſum hoc opus in Daneykouicii Suada Polona et Latina T. II. p. VI. pl. 32. etc. Polonice quoque prodiit, interprete Adamo comite CHODKIEWICZ, Sororis defuncti cancellarii filio. Varſ. typ. S. I. 1730. in 4. Alph. 1. plag. 8.

III) Domina palatii, regina libertas, ſeu familiare amicorum colloquium, de ſtatu, libertatibus et iuribus regni ac reipublicae Poloniarum, vbi maleuolae extraneorum obtrectatorum obiectiones ſolide et erudite refutantur. Primum typis polonice mandatum, nunc vero Latine redditum, ab Aenea Philone de Cantia Maſcarino Liliato ciue Cennio. Liberopoli. 1746 in 4. Alph. 1. Recuſum et hoc opus in Suada Polona T. II. part. III. p. 122.

IV) Renati Auberti de Vertot: hiſtoria commutationum reipublicae Romanae, ex Gallico in patrium ſermonem, translata. Varſ. typ. S. I. 1736. in fol. Alph. 4. plag. 17.

V) Orationes vernaculae, in Senatorum conuentibus habitae, leguntur in Suada Polona T. I. part. I.

VI) Epiſtolae ipſius Latinae, ad viros aeui noſtri principes ſcriptae, exhibentur in Suada Polona T. II. part. II. p. 30.

VII) Epitaphium, quod ſibi viuus poſuit Kodnae recenſetur in Suada Pol. Tom. II. part. IV. p. 119.

VIII) Auctor etiam eſt libelli Poloni, in quo demonſtrauit: *Polonos, in nouo eligendo Rege, a ſtirpe regia, temere nunquam diſceſſiſſe* a. 1743. in 12 ſine nomine auctoris, loci et typographi.

SAPIEHA (*Ioſephus*) comes in Dambrowna, epiſcopus Diocaeſarienſis, coadiutor epiſcopatus Vilnenſis, Supremus M. D. Lith. referendarius etc. magnus litterarum aeſtimator et cultor, nuper fatis functus. Muſae Polonae lugent mortem magni huius viri, qui prae caeteris multa praeclara pro incremento ſcientiarum fecit. Varia etiam ſcripſit, inter alia, libellum Gallico ſermone de educatione iuuenum nobilium, qui valde aeſtimatur. Sed eo viuo nil fuit typis exſcriptum. Orationes eius publice habitae inueniuntur in Suada Polona T. I. p. 425. II. p. 31.

* SAPIEHA (*Michael*) M. D. Lith. procancellarius, ord. aquilae albae eques, magnus litterarum aeſtimator, in poeſi Polona excellens, Voltarii tragoediam Zayram verſibus Polonis donauit, vt et alias Gallorum tragoedias. Vilnae in 4.

SCZEPANOWSKI (*Staniſlaus*) minorita conuent. prou. Pol. Scripſit: commentarium de vita et Scriptis vener. Ioannis Dun, cognomento Scoti, Doctoris ſubtilis et Mariani, in fol. Varſ. typ. Schol. piar. 1752.

SIERAKOWSKI (*Venceslaus Hieronymus*) Epiſcopus Premiſlienſis, litterarum praecipuus aeſtimator, edidit, cum adhuc eſſet epiſcopus Camenecenſis: edicta et ordinationes, poſt peractam feliciter viſitationem generalem omnium eccleſiarum dioeceſis Camenecenſis, omnibus, iurisdictioni ſuae ſpirituali ſubiectis ad obſeruandum praeſcripta, quae in nouis relationibus de rebus litteratis Lipſienſibus, (neuen Zeit. von gelehrten Sachen) a. 1747. p. 850 cum laude recenſentur.

SIESTRZEWITOWSKI (*Ludouicus*) Soc. Ief. prou. Lith. poeta clarus, qui inter illos, qui bibliothecae Zalufcianae laudes celebrarunt, praemium fecundum obtinuit. vid. Nouvelle bibliothèque Germanique Tom. III. p. I. p. 204. Ille etiam eft, qui omnia carmina Latina nomine prouinciae Lithuanae conficit.

SIKORSKI (*Marianus*) ord. Sanctisf. trinitatis de redemptione captiuorum Chrift. Sacerdos. Scripfit: Hypomnema ord. difcalceat. Stae trinitatis, in inclytum regnum Poloniae introducti etc. Varfauiae in fol. typ. Schol. piar. 1753. Alphab. IX. plag. 9.

SKOCZYNSKI (*Petrus*) ord. fratrum minorum S. P. Francifci reformatorum in prouincia Pol. mai. prouincialis. Edidit orationem faecularem Vernaculam etc. in Acad. Cracou. recitatam, cui hiftoria Acad. Cracouienfis adiecta eft. Pofnaniae 1745 in fol. Alphab. 1. plag. 7. Ex hac ea, quae in bibliotheca Varf. part. IV. et horum actor. trimeftr. I, de Acad. Cracou. dicta, depromta funt, adiectis noftris acceffionibus et annotationibus.

SKORSKI (*Ioannes*) Soc. Ief. prou. Pol. Scripfit poema epicum fub titulo: Lechus, carmen heroicum, regni aurei et liberi primordia et vetuftatem fortunamque variam, decantans libris XII. in 8. Leopoli 1745. Auctor etiam eft variorum panegyricorum Latinorum.

SLIWICKI (*Petrus Hyacinthus*) congreg. presbyterorum Saecularium miffionis in Polonia vifitator generalis et praepofitus ecclef. S. crucis Varfauienfis. Vir de litteris in Polonia bene meritus, quia methodum Scholafticam tractandi theologiam in feminariis congreg. fuae abrogauit, bibliothecam quoque, quae ad Stam Crucem pertinet, auxit, aliaque vtilia effecit. Multis negotiis obrutus fcriptioni librorum vacare haud poteft, eo magis autem alios confiliis fuis adiuuat. In publicum tamen exire paffus eft: Vitam Beati Vincentii a Paulo etc. a Noireto Gallice defcriptam. Varf. 1729. in 8. plag. 10.

SOKOLNICKI (*Benedictus*) ord. fr. minor. Francifci reformat. prou. Pol. mai. ecclef. cathedral. Pofnan. poenitentiarius, edidit tractatum theologicum, de confcientia recta in obfcuris. Pofnaniae 1748. in 8. Alphab. I. plag. 3.

STEINHAÜSER (*Ioannes Beniamin*) Ser. reg. Pol. confiliarius camerae, commiffionis thefauri aulici vicepraefes. Vir in rebus Polonis, quae ad hiftoriam et ftatum pertinent, valde peritus, diligentiffimus fimul et probatae fidei. Scripfit opus egregium de veteri et nouo ftatu regni Poloniae, Gallico idiomate, nec non correctiones et auctiones, ad Heraldicam P. Niefiecii pertinentes. Nondum autem voluit typis opera haec vtiliffima varias ob caufas mandare.

SWINARSKI (*Laurentius*) celfiffimi regni primatis, Adami Komorowski, cancellarius, varias facras conciones lingua vernacula edidit felectas.

SZEMBEK (*Iofephus Euftachius*) Epifcopus Plocenfis, ord. aquilae albae eques, litterarum aeftimator, edidit epiftolam paftoralem ad clerum et populum dioecefanum Plocenfem. Varf. typ. S. I. in 4. plag 13.

SZYDLOWSKI (*Laurentius*) Schol. piar. prou. Pol. rector collegij Sczuczynenfis. Edidit varias conciones facras, nec non fummarium iudicii regularis ex Sacrofanctis canonibus, praecipue decretalibus, Gregorii IX, concinnatum, vna cum directorio vifitationis pro clericis regularibus fcholarum piarum. Varf. 1744. in 8. plag. 16.

TACZAL-

TACZALSKI (*Onuphrius*) ord. congregat. Stae trinit. redempt. captiu. Definitor sui ord. in Pol. et Lith. edita ab eo sunt varia scripta ascetica, inter quae prae caeteris celebrantur: Homo paulo minor angelis, Leopoli 1738. in 8. et aula coelestis a. 1741. ibid. in 8. Tribuitur ei etiam pulcra translatio Polona, purpurati Ioannis Bona principiorum et documentorum vitae christianae. Vilnae 1747. in 8.

TORI (*Iosephus*) Theatinus, ex Italia primum Leopolim, deinde V... uiam missus, vbi in collegio nobilium litteras humaniores cum laude docet. ...dit CCX propositiones historico-theologico-canonicas.

TRZEBICKI (*Nicolaus*) Soc. Ies. prou. Lith. Viceprouincialis et consultor prouinciae, nil quidem scripsit, sed multum pro incremento scientiarum in prouincia sua contribuit.

TYŚKIEWICZ (*Antonius*) Episcopus Samogitiae, ord. aquilae albae eques edidit vitam et virtutes Sti Casimiri, Poloniae patroni. Vars. 1752. in 4. pl. 22.

VSZAKA (*Iosephus*) doctus nobilis in maiori Polonia. Scripta eius:

I) Petit dictionaire Polonois et François, sclon le stile et l' ortografe moderne in 8. Posnaniae 1746.

II) Prodromus Glossarii Polonici sub nomine Stephani Starachouii Calissii. 1749. in 4.

III) Colloquium de ortu et progressu, nec non hodierna descrescentia poeseos et eloquentiae apud Polonos. a. 1753. sine nominis et loci indicio in 8.

WĄNSOWSKI (*Gordianus*) ord. minor. conuent. S. P. Francisci prou. Pol. prouincialis. Scripsit conciones morales, lingua vernacula. Crac. 1743 in 4 pl. 20. tractatum de poenitentia, Crac. 1744. in 12. Traductionem compendii meditationum, de praecipuis fidei nostrae mysteriis, auctore Ludou. de Ponte Soc. Ies. Crac. 1751. in 8

WASILEWSKI (*Adamus Franciscus*) notarius palatinatus Volhyniae. Debetur ei: vita optimi seruatoris nostri, ex virorum diuinorum, Matthaei, Marci, Lucae et Ioannis, relationibus, carmine Polono tersissimo, concinnata, Vars. typ. Schol. piar. 1746 in folio. Alphab. 5. plag. 3.

WESSEL (*Iosephus Bartholomaeus*) Eques Melitensis. Cum in Hollandia fuerit in lucem edidit a. 1750 Amstelodami: ad reflexiones philosophicas de origine animalium, gallice Londini impressas, atheismo velificantes, responsionem clari et exacti ratiocinii. in 8. plag. 7.

* WIELOPOLSKI (*Carolus*) Supremus stabuli regni praefectus, eques aquilae albae, marchio Pinczouiensis, magnus litterarum aestimator, in linguam Polonam transtulit Boethii de consolatione philosophiae Lib. V. Vars. 1738. in 8. plag. 11. Edit. altera a. 1744. typ. Schol. piar.

* WIELOPOLSKI (*Ioannes*) Palatinus Sendomiriensis, eques aquilae albae, praecedentis frater germanus, pariter magnus litterarum aestimator. Rollini, Acad. paris. Rectoris opera idiomate Polono donat, suo tempore imprimenda.

WILKINOWICZ (*Ignatius*) Soc. Ies. prou. Lith. S. Th. D. Rector collegii Pinscensis, edidit tractatum de Deo vno et trino, A. 1739. Vilnae in 4. Alphab. 1. plag. 12.

WIS-

WISNIEWSKI (*Antonius*) Schol. piar. prou. Polonae. Scripſit:

I) Propoſitiones philoſophicas ex phyſica recentiorum. a. 1746. Varſ.

II) Grammaticam Gallicam breuem et facilem. Varſ. 1743 in 8. pl. 7.

III) Panegyricos quam plurimos, maximis Poloniae maecenatibus, communi ordinis ſui nomine, dictos. in folio.

IV) Geographiam, tam generalem, quam ſpecialem, methodo mathematice tractatam, breui forte typis exſcribendam.

V) Compendium ſcientiarum mathematicarum omnium, in vſum iuuenum Polonorum nobilium, muſis, in coll. Schol. piar. Varſ. operam nauantium. opus nondum abſolutum.

Reuerend. P. Wisniewski nunc eſt Conſtantinopoli, cum illuſtriſſimo ſerenisſ. reipubl. Polonae legato comite MNISZEK, theologi munere fungens, qui ſine dubio redux variis experimentis, obſeruationibus, hiſtoriam naturalem, phyſicam, concernentibus, deque ſtatu litterarum apud Turcas certis relationibus nos donabit. Antea iam literatiſſimus Wisniewski in Gallia, Italia, Anglia, Germania fuit, variis cum viris doctiſſimis conſuetudinem amicitiamque iungens, qui ille vir eſt, a quo Polonia multa adhuc expectare poteſt, inſigne iam meritum habens, quod philoſophiam Ariſtotelicam, recentiorum vtiliorem docens ac commendans, expurgare coeperit. Honor pro eo certe eſt, quando a monachis quibusdam, praeſtantiam philoſophiae recentioris ignorantibus, perſecutus atque adeo, quod fidem fere ſuperat, pro haeretico declaratus fuit, id quod doctiſſimus Wisniewski et prudenter et patienter ſuſtinuit, dignus qui ſuo tempore inter litteratos Heroes Polonos numeretur.

WLOCKI (*Ioſephus*) Schol. piar. prou. Pol. Orator ſacer celebris. concionator eccleſiae cathedralis Cracouienſis. Typis euulgauit:

I) Concionum de Chriſti paſſione Volumen I. Vilnae 1729. in 4. Alph. I. Volum. II. Cracou. 1736 in 4. Alph. 1. plag. 2. Volum. III. Crac. 1740 in 4. plag. 15.

II) Sermones quam plurimos, ſolemnibus ſingulis diebus habitos, vnum in volumen redactos 1741. Crac. in fol. Alphab. 6. pl. 12.

III) Sermones ſex, tempore iubilaei habitos. Crac. 1753. in 4. apud Hebanowski.

WODZINSKI (*Nicolaus*) S. Th. D. ord. fratrum eremitarum S. Auguſtini prior prouincialis emeritus. Maximo labore texuit: clarorum ex prouincia familiae Auguſtinianae Polona, virorum catalogum, cui multa inſunt maxime memorabilia, hiſtoriam eccleſiae Polonae illuſtrantia. Lingua Polona, qui vero nondum impreſſus.

WOLLOWICZ (*Antonius*) M. D. Lith. Secretarius maior, etc. litterarum aeſtimator, orator et poeta, ſcripſit carmen vernaculum, ſereniſſimae reginae Polonae, *Mariae Ioſephae* dicatum, in folio.

WOLSKI (*Iacobus*) ord. S. Antonii Patauini reformat. definitor generalis, edidit conciones de paſſione Domini. a. 1731. in 4. Vol. II. Polona lingua. et alphabetum dogmaticum collectum.

WYSOCKI (*Samuel*) Schol. piar. prou. Pol. Rector colleg. Varſ. et prouinciae aſſiſtens. Scripta eius:

I) Orator Polonus, illuſtri iuuentuti, ſcholas pias frequentanti, ad exemplar propoſitus. Varſ. 1740. in 4. Alphab. 4. plag. 16.

II) Tractatus de formandis epiſtolis, iuxta normam veterum recentiorumque ſcriptorum in vſum Schol. piar. conſcriptus. Crac. 1743 in 4. Alph. 3. plag. 8. Haec opera Sermone partim Latino, partim vernaculo, compoſita.

III) Conciones vernaculae ſelectiores, coram illuſtriſſimis tribunalis theſauri Radomienſis iudicibus, habitae. Varſauiae 1742. in 4 Alphab. 1.

IV) Conciones vernaculae de ſanctis, diuerſis in eccleſiis, regni principalibus, habitae. Varſ. 1747 in folio. Alphab. 6. plag. 10. His acceſſit laudatio funebris illuſtriſſ. *Eliſabeth Tarlouiae*, Palatini Sandomirienſis coniugis.

V) Conciones dominicae.

VI) Conciones de paſſione Chriſti Maieſtatica.

Multae praeter ea extant orationes diebus, ordini ſuo ſolemnioribus, dictae, inter quas et illa ſe commendat, qua demonſtratur: *litterarum elegantiorum ac bonarum artium ſtudia, maximo et ornamento, et emolumento, liberae eſſe reipublicae.*

WYSZYNSKI (*Caſimirus*) congregat. immaculat. concept. b. M. V. Sacerdos, praepoſitus generalis. Varia ſcripta in laudem ſtae Mariae eddidit, et Franciſci Ariae, Soc. Ieſ. in Hiſpania, libellum de imitatione Sanctiſſ. Mariae idiomatę Polono donauit. Varſ. typ. Soc. Ieſ. 1749. in 4.

WYZYCKI (*Nicolaus Ignatius*) Archiepiſcopus Leopolienſis, aquilae albae eques etc. litterarum aeſtimator. Duas edidit orationes lingua vernacula, alteram Diuo Stanislao, regni Poloniae cuſtodi, alteram Diuinae Tereſiae, ordinis a monte Carmelo, dicti, patronae, deuotas. Crac. 1725 in fol.

ZABA (*Io. Antonius*) Palatinus Minſcenſis, fatis nuper functus. Edidit Hermanni Hugonis, Bruxellenſis, S. I. pia deſideria, eodem carminis genere, eademque venuſtate Polonice verſa. Supraslii. 1744. in 8. plag. 9.

ZABIELSKI (*Adalbertus Aloyſius*) Soc. Ieſ. prou. Pol. concionator tribunalis Lublinenſis perpetuus. Edidit quinque orationes de debita erga clerum reuerentia eique ſoluendis decimis. Lublini in 4. plag. 18. Magnum opus hiſtoricum: de excidio Hieroſolymae, ſuo tempore imprimendum.

ZAGIELSKI (*Ioſephus Antonius*) Eques Ruthenus, in publicum protulit:

I) Vitam et res geſtas *Leonis Kiszka*, primum Protoarchimandritae congregat. Ruthenorum Lituanae, poſt epiſcopi Vladimirienſis, ac demum Metropolitae totius Ruſſiae. Supraslii 1746. in 4. plag. 3.

II) Profeſſionem orthodoxae fidei, ab orientalibus faciendam, Romae iuſſu Pontificis Vrbani VIII impreſſam, annotationibus hiſtoricis explicatam. Poczaiouiae, 1750. in 4. plag. 6.

III) De epiſcopatu Graeco Pinſcenſi, eiusque epiſcopis in 8. Leopoli. 1750.

IV) Acta colloquii, a praeſulibus Ruthenis, S. ſedi apoſtolicae Romanae vnitis, cum iis, qui ab vnione diſſident, A. 1680, die 24. Ianuar. in ciuitate Lublinenſi inſtituti, auctore *Cypriano Zochowski*, archiepiſcopo Kiiouienſi, de nouo edidit, Vilnae 1752 in folio.

V) Hypatii Pociey, archiepiſcopi Kiiouienſis, defenſio Graecorum vnitorum. Vilnae. 1753.

ZAGORSKI (*Antonius*) Eques Polonus. Marchionis a Sancta cruce de Marzenado regulas militares et Politicas, ex Gallica, quam dom. de Vergy concinnauit, interpretatione, Polonice reddidit. Versionis huius quarta iam pars in publicum exiit. Gedani 1743. in 8. Reliquae adhuc expectantur.

ZAKIEWICZ (*Nicolaus*) ord. S. Dominici prou. Pol. Scripsit Vindicias accidentium peripateticorum contra R. P. ANTONIVM WISNIEWSKI, optime de literis in Polonia iam meritum, quae parum honoris auctori faciunt. Hic finis huius lexici partis primae, quem sequitur appendix, continens catalogum historicum omnium nunc viuentium in Polonia et magno duc. Lith. Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum.

V.

Doctissimi in Polonia viri, D. NEIFELDII, hic inserui specimen physicum, quod antea nunquam fuit typis exscriptum, qui persuasum mihi habeo, haud male me facere, qui inter recensiones variorum librorum, scripta quoque plane noua lectoris oculis subiiciam integra. Eo maiorem meretur hoc specimen doctorum physicorum attentionem, quo obscurior hactenus, de animalculorum spermaticorum natura et ortu, fuerit doctrina. Credo, non amplius istos nostris temporibus audiendos esse physicos, qui existentiam animalculorum in semine humano spermaticorum negant, dicentes, microscopia ea creare, quo nihil mihi videtur a veritate remotius. Si enim microscopia animalcula spermatica mentiuntur, cur tam varias species animalculorum, vario in semine, repraesentant? et cur eadem animalcula in eodem semine calido viua, et refrigerato mortua videntur? Opus fuisset prius secundum leges opticas, demonstrare, ea quae nudis oculis videri haud possunt, neque microscopiorum ope percipi posse, quam sine vlla ratione contra sensum disputare. Qui meliora edoctus contrarium poterit solide probare, magnam nobis faciet gratiam, si eruditionem suam nobiscum communicare in vsum publicum velit, totumque orbem physicum a tam graui liberare errore. Si vero existentia animalculorum spermaticorum vera sit, vt sensus vi experientiae, sana ratio et analogia generationis omnium animalium certos nos faciunt, experientissimus NEIFELDIVS noua quaedam et vtilia varia dixit. Audiamus ipsum auctorem:

Specimen Physicum de Animalculorum Spermaticorum Natura et Ortu. Auctore D. ERNESTO IEREM. NEIFELD. Medico Lesnensi.

§. I.

In meditullio testium, ex sanguine arteriarum spermaticarum *a*) constanti naturae lege, paratur liquidum, cinericeum, peculiarem plane, naribus admotum, spargens odorem, quod in vesiculis seminalibus, extra venerem, in vsum oeconomiae animalis atque propagationem sui similis, sub specie *seminis virilis* adseruatur.

§. II.

Si, semen virile (§. 1.) minimis lustratur lentibus; ingens animantium infinite paruorum, obseruatur copia, quae caudas rapide mouent suas, vndasque in liquido, cui innatant, excitantia, modo contrariis feruntur agminibus, modo se prosequuntur, modo iterum separantur, ordineque mouentur turbato. Viua haec animantia, vocantur *animalcula spermatica.*

§. III.

Leewenhoekii, aliorumque naturae indagatorum, obseruata confirmant, animalcula spermatica. (§.2.)

1) in sanguine, sero, et liquoribus tenuioribus, existere nulla, imo et in ipso liquido arteriarum spermaticarum ex quo parantur (§. 1.) abesse:

2) in infantibus deficere, et teste Hartsoekero, eorundem loco parua corpuscula obseruari *b*).

3) In hominibus robustis, sanis, iuuenibus, numerosa, agiliora et viuaciora existere, in senibus pauciora, languidiora, vel nulla.

4) a coitu deficere frequenti; pauca et languida fieri, imo et perire in iis; qui gonorrhoea laborant, denuo adparere gonorrhoea sanata.

§. IV.

a) Decursum et nexum horum vasorum e vasculis secernentibus adcurate exposuerunt D. GEORGE MARTINI et ALEXANDER MONRO in the Medical Essays and Obseruations, revised and published by a society in Edinburgh. Vol. V. no. XVIII. XIX.

b) Suit. de Coniectur. p. 107.

§. IV.

Quae mechanismum, quo secretio liquidi genitalis in corpore humano, perficitur, determinant, in parte altera de *Secretione humorum in specie* a nobis hoc anno, si Deus det vitam et sanitatem, in vsus publicos euulganda, fusius explicare allaborabimus. Nolumus proinde nunc dubia circa auctorum de seminis elaboratione, opiniones mouere, satis notum enim atque perspectum habetur, eos in diuersas philosophandi processisse vias. Hinc duo tantum in hoc specimine momenta nobis erunt consideranda, et quidem

1. *Quae sit natura animalculorum spermaticorum,*
2. *Quo modo illa in corpore humano ex sanguine producantur.*

§. V.

Ea, a Leewenhoekio aliisque naturae indagatoribus, animalculorum obseruatur figura, quae anguillae est. Gaudent enim capite rotundo, ouo fere simili, et cauda alterne flexa, in cuspidem desinente. Crassities caudae ad $\frac{1}{25}$ crassitiei capitis aestimatur, et longitudo totius animalculi plus vigesies, et fere trigesies crassitie maior deprehenditur.

§. VI.

Numerum horum animalculorum, si animo perpendamus attentiori, omnem certe nobis ille videtur transcendere humanum intellectum. Obseruauit enim Leewenhoekius, 10,000 eorum spatium replere, quod occupat sabuli granum, imo et 50,000 istorum eo spatio interdum collocari, idem adfirmat auctor. Curiosissimus Hartsoekerus contendit, tantam animalculorum spermaticorum esse exiguitatem, vt, si ea nullo intermedio fluido arcte componerentur, 1000,000 eorum, spatium conplerent, quod occupat particula arenae.

§. VII.

Obseruata §. VI. confirmant, liquidum in quo natant animalcula, se habere ad animalculorum numerum, vt, 1000,000, ad 10, 000, h. e. vt 100, ad 1. *Adeoque liquor seminalis centies plus spatii occupat quam animalcula ipsi innatantia.*

§. VIII.

Magnitudo animalculorum, hoc modo, ex obseruatis §. VI. determinatur: Sumamus, cum HARTSOEKERO, 1000, 000, animalculorum, in spatio collocari posse, quod occupat granulum arenae. Spatium quod occupat granum sabuli, obseruante Leewenhoekio, aequatur cubo, cuius latus est decima pars lineae, siue scrupulus. Si itaque ani-

malcula ſpermatica, figuram cubicam haberent, quodlibet eorundem, maius exiſtere non poſſet, parte 1000,000ma cubuli dicti, atque craſſities vnius animalculi, cubuli formam habentis, aequalis eſſet radici cubicae, nempe centeſimae parti vnius ſcrupuli.

§. IX.

Cum animalcula ſpermatica, craſſitie decreſcant (§. V.) formaque proinde gaudeant cylindrica; facile intelligitur, magnitudinem eorundem dicto modo (§. 8.) exacte determinari non poſſe. Ponamus itaque animalculum figuram habere priſmatis quadrati. Obſeruata (§. V.) confirmant longitudinem plus vigeſies, et fere trigeſies, craſſitie eiusdem animalculi eſſe maiorem. Hinc, ex hypotheſi, animalculum quoduis aequale erit priſmati quadrato, cuius altitudo vigeſies ſepties maior, latere baſeos. Iam vero ex geometricis clarum eſt, ſoliditatem priſmatis inueniri, ſi baſis per altitudinem multiplicetur. Adeoque priſma tale, aequatur, quadrato lateris baſeos, multiplicato per vigecuplum ſeptuplum eiusdem lateris, ſeu quod idem eſt, vigecuplo ſeptuplo cubi ex baſeos latere. Quare, cum hoc priſma, ratione ſoliditatis aequale ſit animalculo, quod cubica forma gaudere adſumſimus §. 8. neceſſe omnino eſt, vt cubus eius lateris ſit pars vigeſima ſeptima cubuli, ipſi animalculo, mole aequalis. *Hinc latus ipſum, pars tertia erit lateris cubi, et craſſities animalculi erit 300ma pars ſcrupuli.*

§. X.

Craſſities animalculi, eſt pars 300ma ſcrupuli. §. 9. Quare, cum obſeruante Leewenhoekio, craſſities trium capillorum humanorum, integrum ſcrupulum compleat: prona inde fluit conſequentia, *craſſitiem vnius animalculi, partem eſſe centeſimam pili humani.*

§. XI.

Teſte Leewenhoekio, 10,000 animalculorum, ſpatium occupant, in ſemine maſculino, quod grano ſabuli aequale eſt §. VI. Quaeſtio igitur moueri poſſet, quo modo ingens haecce copia animalculorum, in teſtium meditullio, epididymide, vaſe deferente, et veſiculis ſeminalibus, reperiunda, in fluido genitali §. I ceu vehiculo, viuere et libere ſeſe mouere queant §. II. At enim vero, ſtupendam horum animalculorum exilitatem §. VIII. IX. X. qui mente perpendit adtenta, facile perſpicere poteſt veritatem adſerti, Ex iis enim quae ſupra adſeruimus, liquet, fluidum, in quo natant animalcula ſpermatica, centies plus ſpatii occupare, quam animalcula ipſa. (§. VII.) Si itaque concipiamus, fluidum

dum animalculo vbique aequaliter esse circumfusum, adeoque simili cum animalculo gaudere figura: liquidi figura centuplo maior erit, figura animalculi. (§. VII.) Iam vero ex mathematicis constat, latera homologa corporum similium esse, vt radices cubicae magnitudinum istorum corporum. Adeoque crassities animalculi erit ad crassitiem fluidi, vt $\sqrt[3]{1}$ ad $\sqrt[3]{100}$, h. e. fere vt 1 ad 5. *Idcirco quodlibet animalculum habet spatium quintuplo longius se ipso, in quo sese mouere et nutrimentum capere possit.*

§. XII.

Haec de natura animalculorum dicta sufficiant. Superest, vt iam indicemus modum, quo ista in corpore humano producantur.

§. XIII.

In infantibus, loco animalculorum spermaticorum, corpuscula parua liquori seminali, innatantia, a cl. Hartsoekero, obseruata fuerunt §. III. no. 2. Quare, cum corpuscula haecce in homine adulto, vel nulla, vel saltim in copia minori, conspiciantur: probabile esse videtur, haecce corpuscula in se continere aliquid, quod futuro animalculo originem dare potest.

§. XIV.

Huius generis corpuscula (§. XIII.) humoribus animalium vbique intime mixta, in se continere organica futuri animalculi rudimenta, quae, sub datis circumstantiis, animalculo producendo sufficiunt, si secundum certas leges ab initio vsque ad perfectum animalculi statum dilatentur, statuere nulli dubitamus.

§. XV.

Quum extensio rudimentorum futuri animalculi, concipi nequeat, nisi fluidum aliquod, in iis a vi qualicunque propulsum, subponatur: probabile omnino est, *in cauis corpusculi organici, recondiri exiguam copiam succorum innatorum, quiescentium.*

§. XVI.

Liquido, in vasculis testiculorum secernentibus, contento, Spiritus animales admiscentur. Anatome docet, testes, instructos esse maiori neruorum copia, quam vllum aliud humani corporis viscus. Quare, cum illi, neque pro motu, neque pro sensu, organis secretoriis adducantur: promptum inde videtur conceptu, eos liquidum in cauis suis contentum, adfundere liquido genitali iam secreto *.

§. XVII.

* Hamberg. Physiolog. §. XCVI. XCVII.

§. XVII.

Admixtione fpirituum neruorum (§. XVI.) *particulae feminis, in particulas fubtiliores, refoluuntur.* Ex ftructura et origine neruorum, intelligitur, fluidum in cauo eorundem contentum, omnium humani corporis, fluidorum, exiftere fubtiliffimum atque leuiffimum. Iam vero ex phyficis conftat, fluidum fpecifice leuius, corpori fpecifice grauiori adhaerere, atque ob exiguitatem partium fuarum, poros huius penetrando, particularum conftituentium cohaefionem fuperare *. Hinc, cum particulae, quibus conftat fluidum feminale, totidem fphaerulas fiftant, quorum quaelibet ex fex fphaerulis minoribus (*Spec. I. de fecretione* §. *CIII.*) componatur; facile intelligere datur, interftitia minima, in intimis receffibus harum particularum exiftere. Particulae itaque fluidi neruei, particulis feminalibus adhaerentes, in interftitia iftarum penetrabunt, et ad fingulas minimas globuli refoluendi, particulas, adcedentes, cohaefionem fenfim paulatimque fuperabunt, et ita totum in fuas partes refoluere poterunt.

§. XVIII.

Cum actio fluidi neruei in particulas feminis fit perdurans, neque a motu fluidi progreffiuo, tardiffimo, minuatur; facile concipitur, *particulas feminis omnium facillime in particulas minores refolui poffe.*

§. XIX.

Refolutione liquidi feminalis (§. XVII. XVIII.) *corpufcula organica* §. XIV. *a nexu aliorum libera fiunt.* Dantur in particulis fluidi feminalis, recondita corpufcula parua, futuri animalculi rudimenta organica, continentia (§. XIII. XIV.) Quare, cum a fluido nerueo, particulae feminales in minimas refoluantur moleculas §. XVII. Statuere omnino licebit, corpufcula dicta, hoc modo, a nexu earum partium quibus intime mixta erant, libera fieri.

§. XX.

Actione Spirituum, corpufcula organica, rudimenta futuri animalculi continentia, fui iuris fiunt (§. XIX.) Quare cum in infantibus et fenibus fufficiens copia fpirituum deficiat: *corpufcula haecce organica, non refoluuntur, fed particulis feminalibus mixta manent, in fenibus et pueris.*

* Hamb. Elem. Phyf. §. 207. n. 2. et fchol.

§. XXI.

Corpuscula organica a nexu aliarum particularum, separata, viuere incipiunt. Corpuscula organica, caua quaedam, exigua copia succorum innatorum repleta, ceu futuri animalculi rudimenta, continere §. XIV. XV. patet. Hinc, cum praeter aerem crassiorem, insigniores corporum poros replentem, detur aura subtilior elastica, in intimis et minimis corporum claustris hospitans atque compressa; eo ipso momento, quo particulae subtilissimae atque tenerrimae fluidi neruei, minimos poros particularum seminalium penetrent, eosque adperiunt: aura elastica subtilior, condensata, prosilit vi quadam, atque hoc modo primum dat impetum, fluido in corpusculo organico haerenti, qui humorum motus postea ex propria organici corporis continuatur structura. Hic igitur est locus, vbi vitalitatis noui producti corporis animati, initium.

§. XXII.

Cum vitalitatis initium corpusculi organici pendeat a particulis fluidi neruei, impetu quodam poros ipsius aperientibus (§. XXI.) atque in senibus, nec non in iis, qui laborant gonorrhoea, vigor spirituum animalium deficiat: facile intelligere datur, *cur in senibus, et iis, qui laborant gonorrhoea, animalcula spermatica sint vel nulla vel pauciora et languidiora §. III. no. 3. 4.*

§. XXIII.

Eo ipso momento, quo, viuere incipiunt, corpuscula organica (§.XXI.) *partes ipsorum, crescunt, atque fluidorum varii generis irrigantur transfluxu.* Partes, quae perfectum constituunt animal, non praeexistere in rudimento organico, verum, ab impulsu fluidorum successiue produci, multis rationibus conuicti, statuimus. Quare cum vascula, quae rudimenta animalculi futuri, sistunt, sint mollia est flexilia, nulla remanere videtur dubitandi ratio, quin ista ab impulsu fluidorum explicentur, et ita in maiorem molem excrescat animalculum. Poros in superficie externa corpusculi organici existere, absorbentes vero simile est. Quare cum vascula ipsius succis innatis repleta sint §. XV. promptum videtur conceptu, poros eos ex fluido genitali, adtrahere succos, qui succis, quos continent caua, sunt congeneres.

§. XXIV.

Cum nutritio animalculi, dependeat a succis, qui per poros ex fluido genitali, hauriuntur, iis congeneribus qui iam in vasculis singulis latent: (§. XXIII.) euidenter adparet, *animalcula, aliis conmixta fluidis nostri corporis, ob nutritionis defectum, viuere non posse.*

§. XXV.

Animalcula aliis commixta fluidis nutriri nequeunt (§. XXIV.) Hinc cum phyſiologi doceant, ſemen virile, ex veſiculis ſeminalibus cruori ſanguineo, perpetua circulationis lege, refundi; inde ratio patet, *cur animalcula ſanguini mixta, denuo in corpuſcula ſimpliciter organica* §. *XIII. XIV. XV. reducantur.* §. *III.*

§. XXVI.

Nouum hoc productum corporis animati (§. *XXI. XXIII.*) *limites extenſionis, ſeu formam accipit, in tranſitu per minima ſecernentia vaſcula.* Dantur in corpuſculo primitiuo, iam vaſa quaedam fluidorum transfluxu perenni irrigata (§. XXIII.) Quare cum ex hiſce cauis tanquam ex rudimentis, reliquae futuri animalculi partes, humorum adpulſu perficiantur, determinandae a nobis ſunt illae conditiones, quae efficiunt, vt animal productum hac potius quam alia forma producatur. Hae conditiones erunt partim internae, partim externae. Internae conſiſtunt in eo, vt determinatum quendam iam nexum habeant vaſa primitiua, quo fit, vt impetus verſus alias partes ſit maior, verſus alias minor; illae magis, hae minus extenduntur. Externae vero conditiones, in eo conſiſtere videntur, vt corpuſculum creſcens in vna ſuperficiei parte magis prematur, quam in altera. Hinc partes minus preſſae, magis, magis preſſae, vero minus extenduntur, et ita limites extenſionis determinantur. Videtur vero mihi in vaſculis ſeminalibus, eam latere fabricam, quae in nulla alia corporis humani parte, deprehenditur, qua mediante, animalculorum conformatio vnice perfici poſſit, ita quidem vt diuerſitas ſtructurae teſticulorum, diuerſitatis ſtructurae in variis animantibus rationem ſufficientem in ſe contineat. Locus vero vbi in fiſtulas communes, colligantur minima vaſcula ſeminifera, videtur eſſe aptiſſimus, in quo formam accipiant, ſeu limites extenſionis. Si vero ſemel formam per aliquod tempus determinatam, in tranſitu per innumera vaſcula ſeminifera retinuerit animalculum; ab impetu interno humorum talis ſtruitur partium nexus atque delineatio, ſecundum quam natura, dato tempore, animal producit perfectum.

§. XXVII.

Haec omnia ſi colligamus, modus, quo animalcula in corpore humano, producantur, ita concipi poſſe exiſtimamus. Corpuſcula nempe organica, rudimenta animantium in genere continentia §. XIII. XIV. XV. vbique locorum, adeoque et in ſanguine humano reperiunda, actione fluidi neruei a nexu particularum ſanguinearum in teſtibus, ſeparata,

§. XIX.

§. XIX. viuere incipiunt atque crescere (§. XXI. XXIII.) ea quidem proportione, vt similem constanti naturae lege, nanciscantur figuram.

§. XXVIII.

Quae supersunt dicenda, de hoc non satis admirando secretionis negotio, in Volumine secundo de secretione omnium humorum corporis humani, hoc anno, si Deus largiatur sanitatem, otiumque relinquant mihi negotia practica, promulgendo, studiosius paulo exponere allaborabo.

VI.

LAVR. MIZLERI, medici Varsauiensis, Obseruationes binae ex medicina practica selectae, altera de vlcere super vesicam puerperae curato, altera de morsu serpentis in se ipso intra viginti quatuor horas sanato.

A.

Cum practicae obseruationes medicae, fideliter et recte descriptae, eximii sint in arte salutari vsus, et ex his solis medicina practica incrementum capiat, officii esse mei duxi, selectiores, quas a tredecim annis, medicinam in Polonia continuo faciens, annotare coepi, cum iis, quorum interesse possit, communicare, aliosque simul doctos in Polonia medicos, vt idem in vsum publicum facere velint, etiam atque etiam rogare.

Puella nobilis, octodecim annorum, firmae satis corporis constitutionis, temperaturae sanguineo cholericae, corporis magis obesi quam gracilis, victus secundum tenuiorem conditionem paulum durioris assuetae, sed integrae sanitatis, grauida facta fuit a iuuene, qui clam ei matrimonium promiserat. Cum res male gesta iam parentibus, intumescente ventre, innotesceret, durius ab iis habita, variisque minis terrefacta aufugit a parentum conspectu Varsauiam, vbi misere se habens filiolam edidit in lucem sanam, obstetrice autem tali vsa, vt feminae in Polonia pauperes plerumque solent, nempe muneris obstetricii plane ignorante. Quemadmodum enim vnicuique medicinam facere in Polonia licet, quamuis eam ignoret, sic vnaquaeque vetula etiam obstetrix esse potest. Instante partus tempore, ista sic dicta obstetrix, ex ignorantia, primiparae, ante quam veri partus dolores venirent, persuasit, vt intentis omnibus viribus, comprimendo spiritum, auxilium sibi daret. Hoc cum non succederet, ista vetula obstetricia, ventrem infra vmbili-

licum violenta manu contrectauit ac compreſſit. Re iam deſperata, vt putabatur, primiparae valde debili quies forte fortuna fuit conceſſa, quae interuallo octo horarum, recuperatis vtcunque viribus, profluente antea aqua, feliciter, beneficio naturae, enixa eſt filiolam circa initium aeſtatis. Altera autem ſtatim die de dolore ventris interno acuto querebatur puerpera. Accedit febris, dolore illo acuto et calore praeternaturali in dies aucto, lochia tamen rite defluebant, neque ſanguinis grumi, vel placentae particulae in matrice remanſerunt, vt poſtea, ſtatum partus et puerperii ſedulo examinans, cognoui.

Aegrota, ſemper peius ſe habens, per tres fere hebdomadas, manu obſeruabat duritiem in medio abdominis, cum acutiſſimo dolore, qui et ſomnum et ciborum appetitum omnem adimebat, puerpera nil niſi potum continuo expetente. Per hoc tempus vires fere omnes perdidit, tam macilenta facta, vt ſceleto ſimilis, clauſis oculis, mortis imaginem repraeſentaret. In tali ſtatu, cum iam pro perdita haberetur, haec puella mihi a viro magno, parentum benefactore, miſericordia moto, commendata fuit, vt eam, ſi fieri adhuc poſſet, ſeruarem ac ſanarem, qui ſtatim, acquiſita morbi hiſtoria, inueni vlcus in abdomine latere, ad quod violenta muſculorum abdominalium diſtenſio, ſtaſin humorum efficiendo, anſam dediſſet, ſuſpicatus ob profunditatem et ſitum duritiei acutiſſimosque dolores, ipſam matricem debere eſſe inflammatam. Hanc cum ipſe, abſente perita obſtetrice, inſtanteque vitae periculo, digito viſitarem, valde induratam deprehendi, adeo vt aegrota valde clamarit, cum leuiter tantum digito tangerem. Rebus ſic ſtantibus illo ipſo die tres pulueres nitroſos cum oculis cancrorum progreſſu trium horarum aegrotae propinaui ad mitigandum calorem internum, ſuper duritiem autem in medio abdominis cataplaſma ex meo balſamo vulnerario, cuius deſcriptio et compoſitio in primitiis phyſico medicis Poloniae, Vol. III. p. 93 vsque ad 152 reperitur, nec non in Bibliotheca Varſ. part. I. p. 75. imponi iuſſi, dedita admonitione, ne abiiciatur, etiamſi dolores inde augeantur. Mane cum altera die venirem, aegrota mihi dixit, omnia peiora eſſe, et ſe iam morituram nimis ſentire, cataplaſma ſe abieciſſe, quod intolerabiles dolores feciſſet. Quo facto, vocato ſacerdote, ſacramentis munita mortem expectabat. Cum autem calorem internum parum mitigatum ex ſanguinis pulſu obſeruarem, duritiem vero intra ventrem magis eleuatam, et, vt mihi videbatur, molliorem deprehenderem, ne omnem vitae ſpem abiiceret, ſeque tranquillo animo prouidentiae diuinae committeret, fortiter perſuaſi. Statim iterum ca-

ta-

taplasma ex balsamo meo vulnerario imposui, super ventris duritiem, quae illo tempore in vlcus abire et suppurare coepit, quae autem medicamenta in tam ancipiti casu interna propinarem dubius fui. Tandem elegi puluerem album Basilii Valentini in curru triumphali antimonii p. 226. etc. edit. Amstel. descriptum, quem iam paratum habui. Magnae quidem fidei virum BASILIVM semper inueni, et medicamenta eius, si recte praeparentur et applicentur, stupendae efficaciae, quam ob causam omnia medicamenta Basilii Valentini, vna cum aliis, a decem iam annis, excepto lapide ignis, ipse elaboro, hunc autem puluerem album nunquam antea in tali casu probaui, de quo sequentia in curru triumphali a Basilio dicuntur p. 229: „*Hic puluis efficit egregia quaedam et mirabilia,* „*quae non facile fidem inuenient apud eos, qui non sunt experti etc. quicunque* „*interius laborat apostematibus, sumat de hoc albo fixo puluere antimonii in spi-* „*ritu vini, vel alio vino generoso, quartam drachmae partem quinquies vel* „*sexies per diem, et experietur internum apostema aperiri, et omnem coagula* „*tum sanguinem paulatim sine vllo vitae, aut sanitatis periculo expelli.* „

Propinaui igitur ex aqua fontana singulis diebus drachmam vnam huius pulueris in tres partes aequales diuisam, adiiciens ad vnumquemque scrupulum sex grana nitri, cataplasmate ex balsamo vulnerario quotidie bis imposito.

Quinta, a coepta cura, die, dolores iam non ita acuti erant, vlcus longe mollius et magis eleuatum, vrina non ita rubra et cum sedimento, dormire etiam iterum aegrota incipiebat, parum autem comedere quae valde adhuc debilis. Continuaui puluere albo et cataplasmate ex balsamo vulnerario ad decimam vsque diem, qua cum viderem vlcus suppurasse, scalpello id aperire in animo habui, et hunc in finem doctissimum dom. DVFAY, illustrissimi supremi regni Mareschalci medicum, amicum meum, petii, vt praesens esse velit, qui mecum ad aegrotam veniens statum eius vidit miserum, valde de salute huius puellae dubius. Sed aegrota nullo modo permisit incisionem et abiuimus re infecta. Die vndecima matrix iterum digito fuit explorata et longe mollior deprehensa, duodecima autem die, cum mollitiem vlceris examinarem, scalpello sub vola abscondito, inscia aegrota, incisionem, quam vix sentiebat, feci, ope cuius multum puris parum sanguinis exiuit, magno aegrotae leuamine. Sequenti die dom. Dufay certiorem feci, puellam illam intra tres hebdomadas saluam fore, qui recte mihi, consolidationem incisionis difficillimam futuram, obiiciebat. Vlcus enim erat supra vesicam sub linea alba, vbi necessario musculi abdominis, in primis pyramidalis, laedi de-

debuere, cum diameter vlceris tres fere digitos transuerſos efficiebat. Ordinaui quotidie nunc duos tantum ſcrupulos pulueris albi ſine nitro, mane et veſperi ſumendos, balſamo vulnerario, bis in die de nouo, impoſito, quibus duobus adhibitis mediis, aegrota viceſima ab inciſione die, optime facta conſolidatione, conualuit, et nunc optime ſe habet. Medicus illuſtriſſimi regni Mereſchalci vidit abſoluta cura hanc feminam, ſceleto antea ſimilem, optimo corporis habitu, qui ſincere profeſſus, ſe eiusmodi morbum nunquam antea vidiſſe, neque ſimilem caſum legiſſe.

Ex huius morbi hiſtoria et ſanatione, ni fallor, apparet, puluerem album Baſilii optimum eſſe defendens contra periculoſa vlcerum ſymptomata, tam internorum quam externorum, balſamum etiam meum vulnerarium, re vera id praeſtare, quod de eo promiſi. Sed forte medici, qui ipſi medicamenta ſelectiora non elaborant, dicent, puluerem album Baſilii nil eſſe niſi antimonium diaphoreticum, quod idem efficere deberet. Qui vero bene perpendit eorundem medicamentorum ſecundum eandem praeſcriptionem a variis pharmacopolis elaboratorum differentiam, minime negare poterit, a recta medicamentorum praeparatione in praxi medica omnino multa, et ſi rectam adiungas methodum, omnia dependere. Tantum abeſt, vt puluis albus Baſilii idem ſit, ac antimonium diaphoreticum vulgare, vt potius admodum inter ſe diſtent, quamuis ex eadem maſſa deſumta. Cum videamus ex eadem antimonio tam varia parari medicamenta, et vomitoria, et ſudorifera, et purgantia, et diuretica, qui varii in corpore humano effectus ex ſola proueniunt praeparatione, curnam habetur puluis albus Baſilii pro antimonio diaphoretico vulgari, cum longe diuerſa ſit illius praeparatio, etiamſi ambo detonentur? credo ob colorem album. Optarem ego quidem in incrementum artis ſalutaris, vt illae propoſitiones generales negatiuae in medicina ſumma cum circumſpectione adhibeantur, qui omnino nil in praxi medica ſtatuere poſſimus, quod effectus non probet. Alia res eſt morbos ex cathedra ſanare et remedia praeſcribere, alia res medicamenta efficacia ad reſtituendam ſanitatem coram lecto aegrotorum adhibere. Quam multa autem adhuc media efficacia in praxi medica deſint, cordatos medicos non fugit, et celeberrimus medicus Viennenſis, liber baro de SWIETEN id ſincere profitetur, in commentariis in Boerhauii aphoriſmos Tom. I. p. 10. dicens de ſpecificis: *forte plura talia latent ad alios morbos remedia: felices medici, ſi nouiſſent!*

Cum igitur tam multa in rerum natura abſcondita ſint, certum et ex hac obſeruatione eſſe videtur, propoſitiones in praxi medica generales negatiuas nil valere et tirones in errores inducere: illos etiam medicos pa-

parum sibi consulere, qui omnes morbos, medicamentis dispensatorii Brandenburgici vel alius, methodo vniuersali adhibita, curari posse, sibi persuadent. Selectis medicamentis in morbis periculosis omnino opus est, quae, cum non ita facile inueniantur, optimum est, si ea ipse praeparare sciat medicus, ex consilio magni quondam medici, FRIDERICI mei HOFMANNI, qui summo cum iudicio Tom. I. Oper. pag. 148. scripsit: „*is demum veri medici nomen tueri mihi videtur, qui ipse selecta praeparare scit remedia, eorumque vires et in agendo proprietates in tot diuersissimis casibus, probe perspectas cognitasque habet.*„ Progredior nunc ad alterum casum, qui mihi ipsi accidit, minoris quidem momenti, sed ideo memoria haud indignus, quia curam morsus serpentis et viperae suppeditat, atque confirmat, quae fallere non potest.

B.

Cum anno MDCCLIII praxeos medicae causa in Curlandiam vocatus, per aliquot menses ibi morarer, accidit mense Februario, cum apud perillustrem liberum baronem de MIRBACH, serenis. Reg. Pol. camerae praefectum et capitaneum Polangensem, fautorem et amicum meum singularem, essem, vt rustici, nescio quem in vsum, serpentes apportarent, quorum vnus quisque intra fissuram baculi continebatur. Inter hos vnus valde viuidus et irritatus, quia intra baculi fissuram admodum premebatur et circumcirca mouendo se liberare volebat. Hic serpens, cum infra caput eum manu dextra tenere et accuratius considerare vellem, momordit me circa extremitatem tertiae phalangae digiti indicis, hora tertia pomeridiana, quo morsu facto, gutta saliuae serpentis flauae ex digito meo in terram defluebat, ante quam digitum ex ore serpentis cum difficultate, celeriter tamen, extraxi, et paulopost aliquot guttulae sanguinis, ex duobus vulneribus, quae acu profunde facta videbantur. Hoc casu non solum fautor meus benignus, apud quem hospes eram, sed et alii nobiles adstantes commoti erant, quorum quidam de salute mea iam desperabant. Paulum enim ante iuuenis, noctu in horreo dormiens a serpente morsus, mortuus erat. Digitus statim intumescebat, et intra dimidiam horae quadrantis partem et alii digiti cum medietate manus iam tumefacta. Ideo valde me hortabantur, vt cito remedium adhiberem in re tam periculosa. Cum vero adstantes terrefactos viderem, non tam ioci causa, quam vt potius eorum animos confirmarem, iussi vitrum vini apportare, bibens in eorum salutem cum petitione, ne de mea desperarent, me crastina die sanum cum iis prandium sumturum. Certus enim eram de cura, qui alio tempore duos vipera morsos sanarim. Exhausto vini

vini calice, manus ad carpum vsque iam tumefacta, et non liberè potui amplius digitos mouere. Abii igitur ad cubiculum meum, et impoſui balſamum meum vulnerarium, cum prius totam manum eodem bene inungerem, et vltra carpum etiam, vbi nondum tumor erat. Sic obuoluta manu iacui in lecto per horam cum dimidia, vt tranquille obſeruarem veneni phenomena, quod ab initio facere haud potui, quia ſingulis momentis ex me quaeſitum fuit, quomodo me haberem, clauſa deinde ianua obſeruando omnia per horam deprehendi ardorem cum rigiditate in manu, horrore quodam perfuſus, ſanguinis vero circulum intenſum animaduerti. Nolui tamen tunc medicamento alexipharmaco interno vti. Elapſis duabus a morſu horis, aperui manum, quam tumefactam, vt ante, vidi, ſed tumor altius non adſcendebat, et vis veneni fracta mihi iam videbatur. De nouo totam manum inunxi balſamo vulnerario, eamque linteis balſamo eodem illinitis, obuolui, anxius tamen ex cauſa mechanica fui, quamuis firmo animo fuerim et plane nil timuerim. Redii hora quinta ad fautorem meum conſuetudinis cauſa, diſſimulans internam anxietatem, vbi ad veſperam vsque manſi abſtinens ab omni potu et comeſtione.

Cubitum eundo iterum manum inunxi, impoſito balſamo, et tota nocte tranquille ſatis dormiui. Altera die mane ſtatim deprehendi tumorem fere omni ex parte decreuiſſe, ideo iterum inunctam obuolui, intra ſubuculam eam geſtans ad meridiem vsque, quo tempore abſterſo balſamo nuda manu veni ad prandium, quae parum adhuc tumefacta videbatur. Prandi cum appetitu hilariter, varia de heſterno ſerpentis morſu iocoſe loquutus, ſed mox exhauſto calice vini Rhenani maiori, qui duos ordinarios capit, ſingulare phenomenon habui, vertiginoſus nempe et ebrius quaſi factus fui, qui in tota mea vita, vt ii, qui me noſcunt, bene ſciunt, nunquam crapula fui oppreſſus, quod phenomenon omnes menſae adſidentes bene obſeruarunt. Abſtinui illa die, ſumto prandio, ab omni potu et comeſtione vlteriori, noctu ante cubitum accipiens granum vnum cum dimidio alexiterii mei philoſophici, quod ex ſulphure antimonii cum aceto vini ex vitro eiusdem extracto et tinctura auri volatili ad puluerem redacta, conſiſtit. Hoc medicamentum ſudores largos per noctem proliciebat, et altera die ſic omnia finita erant, tumore plane nullo in manu apparente, quam iam praecedente die non amplius inunxi, neque in ſequenti prandio vini potus quid effecit. Ebibi enim integram lagenam more vſitato ſine vllo incommodo. In memoriam reportatae victoriae exuuias huius ſerpentis aſſeruo, qui malitiae ſigna, duo puncta nigra, vbi dentes ſerpentis me ſauciarunt, per ſex menſes in digito meo reliquit.

Quia

Quia ingredientia balſami mei vulnerarii generatim tantum diuulgaui, ſincere hic debeo profiteri, baſin illius eſſe oleum oliuarum, vt intelligatur, verum illud veneni animalis eſſe antidotum, vt Angli diu iam obſeruarunt, et coctum non ſolum vires ſuas haud amittere, ſed potius eas augeri, ſulphure antimonii et plumbi croco, peculiariter praeparatis, nec non herbis vulnerariis et reſinis quibusdam, vt in meo fit balſamo vulnerario, additis. Apparet etiam melius eſſe ab initio ſtatim ſimul medicamenta alexipharmaca propinare, ante quam ſubtiliſſimum venenum in toto corpore diffundatur.

VII.

Noua litteraria Polonica.

I. *Oratio ſaecularis in memoriam Pruſſiae ante CCC annos, excuſſa ordinis Teutonici dominatione, a rege Poloniae* CASIMIRO *in fidem receptae ac regno ſpontaneo acceſſu iunctae*, publice feria quarta cinerum die XXVII Febr. An. MDCCLIV *recitata a* GOTTLIEB WERNSDORFIO, *eloqu. P.P. Gedani, typis Thomae Ioannis Schreiberi, ſenatus et athenaei typographi. fol. 9. plag.*

Celeberrimus auctor elegantiſſima hac in oratione magnitudinem beneficii diuini intuetur, cum Pruſſia in ſocietatem Polonae libertatis aſſumta iterum reuixiſſet. Difficultatem rei perficiendae, labores ſuſceptos exhauſtosque ac periculorum diſcrimina ponderat, vt Pruſſorum ante trecentos annos virtus pro meritis ſuſcipi, et quantum memoriae eorum debeatur, intelligi poſſit. Nil dat vel gratiae, vel odio cuiuspiam, ſed quae annalibus fide dignis perſcripta reperit. Probat auctor Pruſſos illo tempore non leuitate quadam animi, non nouarum rerum ſtudio, ſed grauiſſimis cauſis et neceſſitate quadam ineuitabili compulſos fuiſſe, vt obedientiam priſtinorum dominorum deponerent. Ante omnia ſciendum, equites Teutonicos non abſolutam habuiſſe in Pruſſiam dominationem, ſed iura maieſtatis fuiſſe iis cum prouincia communia. Cum igitur equites pactis non ſteterint, ſubiectos Pruſſos pactum obſequium praeſtare non debuiſſe, apertum eſt. Ex hiſtoria Boruſſica et Polona ſcimus quales fuerint equites Teutonici, ſed adiiciamus celeberrimi Wernsdorfii equitum Teutonicorum effigiem, fide hiſtorica accurate depictam: „equites illi, inquit, qui ex profeſſionis ſuae inſtituto honeſtatem, iu„ſtitiam, modeſtiam ſectari debuiſſent, rerum ſuarum ſucceſſibus et immeritis for„tunarum potentiaeque incrementis inflati, breui tam ſuperbi, rapaces, truculen„tique euaſerunt, vt nec magiſtro ſuo fidem, nec finitimis populis otium, nec ſub„iectis aequitatem vllam, nec legibus diuinis humanisque reuerentiam, nec religioni „obſequium, nec foederibus conuentisque veritatem praeſtarent, ſed incredibili fa„ſtu, cupiditate, luxuria, libidine, ſaeuitia, iurium legumque expugnatione, atro„ciſſimisque omnis generis facinoribus, Deo hominibusque inuiſi ac deteſtabiles „fierent.„ Inter innumeras defectionis Pruſſorum ab equitibus cauſas, ea maxime

ansam dedit, cum praefectus Gedanensis, CONRADVM LETZKOVIVM, et ARNOLDVM HECHT, consules, et BARTHOLOMAEVM GROSS, senatorem, in arcem ad conuiuium vocaret, deinde autem nefarie ipse vna cum aliis equitibus eos trucidaret, cum carnifex Elbinga adductus, indemnatum hominem occidere sibi fas esse negaret. Multa alia, inprimis quae tyrannidem equitum Teutonicorum attineant, scitu digna, hic leguntur. Ad audiendam hanc orationem programma praemisit auctor, hac sub inscriptione.

Orationem saecularem in coniunctionem foederis, quo Prussorum prouincia ante CCC annos, post nuntium equitibus Teutonicis missum, ab augustissimo Poloniarum rege Casimiro in fidem et in societatem Polonorum accepta fuit, ipso die cinerum, quo instrumentum incorporationis, litteris publicis perscriptum fuit, nempe die xxvii Febr. anno MDCCLIV hora x matut. in auditorio athenaei Gedanensis maximo, magnifici senatus iussu ab se habendam indicit, ad eamque beneuole ac libenter audiendam, ordinum ac dignitatum et officiorum omnium viros, quibuscunque assertae salutis Prussicae memoria grata est, honorifice inuitat, ac ciues athenaei amice conuocat, Gottlieb Wernsdorffius, eloq. P.P. Gedani, Domin. quinquages. A. R. G. cIↃIↃccLIV. in folio 3. plag. in hoc programmate quaedam de ludis saecularibus, Romanis olim familiaribus disputantur.

Adiectum his scriptis Carmen Germanorum idiomate exaratum, quod ante et post orationem solennem cantum fuit, notis musicis exceptum a Ioanne Balthas. Christiano Freislich, musices directore. Hoc excipit aliud carmen non inelegans, *das befreyte Preusen an dem dritten Iubelfeste, welches die Stadt Danzig zum erneuerten Andenken dieser Befreyung feyerte, besungen von* FRIEDRICH KLEIN *E. E. Minist. Cand.* Egregio hoc specimine spem de se fecit doctus auctor, breui consummatum se futurum poetam.

Tandem simul hic apparet *oratio secularis, Io. Petr. Titii* humanit. et eloqu. Professoris, ante saeculum habita et typis viduae Georgii Rhetii impressa, nunc Screiberianis iterum repetita. Auctor hac in oratione explicat *terrarum Prussiae, sub cruciferis, post eximia merita, foedissime degenerantibus, calamitatem, earundemque, profligata tyrannide, sub augustis potentissimisque Poloniae regibus, felicitatem.* Multa beatus *Titius* hac in oratione disserit, quae historiam cruciferorum attineant, lectu dignissima, simul Poloniae regum in Prussiam beneficia commode explicat, inter alia dicens: „*Nos hic* illud grata mente et lingua commemorabimus, *Augu-* „*stissimorum Poloniae regum* beneficio, non iura tantum nostra, et *priuilegia* omnia „salua atque integra, immo aucta etiam et locupletata esse: sed animorum etiam, in „religione et cultu diuino obeundo, eam semper indultam esse clementissime, ho- „dieque indulgeri libertatem, vt conscientiae nostrae laqueos nectere, sacra turba- „re, quietis negotium facessere, quae vltronea esse Deus ipse voluit, extorquere, „nemo audeat. Vtinam, vtinam, qui eandem nobiscum pietatem profitentur, vbi- „que gentium omnes tam inaestimabili solatio gauderent! Verum hanc quoque „gloriam, encomiis omnibus excellentiorem, inclyti Poloniae reges propriam sibi „fecerunt. Quorum ex ore manauit illa plenissima pietatis vox, principum omnium „palatiis atque animis inscribenda: *Deum sibi tria reseruasse, ex nihilo aliquid face-* „*re, scire futura, et dominari velle conscientiis*„. Claudunt tandem hoc opus *carmina saecularia, quae in panegyri Dantiscana inter tympanorum, tubarum aliorumque instrumentorum musicorum certamina et harmonias canebantur, auctore Io. Petr. Titio.*

2. De

2. *De viro honesto et bono ciue, ab ineunte aetate formando oratio* STANISLAI KONARSKI, *e Scholis piis, cum in maxima amplissimorum vtriusque status Senatorum, ministrorumque regni et magni ducatus Lithuaniae, ac aliorum procerum frequentia sub tempus comitiorum reipublicae, nobilissima iuuentus ad nouum collegium nobilium, Varsauiae, auspicato introduceretur. Anno 1754. VIII Cal. Octobris. Varsauiae, typis S. R. M. et reipublicae in collegio Schol. piarum.* in 4to, 6 plag.

„Quod enim munus reipublicae afferre maius meliusue possumus, quam si docemus atque erudimus iuuentutem? his praesertim moribus atque temporibus, „quibus ita prolapsa est, vt omnium opibus refrenanda ac coercenda sit. Nec vero „id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, vt omnes adolescentes „se ad haec studia conuertant, pauci vtinam! quorum tamen in republica late po-„terit industria. Cic. de diuinat. lib. II.„

Auctor eruditissimus celeberrimusque, qui prae multis aliis instaurationem bonarum litterarum in Polonia curae cordique habet, et inter primos nostris temporibus Polonae Latinitatis reformatores merito ponendus, in principio statim orationis suae haud inelegantis memoratur beneficos proceres Polonos, qui munificentia sua ad exaedificandum, certe splendidum aedificium, nobili litteratae iuuentuti Polonae, sub auspiciis patrum scholarum piarum instruendae, dicatum, contribuerunt. Postquam enim FRANCISCVS comes BIELINSKI, supremus regni Mareschalcus, si quis alius propagandi boni publici cupidissimus, iuxta ac studiosissimus, primum huius aedificii lapidem iecit, mox sensim plurium praeclarissimorum in republica virorum, principum foeminarum liberalitate crescere augerique coepit, inter quos IOANNES comes TARLO, palatinus quondam Sendomiriae princeps numeratur. Non parum etiam ad opus hoc maturandum contribuit supremus regni thesaurarius comes ODROVANZIVS SIEDLNICKI, qui stipendium, publico senatus consulto per sex annos ad exstructionem harum aedium decretum, recto tempore persoluit. Deinde reuerendus KONARSCIVS exponit, quae ad formandum virum honestum et bonum virum requirantur, et institutionis iuuenum nobilium in collegio scholarum piarum rationem exacte reddit, qua data occasione recte varia vitia carpuntur, variae etiam ex ethica veritates repetuntur, quae quidem in Polonia vix satis repeti posse videntur, quo plures aegrius adhuc ferunt vitiorum carptores. Quando doctissimus auctor scripsit: *Nobilitas sine virtute, ingenio et honestis moribus est vana et futilis*, item *fastus et superbia innatum nobilitatis vitium*, vel *leue est, contemnendumque ingenium hominis perpetuo iocosi, continuo verborum ambiguorum vsu, praesertim cum aliorum offendiculo inepte faceti etc.* nescio an non ab homuncionibus istis nasutis accusetur, durius eum in Polonos scripsisse, licet minime ad Poloniam, et ad deprauatos tantum istos homines pertineat. Expertus scio tantam nunc esse superstiosorum ignorantiumque in diiudicandis nouis libris petulantiam, vt fere omnis veritas iis offensioni sit, istique maxime grandis sint supercilii, qui ne duas quidem paginas recte scribere didicerunt. Ex his si penderet librorum vtilium promulgatio, certe in Polonia nil nisi panegyricos, in quibus omnis generis vitia ac mendacia in coelum tollerentur, imprimi curarent.

Vnicum adhuc locum ex hac oratione in medium afferemus, qui ad eruditionem in Polonia propagandam pertinet. „*Qui in lectione*, inquit auctor, *optimorum librorum „delicias reperit, amplius sane magistro non eget. Nos itaque inter praecipuos ex educatione „fructus, hunc excellentem statuimus, si iuuenes legere ipsi vltro bonos libros incipiant, si iis*

„magnopere oblectentur. Hanc enim musis valere iussis, e Scholis egressi, pulcherrimam vitae „occupationem, si semel illis ad palatum venerit, nunquam reliqua vita deserere poterunt. Le- „ctio vero eos et probos et magnos in republica viros INDVBITANTER efficiet. Optandum pro incremento literarum in Polonia esset, vt multi huius loci veritatem et caperent et exequi conarentur. Sed contraria apud plures inualuit opinio, lectionem et literas parum facere ad vitam in administranda republica practicam, atque adeo continuam lectionem librorum reddere homines obscuros ac confusos, qui melius vtiliusque cum viuis quam cum mortuis tempus tererent. Quis non videt, vsum lectionis ab abusu haud recte distingui? Si verum est, omnem sapientiam humanam in bonis libris, tanquam intellectus humani cella penaria, contineri, sole etiam meridiano clarius est, lectionem illorum vnicuique et necessariam et vtilem esse. Qui vero bene noscit modum in Polonia viuendi, non mirabitur, studia et lectionem bonorum librorum non posse ita excoli et absolui, vt apud alias Europae gentes, quia ii, qui facultate libros comparandi gaudent, tempore eos perlegendi carent, continuo negotiis publicis, itineribus et litigiis distracti. Ii vero, qui literis libenter incumberent, vt plurimum opibus ad comparandos bonos libros destituuntur.

3. CLEMENTIS IANITII, Poloni poetae laureati poemata in vnum libellum collecta, et ob insignem raritatem ac praestantiam denuo excusa curante IOANN. EHRENFRIED BOEHMIO. Lipsiae, sumtibus Io. Georg. Loewii MDCCLV. vndecim plagulae in 8.

Nobilissimus horum poematum editor, haud infelix Anacreontis imitator, lepidusque nostris temporibus poeta Latinus, inscripsit ea illustrissimo reuerendissimoque IOSEPHO ANDREAE, comiti in zaluskie ZALVSKI, supremo regni Poloniae referendario etc. musarum praesidio ac ornamento. Nitide hic libellus impressus Lipsiae, vbi typographi nunc Gallos, Anglos, Belgas laudabiliter imitantur, sed multa obueniunt sphalmata typographica, quae quidem non typographis, sed correctoribus eorum, imputanda. Ianicii vitae compendium praemissum, syllabus vero opusculorum sequens: I. Tristium liber. II. variarum elegiarum liber. III. Vitae principum Poloniae. IV. Vitae archiepiscoporum Gnesnensium. V. Epigrammatum liber. VI. Epithalamion, in nuptias Sigismundi Augusti, regis Poloniae.

Vitas archiepiscoporum Gnesnensium quod attinet, a Ianicio scriptas, eas in his actis adiecimus, vidimus autem tetrastichon Ianicii, in Albertum Iastrzembiecium scriptum, fuisse suppressum, cui illud, quod p. 52 suppeditauimus, a quodam fuit substitutum. Genuinum autem huius tenoris:

Hic erat accipiter factis et nomine: iniquas
 Congessit, variis quas rapiebat, opes.
Condit humi, effossas gula deuorat ampla nepotis,
 Non bene, quae fuerit res male parta, perit.

4. Otium Varsauiense, in selectis ex historia litteraria Poloniae argumentis explicandis insumtum. Vratislauiae apud Ioannem Iacobum Korn. MDCCLV. in 8. mai. pl. 6.

Egregium in historia litteraria Polona edidit specimen doctissimus FRANCISCVS RICHARDVS GOEZIVS, bibliothecae Zaluscianae publicae, subbibliothecarius, adolescens in litteris diligentissimus. Vberius in trimestri sequente de otio hoc Varsauiensi dicemus, in quo sequentia leguntur:

I. Διατριβὴ de disceptatione inter Benedictum Herbestum et Iacobum Gorscium de periodis.

II. Vita

II. Vita Andreae Patricii Liuoniae antiſtitis.
III. De Polonorum Graecis interpretibus.
IV. Petri Tomicii Ep. Crac. ad Eraſmum Rotterodamum epiſtola nondum edita.
V. De vſu epiſtolarum in re Polona litteraria diſſertatio.
VI. Relatio de Vbaldi Mignonii noctibus Sarmaticis et aliis contra eas editis ſcriptionibus.

5. *Memoria ſaecularis, diei quo ante hos trecentos annos Pruſſia excuſſo tyrannidis cruciferorum iugo in libertatem ſeſe vindicatum iuit, ac deinde ſub sereniſſimor. auguſtiſſimorumque Poloniae regum imperium ac tutelam conceſſit, regnante feliciter ſereniſſimo ac potentiſſimo AVGVSTO III. iuſſu et auctoritate magnifici atque ampliſſimi ciuit. Thorunens. Senatus publica oratione d. VII Febr. A. MDCCLIIII. in gymnaſio celebrata interprete M* IO. ALBINO KRIES. *Gymn. Thorun. Prof. publ. ord. Soc. Lat. Ienenſ. Soc. honorar. Thorunii imprim. Io. Chriſtoph. Iungmann, nobil. Sen. et Gymn. typogr. in folio.* Alphab. 1. plag. $2\frac{1}{2}$. cum appendice et carmine Germanico, quod notis muſicis excepit Samuel Contenius, direct. muſ. et Gymn. coll.

Dicamus prius de programmate, quod orationem praecedit. In hoc doctiſſimus auctor exacte hiſtoriam tradit ſtatus et conditionis ordinis Teutonici, in Pruſſiam inuitati, magiſtro HERMANNO de SALZA, quo quidem tempore ordinis vires haud magnae fuere. Varii vero tum nobiles, tum ciues ex Germania in Pruſſiam, partim bellandi cauſa, partim lucroſae terrae incolendae conſilio, venerunt, a quibus, ſub auſpiciis ordinis Teutonici, primo ſtatim anno ab illorum ingreſſu, nempe 1231 vrbs Thorunienſis, et ſequenti 1232. Culmenſis, fuere conditae, a qua vrbe priuilegium illud celebre nomen habet, quamque metropolin eſſe volebat ordo. Increſcente autem ordinis potentia, iura ciuitatum, ſine quibus nihil in iuribus maieſtatis exercendis ſuſcipere poterat ordo, non ſemel violata fuere, vsque eo, dum Thorunium cum pluribus aliis ciuitatibus et magno nobilium numero Elbingae de foedere ineundo deliberarit, quod negotium deinde paulo poſt in vrbe Mariae inſulana ad finem perductum fuit, cuius foederis litteras ex autographo, quod in tabulario Thorunenſi aſſeruatur, auctor hic inſeruit, vna cum ſigillo nouae ciuitatis Thorun. aeri inſculpto.

Suſceptum fuerat hoc negotium non inſciente, immo ſuadente ordinis magiſtro PAVLO RVSDORFIO, qui factum laudauit, probauitque, reliquos vero ea res male habuit, ira aduerſus magiſtrum et furore in foederatos exardeſcentes, quam ob cauſam magiſter dignitate ſe abdicauit, cuius actus documentum literatiſſimus KRIES ex tabulario Thorunenſi hic etiam inſeruit. A nouo etiam ordinis magiſtro, CONRADO de ERLICHSHAVSEN foederati obtinuerunt, vt foedus probaret, ac ſponderet velle ſe omnium ac ſingulorum iura et priuilegia tueri, quo effectum fuerat, vt per aliquot annos foedus ipſum non impugnaretur, donec a. 1446 epiſcopus Heilsbergenſis FRANCISCVS KVHESCHMALZ cum clericis ab ipſo concitatis, foederatos in inuidiam adducere laborabant, atque ipſe quoque magiſter, importunis fratrum clamoribus impulſus, poſtulabat, vt foedus tolleretur. Foederati vero animo firmi erant, quamuis grauiſſima quaeque ordo minaretur. Tandem cauſa ad imperatoris iudicium delata fuit, qui foedus ante probabat, deinde autem damnabat, id quod anſam dedit, vt Teutonici magis inſoleſcerent, decretumque imperatorium ita interpretarentur, vt pronuntiarent, foederatos priuilegiis omnibus eſſe priuandos, ſexcenties mille florenorum mulctam ab iis eſſe perſoluendam, et, quod atrociſſimum, trecentos ex nobilibus et ciuitatibus deligendos, qui carniſi-

nificis gladio ſubiicerentur. Foederati igitur extrema experiri cogebantur, et iugum intolerabile excutere, quem in finem ſcripſerunt litteras, d. 4 Febr. a. 1454 Thorunii, quibus magiſtro eiusque ordini iusiurandum, quo fidem et obſequium promiſerat olim, renuntiarunt, et die Dorotheae, 6 Febr. arcem armis occuparunt. Thorunenſium exemplo excitatae reliquae ciuitates res ſuas non minus fortiter et feliciter peragebant, ita vt intra menſis ſpatium vltra quinquaginta arces et vrbes in foederatorum poteſtate eſſent. Iam ergo, pulſis tyrannis, libera erat Pruſſia, quae dominum ſibi eligere poterat, quem vellet. Praeferebat autem caeteris Poloniae regem, tunc CASIMIRVM, ad quem Cracouiam mittebantur duodecim legati, nempe duo equites, duo nobiles, octo e ciuitatibus, qui, cum d. 18 Febr. Cracouiae praeſentes eſſent, regis imperio Pruſſiae terras obtulerunt, hac ſub conditione, vt rex omnia Pruſſiae priuilegia tueretur et conſeruaret, quam ſpontaneam Pruſſorum deditionem rex beneuole accipiebat, vt teſtatur priuilegium Caſimiri d. VI Martii datum.

In oratione, quae programma ſequitur, diſſertiſſimus KRIES in prooemio ob oculos ponit illorum temporum faciem, monſtrando, Thorunenſium, in maximis iſtis rebus, primam laudem eſſe, argumentum autem orationis agit *de beneficiis, quae a sereniſſimis Poloniae regibus in Pruſſiam, et Thorurenſem inprimis ciuitatem profecta ſunt.*

Excipit orationem maſculam appendix documentorum quorundam, quae omnia doctiſſimus KRIESIVS cum diligentia diſpoſuit, ſic, vt hoc opus egregie hiſtoriam Pruſſiae dilucidet.

6. *Tabula geographica, epiſcopatum Warmienſem in Pruſſia exhibens.* Nullo tempore melior tabula geographica in lucem prodiit in Polonia, vel Pruſſia Polona, quam haec exacte conſignata, in forma ſic dicta regali, tabula. Optandum eſſet, vt breui de ſingulis Poloniae et M. D. Lithuaniae palatinatibus eiusmodi tabulae ſpeciales conficerentur, tum demum exacta totius regni Poloniae et M. D. Lith. tabula geographica generalis delineari poſſet. Haec tabula geographica iuſſu et ſub auſpiciis celſiſſimi principis epiſcopi Warmienſis ſumma cum diligentia et accuratione confecta, manum auxiliatricem praebentibus, et ad id incitatis omnibus eiusdem epiſcopatus eccleſiaſticis, arcium praefectis et ciuitatum magiſtratibus. Spes alit auctorem, laborem hunc difficillimum eruditorum orbi ſeſe commendaturum eſſe. Elbingae MDCCLV.

Celſiſſimo ac Referendiſſimo S. Rom. Imp. principi, Domino, Domino ADAMO STANISLAO in Grabowo GRABOWSKI, epiſcopo Warmienſi et Sambienſ. terrarum Pruſſiae praeſidi, nec non inclyto eccleſiae cathedralis Warmienſis capitulo, tabulam hanc geographicam quo decet, humillimo et obſequioſo cultu D. D. D. IOANNES FRIDERICVS ENDERSCH, mathematicus regius.

HEILSBERG, Solita habitatio epiſcopalis, longitudinem 38 graduum et 16 minutorum ab inſula Ferro numerat.

Gratulor domino ENDERSCH, auctori huius tabulae geographicae diligentiſſimo, de feliciter abſoluto hoc labore, qui meretur, vt dignam ex eo reportet compenſationem, diu iam communi bono, tum inſtrumentis mathematicis, tum globis terreſtribus et coeleſtibus, laudabiliter inſeruiens. Nil iam reſtat, quam vt eodem modo concinnatam tabulam geographicam Pruſſiae Polonae nobis exhibeat, quae eodem grato eruditorum animo ſine dubio erit accepta. Eiusmodi viri in republica prae caeteris ſunt et vtiles, et accepti, et honore digni.

F I N I S.

LAVRENTII MIZLERI

ACTA LITTERARIA REGNI POLONIAE ET MAGNI DVCATVS LITHVANIAE

A. MDCCLV.

PVBLICATA

TRIMESTRE TERTIVM.



CVM SERENISSIMI REGIS POLONIARVM PRIVILEGIO.

VARSAVIAE ET LIPSIAE,
TYPIS MIZLERIANIS.

SVMMA CAPITVM.



I.

De electionibus regum Poloniae, altero ſtatus praeſentis fundamento, ſuper quo reſpublica hactenus conſiſtit, quo ruente aliquando ipſa ruet, annotationes ſelectae, ex collectaneis DAVIDIS BRAVNII, S. R. M. Pruſſiae conſiliarii. Anno MDCCXXII. Coloniae typis Theodoti Brabei. in 4. plag. 4½.



Ius eligendi reges, Polonis antiquitus, non, niſi deficiente dynaſtia regnante, quod etiam aliae gentes omnes habent, competiiſſe; nobilitatem vero ad comitia, electionum confluxam, nihil praeter conſilium et directionem palatinorum ſuorum, caeterorumque officialium prouincialium, feciſſe, imo a ſenatu, communicato cum officialibus conſilio, rem omnem transactam fuiſſe, dubio omni caret. Quod ſimul cum iure ſucceſſionis principum antiquiſſimo in Polonia, nemo antiquior nec ſimplicius enarrauit, quam KADLVBKO, ex ore Fulconis, archiepiſcopi primatis ad ſenatum, poſt obitum ducis CASIMIRI iuſti a. 1195 pro ſucceſſione filii eius, LESCI albi, adhuc pueri. Lib. IV Cap. 21. Enimuero a tempore extinctae cum CASIMIRO magno dynaſtiae Piaſteae, priuilegia et libertates a primo rege LVDOVICO, aduena, obtenta, mox a domo Iagellonica immenſum aucta, retinendi ſuſpicax in imperantes cura, nobiles Polonos eo deduxit, vt iam exſpirante

hac linea, axioma; *nec nominetur Piastus*, h. e. *indigena*, amplexi sint, vtpote ab eo noua commoda non sperantes, veterum vero libertatum faciliorem iacturam metuentes. Caeterum donec libertatis initia et incrementa per pacta cum aduenis regibus, LVDOVICO et IAGELLONIBVS, ipsis parta sunt, periculum adeo affectatae electionis alienigenarum subesse nequiit. Sed quod modum libertatis postea non seruarint, crebrisque, post SIGISMVNDVM AVGVSTVM, vltimum Iagellonidem, sequutis electionibus, candidatis coronae extraneis, pro lubitu conditiones et vincula noua imperandi obtruserint, vsque adeo, vt, cum circa libertatem iam non habeant, quod desiderent, bene quasi dotatos quaerant principes, quibus myriades stipendiorum debitorum exercitui, operas in exstruendis aedificiis et propugnaculis, erigendis scholis equestribus, et tot alias onerosas conditiones, imponant: hoc quidem prudentissimis ipsorum videtur esse malum et periculis plenum. Propterea SIGISMVNDO III regi, de propugnaculorum exstructione, defensione limitum regni, propriis sumtibus, et caeteris articulis, in pactis suis promissis, monito, vitio non vertendum, quod responderit: *talia ea conditione circa electionem pacta intelligi, eatenus praestanda, qua prouentus regis ferunt, qui cum opinione minores sint, indecorum reipublicae foret, imo et intutum, illud a regibus exigere, quod praestare nequaquam possent.* LVBIENSKI de motu ciuili Lib. I p. 52.

Vtique leuitatem legatorum HENRICI I regis, in promissis omnibus, tam publice, quam priuatim a candidato coronae postulatis, non indignari, sed cum MIELECIO ridere oportet, qui, si pontem aureum, Vistulae instruendum, postulauerimus, hos legatos non opus negaturos, sed de genere auri quaesituros, in eos lusit. HEIDENSTEIN hist. lib. I p. 29. Idem ille addit: legatos istos MONLVCCIVM et NOALLIVM, pacta electionis oblata, nec dum perlecta, iurauisse, imo exemplar pactorum secum in Galliam ad regem incuriosos non detulisse, denique regem hos legatos, cum Polonorum splendida legatio aduenisset, ab aula absentes esse voluisse, vt facilius eluderet promissa. Accesserunt ad causam publicam, onerandi candidatos sceptri, aliae quoque priuatae, eoque magis reipublicae damnosae. Nam sicut in omni homine, naturali libertati relicto, videmus, vt ex fortuna nullum sibi sciat ponere modum, ita in populo summe libero, et propterea omnium mediorum coercendi impatientissimo euenit. Hinc ante conditiones publicas, futuro regnanti oblatas, saepe potentiores aut factionibus validi, sibi et clientibus suis priuatim dignitates, praefecturas, aut pecuniarias summas, a legatis candidati

didati principis emercati ſunt, ex quo pruritus ſaepe mutandi reges ortus fuit. Sed prudenter FREDRO in Henrico p. 30 monuit: *nulli bono interregna placent, aſt vitioſo cuique nusquam ſatis, cum olim bimeſtre interregnum maioribus noſtris graue haberetur.*

Principes extranei, tanto auri et iurium regalium maieſtatisque diſpendio, thronum adſcendentes, cuiuis iudicare relinquunt, qua charitate onus tuendi, non regendi populum ſumme liberum, nullo alio quam tituli praemio, ſuſcipiant. Fuerunt viri in Polonia ſapientiae et virtutum fama eminentes, qui electionem indigenae regis ex publicis ſinceriſque rationibus ſummopere abhorruerunt, et ANDREAS MAXIMILIANVS FREDRO, caſtellanus Leopolienſis, in hiſtoria Henrici p. 74 et 230, pro magno arcano ſtatus Poloniae, axioma vitandi regis indigenae laudauit, rationes promens, quae adhuc in ore ſunt multorum. Hac de re DAVID BRAVNIVS varia diſputat in vtramque partem. Viri enim ſapientes, Poloni, patriae ſuae incommodum ſenſerunt, iam tunc, cum tantum duo reges aduenae, HENRICVS et STEPHANVS, electi fuiſſent, et PIASECIVS, epiſcopus Premislienſis, in Chronico ad anno 1587 p. 69 longo ordine incommoda ab alienigena rege perſequitur:

Reſpublica Polona ad hanc formam ab initio compoſita non fuit, ſed longo tempore, additis libertatibus, eousque excreuit, ideo correctionem ad normam optimarum legum difficulter admittet. Braunius fundamentum debilis ſtatus publici in Polonia exquirens, neglectam legum executionem agnoſcit, et recte opinatur, omnia excogitata remedia eousque fruſtra proponi, donec exemplo ſenatus Venetorum, primo de inexorabili modo exequendi leges ſalutares, immutabilis lex concluſa et promulgata fuerit. Proponit auctor etiam conſilium OLSZOVII, regni quondam procancellarii, circa electionis et omnium conſiliorum feliciter concludendorum modum, quod in comitiis coronationis regis MICHAELIS, coram ordinibus, publica oratione inculcauit, huius tenoris: *vt, cum tanta diſturbandorum regni comitiorum facilitas, et in corruptis animis licentia, affine ſit extremae ſeruituti vitium, ſi nuntius leui de cauſa comitia conuulſiſſet, citandi eum facilitas eſſet ad tribunalitia regni iudicia, ad reddendas rationes proteſtationis ſuae: vel, ſi id diſpliceret, nuntiorum ſacrario neceſſitas eſſet, cum extraordinario plectendi iudicio.* Vid. Zawadski hiſtoria arcana lib. II pag. 83.

Hactenus ſecundum Dei gratiam, pericula ruentis ex nimia libertate Poloniae, praecipue principes vicini, quorum ſummopere intereſt, Poloniam ea forma ſtare, auerterunt, liberamque electionem fulſerunt. Et

cum per factionem Gallicam vltimis IO. CASIMIRI regis annis, ex violenta obtrusione principis Gallici, viuente rege, feralis casus reipublicae immineret, exteris legatis ea laus ab historicis Polonis celebratur, quod mysterii tanti machinam primi, senatus et equestris ordinis melioribus detexerint, ipsique reipublicae consiliis suis magno adiumento fuerint. KOCHOWSKI Climact. III Lib. I p. 27 Legem autem a. 1683 de non toleranda residentia ministrorum extraneorum in regno Poloniae, factio quoque Gallica contra regem IOANNEM, auxiliis cæsari, aduersus Turcos, Viennam obsidentes, ferendis pronum, extorsit. Dicit porro BRAVNIVS, Galliam tempore MICHAELIS regis, ciues, magnates, opibus suis, Turcosque, in Poloniae perniciem armasse.

Altera factio, inquit auctor, quia sacrorum vinculis adstricta, potens, et nisi Deus obstitisset, iam per electionem absolutum imperium Poloniae inducere prompta, aulae Romanae est. Disserit auctor quaedam memoria valde digna; Nos autem testimonia duorum episcoporum Polonorum tantum adducemus: PIASECIVS in Chron. pag. 71 scripsit: *fax praecipua et incentor malorum nuntius ille, claudus licet pede, ascendebat turrim templi maioris Varsauiensis, quae erat excelsior, vt inde spectaret, quod certo sperabat, ferale praelium magnatum in arma ab eo accensorum. Partes enim Gorcanorum et Zborouiorum, licet essent dissidentes a Romana religione, tuebatur, eorumque suffragia largitionibus et promissis immensis obligata habens, violentiora vbique suggerebat consilia etc.*

CROMERVS Lib. XXV p. 379. ingenue narrat nefas nuntii apostolici HIERONYMI archiepiscopi Cretensis, quod coniugibus illustribus in Prussia, consuetudinem cum maritis sub conscientiae vinculo interdixerit, nisi fidem regi Poloniae fallere et cruciferis contra Polonos adhaerere velint. His scriptorum excerptis hoc probare voluit Braunius, maximum a factionibus circa electiones regum, reipublicae Polonae metuendum esse periculum. Nam electio regum praecipuum libertatis Polonae pabulum est. Sed status iidem serio tandem aduertant, inquit auctor, nimia pactorum suorum conuentorum vincula, quibus reges etiam optimos et felices, constringunt, magisque singulis electionibus maiestati derogant, reipublicae damnosa magis esse quam proficua. *Tuenda est omnino auctoritas regia*, praeclare ait sapiens senator FREDRO in histor. Henrici p. 110. *cui si quid derogauerimus, non credamus libertatibus nostris melius prouisum iri, sed diminuta auctoritate principis vna diminuitur superioritatis in populo respectus, vt omnia per licentiam fiant*, quod certe in rebus publicis omnium malorum pessimum est. Nam malum quidem est

est principem habere, sub quo nihil vlli liceat: peius vero talem, sub quo omnia omnibus. Sunt verba FRONTONIS, conf. Rom. apud Dionem Cassium in Nerua.

Laudi quidem genti Polonae datur, quod in amplissima sua libertate, regibus adhaerere consueuerint, et, si quem vecordia transuersum egerit, pars tamen maxima reges tueri solita sit. Vnde FREDRO in fragmentis p. 257 gloriatur: *quod in sinu cuiusuis ciuis rex secure dormire possit.* Nihilominus ex historia Polona patet, praeter crebras mutationes et abdicationes principum suorum,

CASIMIRVM iustum, virum benignum, ex venenato poculo, in solennibus epulis hausto, subito occubuisse, vid. KADLVBKO L. IV c. 19.

PRIMISLAVM regem, marchionibus nepotibus, a nobilibus suis de Zaremba et de Nalencz proditum, vid. DLVGOSSVS L. VIII.

CASIMIRVM III a charissimis sibi Lituanis, veneno et pluribus insidiis coniuratorum septies petitum. Vid. DLVGOSSVS ad an. 1446 et CROMERVS, Lib. XXII.

SIGISMVNDVM I, Cracouiae in cubiculo, ab aliquo suorum exploso sclopeto, periculum vitae subiisse. Vid. VAPOVIVS in fragm. pag. 586. Eundemque per seditiosum Rokosz vix non oppressum, aut regno eiectum fuisse. Vid. ORICHOV. annal. VI.

SIGISMVNDVM AVGVSTVM a nobili Lituano Woicik, schedulam perduellionis in caput regium accepisse. vid. GORNICKI in vita Sigismundi Augusti p. 159.

Vicissim a matre eius Bona Sfortia, vt filii thronum a riualibus, reliquiis Piastorum confirmaret, peregrino scelere duces vltimos Masouiae IANVSZVM et STANISLAVM, praeterea reginam nurum ELISABETHAM Austriacam, in gratiam regis filii, praetextu sterilitatis illi maleuoli, veneno necatos. Vid. VARSEVICIVS in vitis parellel. L. II p. 117 et 119.

STEPHANO regi a Philippowskio, cubiculi praefecto, et a Zboroviis, atque Gregorio Oscik, vitae insidias structas, qui armis cinctus comitia intrare coactus est, vt se contra valide armatos insidiatores tueretur. Eundem medicorum denique, Simonii et Puccellae, ministerio, venenato poculo extinctum. Vid. HEIDENSTEIN in hist. rer. Pol. pag. 146. 220. etc. BIELSKI Chron. Lib. VI ad. an. 1585.

SIGISMVNDI III regis, a Piekarskio malleo percussum caput, vt in genua procumberet. Eundem a publico tumultu Rokosz vitae et regni periculum passum. Vid. PIASECKI Chron. ad a. 1620. LVBIENSKI de motu ciuili Lib. II.

MICHAELEM regem, veneno enectum. Vid. ZAWADSKI hiſt. arcan. pag. 405.

IOANNEM denique tertium, a coniuratis proceribus periculum vitae et honoris paſſum fuiſſe, an. 1683. vid. DALERAC anecdotes de Pologne p. 408 et alia diaria. Sed pauca haec ſunt exempla, comparatione caeterarum gentium, ſanguine regum et principum ſuorum infectarum.

His dictis BRAVNIVS diſſerit quaedam de horrendis malis, quae Polonia ob crebras principum ſuorum mutationes paſſa eſt, quae, vt tota diſſertatio, lectione valde digna ſunt. Liberam vero regum electionem quod attinet, notandum, eam vero in ſenſu non eſſe veram, et SARNICIVS in annalibus diu iam recte dixit: *reuoluite annales noſtros, vix vnum exemplum liberae electionis inuenietis, cui aliqua vis aut ars admixta non fuerit.*

Finiamus cum voto BRAVNII, cuius et nos, omnes Polonos patriam amantes damnatos cupiamus, ſequente: „Deus O. M. orandus eſt, „vt compoſitis animis, omnibus ſtatibus illuſtris potentisque regni, quod „contra immanes barbaros in limite orbis chriſtiani excubat, tranquillitatis „et concordiae mutuae affectum indere, atque in poſterum ad ſalutem mul„torum populorum et vicinorum complacentiam clementer dirigere velit.

II.

Vitae trium archiepiſcoporum Gneſnenſium, ſeu regni Poloniae primatum, nempe ANDREAE KRZYCKI, ſeu CRICII, IOANNIS LATALSKI, et PETRI GAMRATI.

*1480 aut 1481 cf. pag. 167

ANDREAS KRZYCKI, archiepiſcopus GneſnenſisXLIV, natus in villa Krzycko, in terra Wſchouenſi, quam Germani Frauenſtadienſem vocant. Erat ſtirpis et familiae Kotficiorum, qui pro ſtemmate gentilitio campum rubeum ſeu taeniam in albo ſcuto deferunt, vt notat Paprocius fol. 552. Fortuna et cenſus parentum non adeo opulentus, tamen equeſtris. In puero emicabat animus generoſior et ingenii acrimonia ſuper aetatem. Erat nepos ex ſorore viri clariſſimi PETRI TOMICII, epiſcopi Cracouienſis et regni procancellarii. Is e lare paterno abſtractum Cricium, ſic Latine Krzycki dicitur, Cracouiae in primis humaniori literatura imbuendum curauit. Viderat agnoueratque Tomicius indo-

indolem viuidam et magnorum aliquando capacem, et vt ardor ille studiorum iuuenilis externis poliretur elegantiis in Italiam eum ablegauit. In academia Bononiensi erat CODRVS VRCEVS, vir egregie doctus, qui illo tempore cultioris styli, etiam poetices, studium instaurabat, cuique adhaeserat Cricius, tantum proficiens, vt scribendi elegantia, pangendi versus facilitate paucis esset comparandus. Emenso literarum cursu rediit in Poloniam, aetatis anno vigesimo tertio. Nondum TOMICIVS ad eum peruenerat gradum, vt Cricium pinguiori aliquo sacerdotio posset augere, ideo ex Italia reducem IOANNI LVBRANSCIO, episcopo POSNANIENSI, commendauit. Aestimabat CRICII doctrinam rarasque ingenii et animi dotes LVBRANSCIVS, vir egregie probus et literarum celebratus fautor, qui Cricium Scholasteria sic dicta cathedralis Posnaniensis prouidit. Cum Lubranscius desponsatam BARBARAM, comitem Scepusiensem, primus regius orator, ex Hungaria in Poloniam a. 1512 deduceret, Cricius, vti domesticus et familiaris, eum comitabatur, tamque celebri actui intererat. Scripsit elegans et eruditum carmen, SIGISMVNDO inscriptum, in augustum hoc connubium. Cricius deinde, BARBARAE reginae, renuntiatus fuit cancellarius, sed vix triennio exacto, et regina, secunda enixa prole, e viuis cedente, in aula SIGISMVNDI inter Secretarios morabatur Cricius, pinguiorem praestolando sortem, quae mox votis illius cumulate respondit, PETRO TOMICIO, regni procancellario renuntiato, et ad episcopatum promoto Praemisliensem. Sigismundi regis existimatione, ob eruditionem solidiorem, cultam atque elegantiorem scriptionem, ita excellebat, vt in omnibus negotiis, quae sub manum eius veniebant, legationibus dextre prudenterque obeundis, nulli par, omnes antecellere censeretur. Postmodum opimioribus auctus sacerdotiis, cathedrali Posnaniensi, canonicatu Cracouiensi, et ad S. Floriani Cracouiae praepositura, partim per arduam virtutis viam, partim Tomicio eum promouente, ad maiores euasit gradus. Per merita et doctrinam, Tomicii fultus patrocinio, Praemisliensem episcopatum, rege promouente et commendante, assecutus, mox legatus in Hungariam ad LVDOVICVM missus. Cesserat viuens adhuc IOANNES CONARIVS, episcopus Cracouiensis, episcopatu Petro Tomicio, Posnaniensi tunc episcopo, quam cessionem et Rex et Roma probauit, dataque fuit ab LEONE X, pontifice, Tomicio facultas et Posnaniensem et Cracouiensem episcopatus simul retinendi, quoadusque integram possessionem episcopatus Cracouiensis assequeretur. Posnaniensem episcopatum tunc ab ascensu Tomicii, CRICIVS, auunculi promotione,

tione, tum et reginae BONAE fauore, ſperabat ſe adepturum, ſed de ſpe fuit deturbatus, et IOANNI LATALSKI, regina promouente, ceſſerat epiſcopatus, quam poſtpoſitionem impotenter tulit Cricius, querens in carmine, Apollinem Baccho poſtpoſitum, qui nummis ad eum perueniſſet gradum. Poſt cladem Hungarorum et deceſſum LVDOVICI regis, Cricius iterum legatus vna cum STANISLAO de SPROWA, Biecenſi caſtellano, in Hungariam miſſus, quem redeuntem rex Plocenſem epiſcopum renuntiauit, RAPHAELE et LESZNO a. 1525 e viuis ſublato. Olomucii etiam, in Morauia, fuit regis legatus, ad conficiendam pacem inter FERDINANDVM tunc Bohemiae regem, et IOANNEM Hungariae. Neque vero in externis negotiis viuidum et acre ingenium enituit Cricii, etiam domeſtica parem agnouere vigorem. Ciuitas Torunenſis cum ciuibus Plocenſibus occaſione nauigationis in viſtula ad eas deuenerat inimicitias, vt in mutuam exarſerint vindictam, quam cauſam Cricius cum FELICI SRZENSKI, Plocenſi, GEORGIO a KONOPAT, Pomeraniae Palatinis, NICOLAO DZIALYNSKI, Culmenſi caſtellano, ex regis mandato compoſuit Vladislauiae, loco intermedio, inter vtramque ciuitatem, ita vt Torunenſes ciuibus Plocenſibus pro illatis damnis ſoluerent florenos trecentos. Eccleſiam Plocenſem de nouo excitari curauit, oppidum vero Andreouiam, a ſuo dictum nomine, noua deducta colonia fundauit. Exactis octo annis circiter in regimine epiſcopatus Plocenſis, e vita cedente MATTHIA DRZEWICIO, Gneſnenſi archiepiſcopo, cum TOMICIVS, eius auunculus vltro delatum deprecaretur gradum, effecit nihilominus apud SIGISMVNDVM regem, vt is honor ad ANDREAM CRICIVM, nepotem ſuum, tranſiret, impetrans a PAVLO III, Pontifice, translationis ad metropolitanam cathedram confirmationem, et pallium a 1535. Ingreſſum Gneſnam anno 1536 ſplendido peregit comitatu Cricius, non abſque magno procerum et equeſtris ordinis applauſu exceptus. Ab obitu PETRI TOMICII, epiſcopi Cracouienſis, regni procancellarii, cum is vacaret magiſtratus, Cricius magno conatu agebat, vt excluſo IOANNE CHOINIO, viro egregie docto et probo, ſigillum regni PETRO GAMRATHO, epiſcopo tum Praemislienſi, deferretur, idque cum regina BONA ſatagebat. Rex autem, cum bene intelligeret, GAMRATVM tanto muneri minime eſſe parem, CHOINIVM cancellarium regni renuntiauit. Eodem anno SIGISMVNDVS rex conuentum generalem Cracouiae indixerat, vbi CRICIVS reipublicae curam non intermittens, conuentum illum optimis temperabat conſiliis, qui tamen, nullo operae pretio, improſpero ſolutus fuit euentu.

Indo-

Indolebat Cricius discordia ciuili atteri rempublicam, angebaturque his malis publicis, et fortassis curae acriores eum in aliquam lentam aegritudinem coniecerant. Habebat medicum familiarem, sed non adeo doctum et peritum, cuius consilio pharmacum quoddam sumpserat illi languori minus conueniens. Atque dum morbo tempestiue, doctioris medici consilio postposito, non obuiat, dum amicorum officiis distractus negligit valetudinem, qui magno reipublicae atque ecclesiae commodo vitam longiorem viuere dignus erat, ad extremam deuolutus periodum, Cracouiae mortuus d. X Maii a. 1537 aetatis suae LVII anno. Facultates suas triuariam diuidi vltimae voluntatis tabulis ordinauit, partem vnam ecclesiae, alteram consanguineis, tertiam ad pia opera. Vir erat candidus et aperti pectoris, ingenio prompto, arguto, et ad omnem exculto elegantiam, id quod epistolae eius, tum et versus, non vulgari vena ab eo conscripti, luculenter testantur. Erat staturae magis mediocris, quam iustae, colore fusco, vultu ad omnem composito grauitatem. PETRVS TOMICIVS operam, calamumque eius ad grauissima negotia, quae sub manum cancellarii veniunt, epistolas, legationes, responsa expedienda, quoties opus erat adhibebat. Viros doctos fouit, et cum illis per literarum commercia amicitiam conseruabat. Extant ERASMI ROTERODAMI ad Cricium epistolae, cui etiam ex sorore nepotem ANDREAM ZEBRZYDOVIVM, post episcopum Cracouiensem, erudiendum tradiderat. CLEMENTEM IANICIVM, poetam laureatum, ob studii similitudinem vates vatem adamauit et liberalius fouit, cuius suasu Ianicius scripsit carmine vitas archiepiscoporum, quas in fine hic vitarum semper addidimus. Ideo Ianicius haec de CRICIO scripsit:

Pollio Virgilio quod erat, Messala Tibullo
    Maecenas Flacco, Tu mihi magne CRICI es.
Sed tamen iis tantum praestas pietate Camenis
    Quantum illi praestant ingenioque mihi.

Erat Cricius ab omni fastu et ambitione alienus, et symbolum illi familiare: *in paruis quies*, aegerrime tamen ferebat, aliquot fungos ad altiores promoueri gradus, quorum nonnullos in versibus suis satyrica carpit mordacitate. Multa scripsit prosa et versu, quorum aliqua facta iuris publici, nempe

1) *de sacrificio missae.*
2) *commentarium de afflictione ecclesiae in Psalmum XXI.*
3) *de primatu papae.*
4) *Epistola seu apologia ad IOANNEM ANTONIVM PVLEONEM*

Baronem *Brugii, nuntium apoſtolicum in regno Hungariae pro ALBERTO I, Duce in Pruſſia*, translato a ſtatu crucigerorum religioſo ad ſaecularem eiurata fide catholica et voto ſui ordinis, Ducisque titulo, a Sigismundo I rege, cohoneſtato, quae Romam miſſa, vbi factum hoc Sigismundi in ſequiorem trahebatur interpretationem, et Romana notata cenſura, vt legitur in indice librorum prohibitorum, concilio Tridentino editionis ſecundae Colonienſis annexorum, vbi auctoribus librorum prohibitorum annumeratur ANDREAS CRICIVS.

Multa alia extant manuſcripta, in actis praeſertim PETRI TOMICII. Supereſt adhuc Cracouiae impreſſum poema inſcriptum THRENODIA VALACHIAE a. 1531, in gratiam Ioannis comitis de Tarnow, palatini Ruſſiae, poſt Cracouienſis caſtellani et exercituum regni praefecti, qui memorabili ſtrage Valachorum viginti duorum millium exercitum exiguo Polonae militiae, nonniſi quatuor millium numero debellauerat. Carmina Cricii per varias diuiſa claſſes, non niſi manuſcripta leguntur, quae iuuenis et maturior ſcripſit, laudatoria, connubialia, funebria, mordacia et aulica, lepido varioque ſale reſperſa, multaque alia diuerſi argumenti. Sunt aliqua, quae obſcoenum quidpiam ſapere videntur, quanquam auctor vitae ipſius incognitus, qua manuſcripta vſus BVZENSCIVS, ſcribit, ea quae impudicitiae ſordibus ſcatent, non eſſe propria et genuina Cricii, verum cuiusdam viri nobilis CORYBVTHI KOSZYRSKI, ex terra Sochaczouienſi, qui fuit philoſophus, poeta, cytharoedus, conuiua, ioco mordente facetus et ſalibus vehemens, in aula regis, tum a principe tum a primariis aulae, quaſi amoenioris conuerſationis oblectamentum aeſtimabatur. In baſilica metropolitana tumulum ſibi delegerat, vbi lapis ſepulcralis extat, vna cum effigie CRICII, ex rubro ſculptā marmore, cum tali epigraphe: *Reuerendo in Chriſto patri, D. ANDREAE CRICIO, archiepiſcopo Gneſnenſi, incomparabili viro, de religione atque republica optime merito, multisque naturae atque ingenii dotibus inſigniter praedito, poſtremum hoc pietatis munus ab amicis charam ſibi memoriam retinentibus, poſitum. Moritur anno Dni M. D. XXXVII aetatis vero ſuae anno LVII.* Finiamus verſibus clementis Ianicii, Criciani clientis:

X multa

Omnia ſolus erat CRICIVS, quem ſorsque Deus que
　　Certabant ſummis vincere muneribus.
Sors tandem indoluit, quod erat contemta ſub illo,
　　Maturamque, virum ſuſtulit, ante diem.
Heu! quae reſtituent miſero mihi ſaecula talem!

IOAN-

IOANNES LATALSKI archiepiscopus XLV. Quoadusque vixere prisci moris retinentes spectatissimae prudentiae, integritatis, ministri status, PETRVS TOMICIVS, episcopus Cracouiensis, procancellarius, et CHRISTOPHORVS SZYDLOWIECIVS, castellanus, capitaneus Cracouiensis, regni Cancellarius, in regia Polona erat probitatis, industriae certamen, hisque duobus viris clauum tenentibus, status reipublicae, si non optimus, tribunitia potestate inualescente, tolerabilis tamen videbatur. Hi enim duo sapientissimi consiliarii regis, nihil intermiserunt, quod publicae integritati commodum proficuumque existimarent. Tranquillitatem regni custodierunt, homines quietos, rectos, in senatum adsciscendos promouerunt, regique commendarunt. Plebem agere modestius, suauiter induebant, et rempublicam priuatis compendiis turbari distrahique, non permittebant. At his rectoribus vita mortali defunctis, ingens morum et hominum facta mutatio. Rex, iam fessus annis, languebat, et inuisa gynecocratia ita dispensabat honores sacros et ciuiles, iisque conferebat, non qui probitate eminerent, sed qui pretio emerent. Faciebat haec BONA, regina, mulier chrysopoea, quae hanc exercebat nundinationem. Adeoque illo tempore nundinatio Sacerdotiorum, quam Simoniam vocant, licita censebatur. Per eam viam IOANNES LATALSKI, regius Secretarius, praepositus primum Gnesnensis, Cracouiensis, Posnaniensis, Lanciciensis, reginae ELISABETHAE, Sigismundi matris, cancellarius, deinde Posnaniensis, Cracouiensis ac demum archiepiscopus Gnesnensis, ad tantos euasit gradus. Natus ille in maiori Polonia, stirpe vetusta et illustri Prawditarum, et agnati ipsius titulo comitum de Labiszyn vtebantur, qui deinde a fide catholica diffidebant.

Translato PETRO TOMICIO a Posnaniensi ad Cracouiensem cathedram, vacantem illum episcopatum Cricius sperabat se adepturum, sed Ioannes Latalski, postposito Cricio, vt fieret episcopus, fauore reginae muneribus impetrauit. A Clemente VII, pontifice confirmatus, peracta consecratione Posnaniam die Augusti XVII. venit anno 1525. Exarserat in Hungaria grauissimi belli flamma, FERDINANDO, archiduce Austriae, regnum illud a morte LVDOVICI, sibi vindicante secundum pacta conuentus Viennensis, ex aduerso IOANNES, comes Scepusiensis, ab Hungarorum parte illi adhaerentium rex electus, qui validis succinctus Turcarum copiis Ferdinandum tota exegerat Hungaria. Sigismundus, Poloniae rex, tunc ad tractatum pacis, seu armistitii conficiendi, et pacta connubialia concludenda, Posnaniae, cum aliis Ioannem Latalski designauerat, anno 1530. Circa confinia Silesiae Polonorum et Silesio-

rum, fuerunt exortae aliquae dissensiones, quae iura bonae viciniae conuellere videbantur. Erat tum supremus Silesiae praefectus CAROLVS Dux Munsterbergensis, a quo requirebat Sigismundus rex, vt illa litigia non longe a limitibus regni et Silesiae componerentur. Sane praelicenter nimis Silesiorum aliqui, MYSZKA, BERKA, SCHLEGEL, publicam hostilitatem in agros deriuabant Polonos, et itinerantium mercatorum, nec non nobilium, prope fines Silesiae manentium, praedis, spoliis, publici latrones, rem augebant domesticam. Conuentum tandem, etiam consentiente Ferdinando Bohemiae rege, Glogouiae indixere, qui eas coerceret insolentias, mutuaque vicinia tuta et secura maneret. Ad negotium hoc tractandum rex Sigismundus designauerat IO. LATALSKI, episcopum Posnaniensem, NICOLAVM de KOSCIELEC, palatinum Calissiensem, LVCAM de GORKA, castellanum Posnaniensem, maioris Poloniae praefectum generalem, ANDREAM de GORKA, Calissiensem, IANVSSIVM LATALSKI, Gnesnensem, ANDREAM KROTOWSKI Kowaliensem, castellanos, quorum opera pax publica restituta. Cum vero in regimine Posnaniensis ecclesiae decennium egisset, fauore et patrocinio BONAE reginae ad episcopatum Cracouiensem promotus, rege SIGISMVNDO consentiente, et PAVLO III, pontifice, hanc translationem diplomate confirmante, Cracouiensis ecclesiae gubernationem iniit. Quod interim acciderit ad maius altare diuinam rem facienti, CRICIVS satyrico magis, quam festiuo descripsit versu, labem Simoniacam, et liberaliorem exprobrando compotationem, cum antea in aula passim Kufel vocaretur. Cricii autem versus in hunc casum TRETERVS, DAMALEVICIVS, STAROVOLSCIVS pridem iam typis ediderunt, huius tenoris:

Venerat ante aram templi Latalicius empti
Munifico cupiens sacra litare Deo.
In quo Stanislai argentea stabat imago
Diui Sigismundi nobile regis opus.
Mira tamen sed vera canam: se clausit imago
Ipsa suis tabulis nullius auxilio.
Nec satis hoc: tabulis correptus cereus iisdem
Decidit et laesit pontificale caput.
Exponant varii varie ista licet; tamen ipse
Exponi sensu simpliciore velim.
Sobrius ebriolum timuit, ne magna Falerni
Pocula compleri cogeret ipse sibi.

Latalicius viris fauebat literatis, illisque beneuolum et beneficum se declarabat. STANISLAVM HOSIVM, I. V. D. cuius in republica literatorum

ratorum magnum nomen, modico prouisum sacerdotio Vielunensis praepositurae, orbatum benefico patrono PETRO TOMICIO, episcopo Cracouiensi, quem IOANNES CHOINIVS iam in contubernium et familiaritatem asciuerat, ad aulam suam volebat pertrahere, verum CHOINIVS, illud decorum et omni literatura excultum ingenium, nullatenus mutare permisit. Cum biennio dumtaxat ecclesiae Cracouiensi praefuisset, ab obitu Cricii, ad supremum in regno honorem per auream viam fauore reginae BONAE peruenit Latalicius anno 1537. Erant illa tempora vere aurea, plurimus enim auro fuerat in aula honor, ingenium vero, virtus, nisi cum re, vilior aestimabatur alga, nec, quis melior, sed quis ditior, locupletior, BONAE reginae augebat dorophagiam, is demum ad maiores prouehebatur gradus, quod Latalicio, tum et aliis, prospere successerat. Disciplinam ecclesiasticam emortuam in pristinum restituere vigorem conabatur, ac hunc in finem Synodum an. 1539 Petricouiae, congregauerat. Completis annis tribus in regimine ecclesiae metripolitanae, hydropis immedicabilis oppressus aegritudine, vitae sortitus est finem, ipso die festo amputationis capitis S. Io. Baptistae, anni 1540 aetatis septuagesimo septimo. CLEMENS IANICIVS posthumae eius memoriae hoc adscripsit carmen:

Edite Sauromatum Latalici, stirpe vetusta
  Fecisti patrium, quae decuere decus.
Comis et ingenio, candore notandus ob idque.
  Nil male, quod de te fama loquatur, habet.

PETRVS GAMRATVS, archiepiscopus XLVI. Qua gente Petrus Gamratus natus fuerat, scriptores, qui curatius Polonas connotarunt antiquitates, inter se certant. STANISLAVS LVBIENSKI, episcopus Plocensis, narrat, apud neminem se legisse, qua stirpe Gamratus oriundus. Sulimeum illum fuisse scribunt auctores, sed in quo palatinatu, quoue loco natus fuerit, haud satis constat. Lubienscius scribit, se iuuenem audiuisse, eum Nicolai de Naglouice Rey ex sorore fuisse nepotem, diffidentium signiferi. PAPROCIVS Gamratorum domum perantiquam fuisse, et a. 1413 Stanislaum Gamratum Polanecensem castellanum, bene de republica meritum fuisse, affirmat. Auctor vitae Petri Kmithae, Gamratum patre plebeio ortum perhibet, STAROVOLSCIVS patre opilione ortum fuisse, consignauit, qui in academia Cracouiensi deinde, non opulento prouisus stipendio, literis operam dedisset. A primis annis Gamratus Erasmi Vitellii, Plocensis episcopi, erat familiaris, cum eoque Romam profectus, aulae eius fuerat praefectus. Erat

Gamratus paruarum literarum, induſtriae tamen ſatis excitatae, corpore vaſto ac procero, in ſacerdotiis occupandis mirifice ſolers. Minora ſacerdotia, veriſimile eſt, fauore, beneficientia, Vitellii adeptum. Fuit primum archidiaconus Pultouienſis, decanus Varſauienſis, parochus Wyscouienſis, quorum reditu ſuffultus, ad aulam Sigismundi regis, ampliorem quaeſiturus fortunam, ſe contulit, id quod ex voto ſucceſſit. Petrus Kmita, palatinus Cracouienſis, ſupremus regni mareſchalcus, illum promouit, cumque eum omnibus fortunis ornandum ſibi ſumſiſſet, BONAE reginae, quam penes omnium honorum arbitrium, diſtributio et licitatio fuerat, fauori inſinuauerat, quod quidem proſperrime ſucceſſit. Dum itaque moratur et meretur in aula Gamratus, accidit, vt Camenecenſis vacaret epiſcopatus. Praelati aulici ſusque deque illum habebant, nemoque curare eum illorum videbatur. Sed Gamratus nullo negotio, regina BONA promouente, impetrauit epiſcopatum. A Camenecenſi eccleſia ad Praemislienſem translatus, BONA regina rem Gamrati apud regem Sigismundum, ſollicite agente, ſigillum regni ſibi demandandum, tantoque magiſtratu potiturum ſe, non ex vano ſperabat. Omnino regina ſibi perſuaſum habebat, cum PETRO KMITA, praecipuo Gamrati fautore, quod rex, ad aſſiduas et importunas eius preces, cancellarii munus regni, collaturus fuiſſet Gamrato, qui plenus ſpei a CHOINIO, negotiorum cancellariae Polonae gnaro, libros huic muneri obeundo commodos, et ſcribas peritos ſibi tradi poſcebat, quos CHOINIVS non denegabat. Hic enim nunquam autumabat, hoc officium ſibi debere mandari, qui reginam, Kmitam, plurimos alios, maxime vero terreſtres nuntios obſtare ſibi videret. Verum rex tacitus, et nulli arcano communicato, cognitam perſpectamque habens CHOINII doctrinam, regni Sigillum ei tradidit. Non diu autem ſuperuixit Choinius, cui Gamratus primum in Plocenſi, deinde in Cracouienſi ſucceſſit epiſcopatu, BONA regina impenſius fauente, cuius opera et ſtudio ab obitu Latalicii archiepiſcopus Gneſnenſis a rege deſtinatus, quem archiepiſcopatum cum epiſcopatu Cracouienſi ad vitae tempora retinuit. MARTINVM CROMERVM, celebre in republica litteraria Polona nomen, extincto CHOINIO, GAMRATVS in aula ſua fouit, cuius calamum atque ingenium maioris momenti adhibuit negotiis. Aemulationis fidei catholicae aſſerendae memorabile monſtrauit exemplum, cum Melchioris Zelazowski, ciuis Cracouienſis vxor octogenaria a fide catholica ad Iudaiſmum deſciſceret, quae cum peruicacius errori adhaereret, et blaſphemias contra diuinitatem CHRISTI effutiret, viua in foro Cracouiae exuſta eſt.

Statuit

Statuit Gamratus, perpetuoque ordinauit, vt ab obitu DOMINICI MALACHOWSKI, S. Th. D. sodalitii praedicatorum, episcopi Laodicensis et suffraganei Cracouiensis, non amplius ex religiosis claustris, sed e medio capitularium eligeretur, ad eumque assumeretur gradum suffraganeus. Concionatores externos in basilicam Cracouiensem primus induxit. Gnesnensis ecclesiae suscepto regimine synodum Petricouiae congregauit anno 1542, in qua MARTINVS CROMERVS, minorum ordinum clericus, docte perorauit *de tuenda dignitate sacerdotali,* qui sermo in lucem prodiit inscriptus GAMRATO.

Anno sequenti ELISABETHA, filia FERDINANDI, Hungariae et Bohemiae regis, qui deinde fuit electus imperator, CAROLI V neptis, SIGISMVNDO Augusto desponsata, a legatis, a rege SIGISMVNDO, parente, missis, Vienna Cracouiam deducta ipsis nonis Maii. Postridie noua nupta in basilica cathedrali solenniter inauguratur et coronatur a PETRO GAMRATO archiepiscopo, assistentibus NICOLAO DZIERZGOVIO, Cuiauiensi et SEBASTIANO BRANICIO, Posnaniensi, episcopis. AVGVSTVS non multo post in Lithuaniam secessit, relicta Cracouiae coniuge sua, quam, vt sagaciores coniiciebant, fastidire coeperat. LVCAS GORNICIVS in opusculo actorum regni, quod filius ipsius LVCAS, praepositus Varmiensis in lucem protulit, regem SIGISMVNDVM patrem, erga Elisabetham fuisse satis beneuolo animo, narrat, regina vero BONA nurum hanc toruo magis quam hilari dignabatur vultu, illa nihilominus omni modestia matris beneuolentiam demereri contendebat.

Hoc tempore magni erant motus in Polonia religionis causa, et SIGISMVNDVS rex seuerissimis edictis haeresim propulsare laborabat. Nihilominus multi religionem mutabant. IACOBVS OSTROROG ad Picardorum sectam transiit. Frater eius STANISLAVS, Cosminecum, oppidum Calissio vicinum, Lutheranam induxerat religionem, ibidemque erecta fuerat schola. Eodem tempore IOANNES de LASKO, praepositus Gnesnensis, electus in regno Hungariae episcopus Vesprimiensis, religionem mutans vxorem duxit, et in Germaniam aliasque terras delatus, sectam Sacramentariam ibidem propagauit, tandem in Poloniam rediens, Ponczouiae, tum Olesniciorum oppido obiit. ORICHOVIVS scribit in dialogis, seueritate et aliquo rigore Gamrati perculsum, fidem et sacrum mutasse ordinem Ioannem de Lasko. Contra libros eiusdem grauiter scripsit STANISLAVS HOSIVS, S. R. E. Cardinalis, episcopus Varmiensis in libro *de oppresso Dei verbo.*

Quod

Quod superest, Gamratus erat splendidus et in conuiuiis ad luxum sumptuosus, cui non sufficiebant archiepiscopatus et episcopatus Cracouiensis reditus, atque adeo aere alieno contracto hanc supplebat inopiam, promus magis, quam condus. Erga inopes memorabilem exercuit liberalitatem, eorumque praecipuam agebat curam. Quotidie centum ex eis, episcopali mensa et ferculis reficiebantur. Quacunque iter faciebat, duo currus onusti lineis interulis et laneis tunicis, vel si hyems esset, ex pelle ouili consutis vestibus sequebantur. Nullus, vel male vestitus, vel opem implorans, qui obuiaret, non vestiebatur solum, sed viaticum etiam donabatur. Hic mos Gamrato familiaris fuit, cum aliquin ipse in tantis opibus, vt prodigi solent, egeret, ac semper fere indies, viuens aere grauatus alieno, vsuras dependeret.

Non multo ante mortem Gamrati Vilnae inter viuos agere desiit, ELISABETHA Austriaca, SIGISMVNDI AVGVSTI coniunx, ipso absente, et quidem, vt rumor erat, non sine manifesta veneni suspicione, quod ipsum etiam, vt VARSEVICIVS scribit, in comitiis imperii Wormatiae, vbi a CAROLO V caesare, eidem fuit parentatum, ex suggestu sacro in concione dicebatur. Erat vero femina animi atque corporis dotibus, quas in illam certans congesserat natura, ornatissima. Hanc in Iunio extinctam secutus est Gamratus, anthrace seu carbunculo immedicabili correptus, die XXVII Augusti a. 1545, aetatis LVIII, sacris ecclesiae catholicae procuratis, cum omnigena christianae pietatis testificatione vitam hanc fine sanctiori clausit. Gubernauit Gnesnensem ecclesiam quinquennio, in regimine Cracouiensis compleuit septennium. Regina BONA impensas funeris liberaliter prouidit, eidem sacellum et tumulum erexit, in quo hoc legitur epicedium:

Gamratum, regina potens, Bona Sfortia, Petrum
  Cracouiae et Gnesnae pontificem statuit.
Sarmatici dum vixit erat pater ille senatus.
  Hoc vita functo publica res tepuit.
Extincto ac viuo fauit pia BONA, videte!
  Quae titulos dederat, haec dedit et tumulum.

Addimus et CLEMENTIS IANICII eidem adscriptum carmen:

Fortunae exemplum memorabile gessit vtrumque
  Gnesnae et Cracouiae pontificale pedum.
Vir grauis et constans et regi gratus et aulae,
  Anthrace GAMRATVS post sua fata subit.

III. Cata-

III.

Catalogus comitiorum, ſub SIGISMVNDO III et VLADISLAO IV, Poloniae regibus, celebratorum.

SIGISMVNDO III. Rege.

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
1588.	Cracouiae.	integra.	Coronatio et multae leges factae, in Volum. pag. 447 ſeq. Mareſchallus nuntiorum PAVLVS ORZECHOWSKI (pincerna Chelmenſis) itidem inter nuntios promiſcue ſubſcripſit, in Volum. p. 454.
1589.	Varſauiae.	integra.	Conſtitutiones multae perlatae p. 507.
1590.	Varſauiae.	integra.	Menſe Aprili. Leges multae ſancitae. vid. Volum. Mareſchallus nuntiorum HIERONYMVS GOSTOMSKI, caſtellanus Naklenſis: adhuc enim tunc, ſic quoque anno 1607, caſtellani minores nuntii eligebantur.
1590.	Varſauiae.	irrita.	In Decembri, irrita fuiſſe receſſus Prutenici memorant. In hiſtoricis nihil de iisdem legitur.
1591.	Varſauiae.	integra.	Conſtitutiones non paucae promulgatae. In iis ea, quibus tempus ſex hebdomadarum comitiis ordinariis aſſignatum. In Volum. p. 606. quod iam STEPHANVS Rex in articulis ſuis A. 1576 p. 277 promiſerat. Mareſchalli nuntiorum nomen nuſpiam memoratur.
1592.	Varſauiae.	irrita.	Receſſus Prutenici notant breuiter.
1593. d. 4 Maii.	Varſauiae.	integra.	Iter regis in Sueciam, et ſecuritatis regni variae praecautiones, aliaeque leges ſancitae. Vid. in volumine p. 635. Mareſchallus fuit NICOLAVS DANIELOWICZ, ſecundum receſſum Pruten. In Volum. nihil de eo.
1595.	Cracouiae.	integra.	Tantum comitia alia, proxime Varſauiae extra ordinem celebranda, praeuiis conuentibus prouincialibus a rege aſſignandis, et tribu-

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
			tributum agrarium ſcitum. Vid. Volumen. Mareſchallus nuntiorum STANISLAVS SASIN KARSNICKI, iudex Siradienſis, ita appellatur in Volumine p. 662.
1596.	Varſauiae.	integra.	Paucae leges et tributum generale ſancita. Lata quoque conſtitutio, de colligatione principum chriſtianorum contra Turcas, quorum tamen metu typis non publicata, ſed exſcripta, iis, quorum intererat, ſub regis Sigillo tradita. Mareſchallus PETRVS MYSZKOWSKI in receſſibus Prutenicis notatur fuiſſe.
1597.	Varſauiae.	rupta.	Ob colligationem cum Caeſare contra Turcos a rege cupidiſſime quaeſitam, ab ordinibus, ne periculoſiſſimo vicini hoſtis bello implicarentur, rupta. In iisdem receſſibus notatum, non alibi.
1598.	Varſauiae.	integra.	Iter in Sueciam regis ſecundum, defenſio et ſecuritas regni, tributa, et aliae leges perlatae, in Volum. pag. 686. Mareſchallus (FLORIANVS) GOMOLINSKI (Succamerarius Siradienſis) ex d. receſs. Pruten.
1600.	Varſauiae.	rupta.	Ordines regni, bello Suecico implicari recuſarunt, in quod tamen poſtea ab amicis regis inducti ſunt, vt ab ipſo gubernatore Polono in Liuonia inuaſio Suecorum inciperet. PIASECIVS ad hunc annum. Ideo haec comitia irrita fuerunt. Nihilominus laudum contributionis ſtatuum Lituaniae conſtitit, quod ex vniuerſ. anni 1601 in Vol. p. 764 ſeq. patet. Mareſchallus dux SWIRSKI Succamerarius Breſtenſis, ſecundum receſs. Prut. in Volum. nihil de eo.
1601.	Varſauiae.	integra.	Leges non paucae, inſtructio ſiue tabula teloniorum antiqui et noui, in regno exigendorum. Item conſenſus ordinum

ac

Annus.	Locus.	Successus.	
			ac tributa in bellum Suecicum tanta liberalitate sancita, vt simul pro hoc et sequenti anno vniuersales tributorum litterae scriberentur. Mareschallus nuntiorum ZBIGNEW OSSOLINSKI, iterum. Piasecius ad hunc annum p. 228. Volumen nihil.
1603.	Cracouiae.	irrita.	Turbulenta, tandem post longam moram, a factionibus inuicem consiliis publicis obiectam, cum fine temporis legalis, irrito soluta. Nihilominus bono adhuc exemplo, tributum agrarium et consumptibilium, in vsum reipublicae ante discessum ordinum scitum, tenuit, in Volumine pag. 808. Mareschallus nuntiorum, apud Piasecium p. 248. FELIX KRISKI, Referendarius regni.
1605.	Varsauiae.	rupta.	Suspicionibus contra regem, tanquam Austriacae dominationi obnoxium, inde querelis ordinum turbida: distributione vacantium beneficiorum semper materiam ambientibus fastidii in imperantem gignente. Demum episcoporum oppositione aequis dissidentium in religione postulatis, quae iam in comitiis anni 1603 inualuerat, accedente, irrito soluta. PIASECIVS. Mareschallus (IOAN.) BIALOZOR, (Succamerarius Vpitens.). Secundum recess. Pruten. primus Lituanorum, vi vnionis et pactorum, obtinuit.
1606. d. 7 Martii.	Varsauiae.	rupta et Rokosz.	Simul cum secessu ordinis equestris, ductore ZEBRZYDOVIO, palatino Cracouiae, motus ciuilis pro libertate contra regem, Rokosz dictus, STENZYCIAE coepit, qui accessione Lituanorum auctus, comitiis ruptis, tributis tamen scitis, vid. constit. anni 1609 p. 903, tandem LVBLINVM translatus, vbi ex vniuersis prouinciis nobilitate ad vexillum libertatis accurente, in aper-

tum

Annus.	Locus.	Successus.	
			tum ciuile bellum eualuit. (Mareschallus HIERONIMVS SIENIAWSKI pocillator regni, PIASECKI p. 284.)
1607. d. 28 Mart.	Varsauiae.	integra.	Adhuc feruente Rokosz, iterum ad Stenzyce congregato, in comitiis his, secundum pacta conuenta exorbitantiae a rege correctae, ad pacificationem cum male contentis commissarii designati, et aliae leges sancitae, tributa quoque scita. Volum. p. 825. Piasecki p. 246. Mareschallus nuntiorum NICOLAVS MIELZYNSKI, castellanus Kamienensis. Volum. p. 866.
1609.	Varsauiae.	integra.	Amnestia et compositio statuum, anno praeterito iam Cracouiae coepta. Vid. Vol. p. 885, postquam anno 1608. Rokosiani ad Guzowo, cum regiis ambiguo Marte pugnassent, inde pars maxima domum dilapsa, auctoribus cladis maledixerat. Vid. Lubienski de motu ciuili l. 4 p. 137. tandem a moroso rege perfecta. Leges quoque variae sancitae, articuli militaris disciplinae approbati, tributum quoque scitum. in Volumine pag. 886. Mareschallus (Christophorus) WIESIOLOWSKI, dapifer Vilnensis. Ex recess. Pruten. In volumine nihil de eo, neque alibi.
1611.	Varsauiae.	integra.	Prosecutio belli Moscouitici paulo ante coepti. Collatio feudi Prutenici IOANNI SIGISMVNDO, Electori Brandenb. Leges et abbreuiatio processus iudicialis, denique tributum generale sancita. In volumine. Mareschallus nuntiorum IOANNES SWOSZEWSKI, notarius (terrestris) Leopoliensis. Ex recess. Pruten. In volumine nihil de eo, nec in PIASECIO.
1613.	Varsauiae.	integra.	In Februario. Exercitui, e Moscouia reduci, qui primo, sed malo exemplo, pro stipendiis suis vindicandis, confoederatus,

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
			ratus, oppida et agricolas ſummopere preſſit, ſatisfactio et ad id tributa ſcita. Tribunal quoque Radomi, ad rationes aerarii et ſtipendiorum inſtitutum. Pretia rerum et variae leges ſancitae. vid. Volumen. Mareſchallus nuntiorum MAXIMILIANVS PRZEREMBSKI, capitaneus Petricouienſis, ex Piaſecio (p. 338)
1613.	Varſauiae.	integra.	In Decembri, ad collectionem aeris immenſi, quod exercitus Demetrianus, e Moſcouia redux, vi ſumma poſtulauit, extra ordinem indicta. Et acta eorum in volumine, ſub titulo VCHWALI, nihil niſi rem aerarii et ſtipendiorum continent. Mareſchallus nuntiorum ALEX. CORVINVS GONSIEWSKI, referendarius M. D. Lituaniae.
1615.	Varſauiae.	rupta.	Feſſi ordines tot tributis in bella, Liuonicum et Moſcouiticum, collatis, agricolis ſuis per exercitum confoederatum plane expilatis, ne denuo ſciſcerent, comitia ſoluerunt. Confoederationis illius damnoſae nonnullos adiutores tamen, perduellionis et infamiae damnarunt, auctores, praeeunte vno nuntio OZGA, cum progenie ipſorum diris deuouerunt, quibus primas regni cum caeteris *amen* acclamauit. Rex quoque ſancitam ante diſceſſum expeditionem generalem nobilitatis et luſtrationem acceptauit. Ex receſſ. Pruten. et Piaſecio. Mareſchallus nuntiorum IOANNES SWIENTOSLAWSKI, referendarius regni.
1616.	Varſauiae.	integra.	Conſenſus ordinum et auxilia ad recuperandum regnum Sueciae, regi ante promiſſa, nunc euicta. Generalis nobilitatis motio, h. e. pospolite ruszenie, et tributa ſancita cum aliis negotiis. Vid. Volumen. Mareſchallus nuntiorum IACOBVS SZCZAWINSKI. Ex receſſ. Pruten. in volumine nihil.

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
1618.	Varſauiae.	integra.	Pacificatio cum Moſcouitis accelerata, paucae leges, ſed tributa copioſa ſcita. Mareſchallus nuntiorum CHRISTOPHORVS WIESIOLOWSKI, Dapifer Lithuaniae, manu ſua conſtitut. ſubſcripſit.
1619.	Varſauiae.	integra.	Pauca negotia deciſa, tantum tributa ſcita, vid. Volumen. Mareſchallus nuntiorum IO. SWIENTOSLAWSKI, referendarius regni, iterum ſubſcripſit.
1620.	Varſauiae.	integra.	Propter immane bellum a Turcis, qui ad Cezoram Valachiae, exercitum Polonicum cum duce ZOLKIEVIO exciderant, obtentu dati, Caeſari FERDINANDO, auxilii, Poloniae imminens, tributa ante hac inſolita octo agrariarum, item generalis nobilitatis motio, et aliae leges ſancitae. Sub haec comitia, Piekarski, odio populari, regem, quod ſuis auxiliis Auſtriacis datis, Turcas commouiſſet, malleo portatili caput percuſſit, qui mox ob atrox crimen vltimum ſubiit ſupplicium. Piaſecki Mareſchallus IACOBVS SZCZAWINSKI ſubſcripſit.
1621.	Varſauiae.	integra.	Ex decreto praecedentium extra ordinem indicta. Ordo expeditioni generali nobilitatis praeſcriptus. Diſpoſitio aerarii regni, tributa denique ſcita. Vid. Volumen. Mareſchallus nuntiorum IOANNES SOKOLINSKI M. D. Lituaniae notarius ſubſcripſit. Eo anno pax Turcis ad Chocim extorta, ſed Riga amiſſa.
1623.	Varſauiae.	integra.	E bello redux exercitus ſecunda vice confoederatus, cui malo exemplo his comitiis impunitas omnium iniuriarum et ſolutio ſtipendiorum, tum et quaedam leges ſancitae. Vid. Volumen. Mareſchallus nuntiorum IACOBVS SOBIESKI, palatinides Lublinenſis ſubſcripſit, (qui pater IOANNIS III regis).

Turbu-

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
1624.	Varſauiae.	integra	Turbulenta ob diſtributionem vacantium dignitatum, et ob emptum a regina comitatum Zywiecenſem, denique propter auxilia a rege contra Turcas ſubmiſſa, quorum auocatio decreta, tributa quoque ſcita, et aliae leges promulgatae. vid. in Volum. Mareſchallus IOANNES LOWICKI (capitaneus Breſtenſis Cuiauiae) ſubſcripſit.
1625.	Varſauiae.	integra.	Propter recrudeſcens bellum Suedicum, quod obſtinatione ſua rex fouit, defenſio regni interna, nulla tributa ſancita. Mareſchallus IOANNES SOKOLINSKI, Notarius M. Duc. Lithuaniae iterum.
1626.	Varſauiae.	integra.	Nunc demum ad recuperandam, per tarda ſubſidia amiſſam, Liuoniam, tributa ſcita, et comitia ertraordinaria ad plura definienda defenſionis media decreta. Mareſchallus IACOBVS SOBIESKI, iterum. Nondum enim tanto motu oneroſum hoc munus ambiebatur.
1626.	Thorunii.	integra.	Ex decreto praecedentium extraordinaria. Expeditio ſiue motio generalis nobilium, et tributa ſcita. Mareſchallus, MARTINVS ZEGOCKI, iudex (terreſtris) Vſchouenſis.
1627.	Varſauiae.	integra.	Ob pericula a Suecis, motio generalis nobilitatis, item tributa, et comitia extraordinaria ſine ſolennitatibus, praeuiis tamen conuentibus prouincialibus, ſancita. Mareſchallus nuntiorum ALEXANDER CHALECKI, Lituanus (Mareſchallus Lidenſis)
1628.	Varſauiae.	integra.	Extraordinaria ex decreto antecedentium, ſola fere ſubſidia belli, et exiguum tributum vnius agrarii ſciuerunt. Mareſchallus IACOBVS SOBIESKI, (capitaneus Craſnoſtauienſis) tertio.
1629.	Varſauiae.	integra.	In Februario. Magna et inſolita tributa ſcita.

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
			ſcita. Mareſchallus MATTHEVS MANIECKI, Succamerarius Posnanienſis.
1629.	Varſauiae.	integra.	In Nouembri. Victoriis Suecorum excitati ordines, inducias cum Suecis in pago Altmark pactas approbarunt, et ad vlteriores tractatus commiſſarios expedierunt, fumalia in duplo, legem ſumptuariam, expeditionem generalem nobilitatis, et in caſum neceſſitatis auxilia caeſaris quaerenda, decreuerunt. Mareſchallus STEPHANVS PAC, referendarius (et Notarius) M. Duc. Lituaniae.
1631.	Varſauiae.	integra.	Liberae electionis diploma a rege, et bonorum terreſtrium ſolis indigenis poſſeſſio aſſerta, excluſis perſonis ex regali vel ducali genere. Compoſitio ordinis eccleſiaſtici cum ſeculari ad commiſſionem remiſſa. Tributa fumalia, quae agrarium quadruplo ſuperant, repetita, tribunal aerarii Radomienſe, ſtipendia militaria, res monetaria et plura negotia ordinata. Mareſchallus GEORGIVS in Tenczyn OSSOLINSKI, ſubdapifer regni. (Magni huius quondam in Polonia viri compendium vitae legitur in annalibus RVDAWSKI p. 63.)
1632. d. 11. Martii.	Varſauiae.	integra.	Extraordinaria, vbi Rex pro conceſſis aliquot praefecturis, nutriendis liberis regiis, ius regale cudendae monetae perpetuo ordinibus ceſſit, tributa quoque ſcita. Mareſchallus MARTINVS ZEGOCKI, iudex terreſtris Vſchouenſis, iterum.
1632.	Varſauiae.	integra.	Rege defuncto in Iulio. Conuocatio ordinum generalis In confoederatione, ita ſancita ordinum ſine rege appellantur, conſtitutionem anni 1627, contra decreta tribunalitia, pacem diſſidentium in religione turbantia, manifeſto explicarunt, et pro pace diſſidentium firmarunt. Militantes bellum

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
			bellum nobiles ab electione regis abeſſe, et alias ordinationes circa futuram electionem iuſſerunt. Mareſchallus CHRISTOPHORVS Dux RADZIWIL, campidux Lituaniae.
1632.	Varſauiae.	integra.	Electio in fine Septembris. Pacta conuenta regis electi, in quibus articulus de pace diſſidentibus ſeruanda elucidatus, ne vllius proteſtatione labefactare poſſit. Mareſchallus IACOBVS SOBIESKI, inciſor regni, praefectus Craſnoſtauienſis, quarto.
			VLADISLAO IV Rege
1633.	Cracouiae.	integra.	Coronatione peracta: Bellum Moſcouiticum, iuramentum ſubiectionis fratrum regis, ordo comitiorum celebrandorum, tributa, et alia negotia ſancita. Mareſchallus NICOLAVS OSTROROG, ſubdapifer regni.
1634.	Varſauiae.	integra.	Extraordinaria ex decreto praecedentium, perpetua cum Moſcouitis pace facta, ob metum a Turcis motionem generalem nobilitatis, aerariorum tribunalia in regno et magno duc. Lituaniae, ſtipendiorum exſolutionem et tributa ſciuerunt. Mareſchallus GEDEON MICHAEL TRYZNA, Dapifer M. D. Lituaniae.
1635.	Varſauiae.	integra.	Commiſſarii ad tractatum cum Suecis. Repetita prohibitio cuiuscunque alienationis bonorum terreſtrium eccleſiaſticis, item euocationis extra regnum ad curiam Romanam. Aerarii regni ordinatio, leges et libertationes priuatorum plures, denique tributa ſancita. Mareſchallus GEORGIVS OSSOLINSKI, Theſaurarius curiae regni, iterum.
1635.	Varſauiae.	integra.	Ex decreto antecedentium extraordinaria. Pacta Stumdorfenſia cum Suecis approbata,

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
			et rationes aerarii ad ſtipendia ſoluenda ordinatae. Mareſchallus NICOLAVS LOPACKI Succammerarius Zakrocinenſis.
1637.	Varſauiae.	irrita.	In Ianuario. Petentibus omnibus nuntiis, ob deſperatam concordiam conſiliorum, annuente rege, ſoluta irrito. Mareſchallus (CASIMIRVS LEO) SAPIEHA, M. D. Lituaniae Notarius. (Poſtea M. D. Lit. vicecancellarius. vid. de eo RVDAWSKI annales regis IO. CASIMIRI p. 44, et 226.)
1637.	Varſauiae.	integra.	Comitia extra ordinem regi indicere tunc prohibitum. Expeditio generalis nobilitatis et auctio exercitus decretae. Lex quoque de telonio maritimo, inuitis et contradicentibus plurimum palatinatuum nuntiis, ad vexandum Gedanenſes tamen ſcripta. Mareſchallus IOANNES STANISLAVS IABLONOWSKI, (Enſifer regni.)
1638.	Varſauiae.	integra.	Reginae dotalitium aſſignatum. Commiſſio ſuper telonio Gedanum deſtinata. Tituli extranei tanquam aequalitati nobilium praeiudicioſi abrogati. Aaerarium et tributa ordinata. Tunc plurimae prorogationes termini comitialis, hactenus inſolitae, factae. Mareſchallus LVCAS de Bnin OPALINSKI, (capitaneus POWIEDZISKI)
1639.	Varſauiae.	irirta.	Horum vix alibi mentio occurrit. Sed receſſus conuent. Pruſſ. notant, quod totius equeſtris ordinis nuntiorum diſceſſu, ob ſcomma procancellarii, quo nuntio Maſouiae BARANOWSKIO *) ſe hunc arietem aliquando lauaturum minatus, exacerbatorum, ſoluta ſunt. Mareſchallus VLADISLAVS KIERDEY, Notarius Grodnenſis.

Prae-

*) Baran ſignificat in lingua Polona arietem, ſeu Germanice einen Schöpſen.

Annus.	Locus.	Successus.	
1640.	Varsauiae.	integra.	Praeter defensionem regni internam nihil actum. Mareschallus IOAN. STANISLAVS IABLONOWSKI (Ensifer regni) iterum.
1641.	Varsauiae.	integra.	Leges et dispositiones variae. Regibus itinera extra regnum prohibita, absque reipublicae consensu. Senatus consultorum ratio reipublicae reddenda. Commissio ad correcturam iurium regni. De abusu collatae nobilitatis et indigenatus. Assertio iuris patronatus ad nominationem maiorum et minorum officialium ecclesiasticorum regi competentis, et alia plura. Mareschallus BOGVSLAVS LESZCZYNSKI, palatinides Belsensis. (Multa de Boguslao Lescinio, qui regni procancellarius mortuus, differit RVDAWSKI in annalibus regis IO. CASIMIRI, variis in locis, vt apparet ex indice huius operis.)
1642.	Varsauiae.	integra.	Ex decreto praecedentium extraordinaria, ad diem XI Februarii, praeuiis conuentibus prouincialibus, limitata. Non nisi rationes aerarii, tribunal Radomiense, coaequationem solutorum tributorum in palatinatibus et stipendia militaria ordinauerunt. Mareschallus CHRISTOPHORVS na Baksztach ZAWISZA, (Notarius M. D. Lit.) capitaneus Mninscensis. (Postea christophorus Zawisza, maior M. Duc. Lit. Mareschallus factus. vid. Rudawski annales IO. CAS. p. 282.)
1643.	Varsauiae.	integra.	Coaequationes contributionum palatinatuum, et rationes aerarii continuatae, stipendia militaria dispensa. Debita regis, pro hac sola vice a republica exsoluta, absque vlla spe futuris regnantibus. Commissio de pretiis rerum et de vectigalibus ex inductis, expedita, actaque eius annexa volu-

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
			voluminì conſtit. Mareſchallus GEORGIVS LVBOMIRSKI, capitaneus Sandecenſis. (De magno hoc in republica Polono viro, multa cordate diſſerit RVDAWSKI in annalibus reg. IO. CASIMIRI, qui ibi integram eius vitam deſcripſit, vt ex indice ad hoc opus apparet)
1645.	Varſauiae.	irrita.	Poſt exſpirationem termini ſex hebdomadarum irrito ſoluta. Mareſchallus HIERON. RADZIEIEWSKI, capitaneus Lomzenſis. (Huius viri, ſub ſeq. regis IO. CASIMIRI imperio famoſiſſimi, vita ſincere deſcripta reperitur in annalibus Rudawski, indicis huius operis ope quaerenda.)
1646.	Varſauiae.	integra.	Legionum multarum a rege, praetextu magnae expeditionis contra Turcas, inconſulta republica proprio aere conductarum, exauctoratio a ſuſpicacibus ordinibus perlata, et a rege maxime inuito perfecta. Tributa denique ſcita. Mareſchallus IO. NICOLAVS STANKIEWICZ, Tribunus, Notarius Samogitiae.
1647.	Varſauiae.	integra.	Ex decreto praecedentium, extraordinaria ad diem II Maii, praeuiis tamen conuentibus prouincialibus. Multae leges particulares. Ordinatio ſic dictarum poſtarum. Statuti Lituanici typis facienda impreſſio. Conſeruatio iuris indigenatus Pruſſiae. Denique tributa ſancita. Mareſchallus STANISLAVS SARBIEWSKI, capitaneus Grabowiecenſis et Koritnicenſ.
1648.	Varſauiae.	integra.	Mortuo rege in Iulio, conuocatio ordinum generalis. Vbi contra Caſacorum tumultum auctio exercitus, motio nobilitatis generalis, et tributa ſcita. Mareſchallus, BOGVSLAVS LESZCZYNSKI, generalis maioris Poloniae capitaneus, iterum.

Electio

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
1648.	Varſauiae.	integra.	Electio in Octobri. Articuli pactorum conuentorum, et alia ſolita ſancita ac ordinata. Mareſchallus PHILIPPVS CASIMIRVS OBVCHOWICZ, tribunus Mozyrenſis. (Hic Philippus Obuchowicz poſtea factus palatinus Smolenſcenſis. vid. RVDAWSKI annales p. 142, 156.)

Continuatio erit in trimeſtri ſequenti.

IV.

Promiſi in trimeſtri primo horum actorum anni praeſentis pag. 36. verba de ſocietate Gedanenſi phyſica, eiusdemque diſſertationibus, faciens, me vnam ſpeciminis loco, omni ex parte, latinitate donatam, inſerturum. Cum autem quinta diſſertatio celeberrimi doctoris HENRICI KÜHN, deſcriptionem nouae machinae pro librandis aquis continens, caeteris palmam praeripere videatur, tum ob vtilitatem, tum nouitatem, eam elegi, vt egregium hoc inuentum, pluribus, cum exteris, tum Polonis, Germanorum idioma haud intelligentibus, notum fiat. Doctiſſimus auctor hanc ſuam diſſertationem me petente, ipſe in Latinam transtulit linguam, quaedam perſpicuitatis cauſa addens, de noua autem ſua machina ſolide ita diſſerens.

Deſcriptio nouae Machinae, pro librandis aquis inter duo loca longiſſime a ſe inuicem remota, et ad idem Flumen ſita. Autore HENRICO KÜHN. *I. U. D. et Profeſſore Matheſeos Gedanenſi.*

§. I.

Notum eſt, locum, ad quem aqua aut ſponte fluit, aut, arte operaque adhibita, deducenda eſt, depreſſiorem, id eſt, centro Telluris propiorem eſſe debere loco altero, a quo fluit, aut deducitur. In aquaeductibus igitur moliendis neceſſe eſt, vt ante omnia decliuitas aquarum inueſtigetur, hoc eſt, quantum datorum locorum alter depreſſior ſit altero. Ars iſta determinandi decliuitatem aquarum, ſeu generalius, quanto praeciſe interuallo punctum aliquod ſit Terrae centro propius quam alterum, *Ars libellandi* dicitur: Inſtrumentum autem ipſum, quo in eam rem opus eſt, *Libella* audit.

§. II.

Iam cum *Linea horizontalis vera* alicuius loci ea dicatur, cuius ſingula puncta a centro Telluris aequaliter diſtant, adeoque ſit arcus Circuli, qui ex centro Telluris per datum punctum locumue deſcriptus concipitur; patet, ad aquas librandas tria potiſſimum requiri: nimirum 1) determinandam eſſe vtriusque loci dati lineam horizontalem veram, 2) harum alterutram, e. gr. illam loci altioris, producendam eſſe vsque in viciniam loci alterius, et denique 3) inueſtigandam eſſe harum duarum horizontalium diſtantiam, ſeu quantum earum altera depreſſior ſit altera.

§. III.

Quare cum magnitudo Telluris admodum ingens ſit, ita vt ſemidiameter eiusdem circiter 860 milliaria germanica, ſeu ($860 \cdot 22916\frac{4}{5} =$) 19, 708, 448 pedes pariſinos adaequet; facile colligitur, quamdiu alicuius loci linea horizontalis vera 300 pedes pariſinos non excedit, conſequenter non vltra tria minuta ſecunda Peripheriae Telluris continet, eam, ſine errore ſenſibili inde metuendo, pro linea recta haberi poſſe, quae lineam horizontalem veram in eius extremo vno tangit; et contra. Et haec ipſa recta, quae dati puncti lineam horizontalem veram in iſto puncto tangit, vocatur *Linea horizontalis apparens*, ſcilicet iſtius puncti.

§. IV.

Hinc lineam horizontalem apparentem, quoties eius longitudo 300 pedibus pariſinis minor eſt, pro linea horizontali vera tuto aſſumere licet. Quodſi autem longe maior fuerit, opus eſt vt, calculo ex natura Circuli inſtituto, in lineolis, digitis, aut pedibus pariſinis, determinare ſcias diſtantiam puncti extremi lineae horizontalis apparentis a linea horizontali vera, datae longitudini conuenientem, ſeu quantum illa ab hac surſum aberret. Hunc in finem iam dudum condita eſt Tabula, cuius haec eſt forma generalis: Si linearum horizontalium apparentium longitudines creſcunt vt 300, 600, 900, 1200, 1500, etc. pedes pariſini; earundem a reſpondente linea horizontali vera diſtantiae, ſeu aberrationes modo dictae creſcunt vt $\frac{1}{3}$, $\frac{4}{3}$, $\frac{9}{3}$, $\frac{16}{3}$, $\frac{25}{3}$, etc. lineolae pariſinae, in menſura duodecimali. Hinc facile perſpicitur, ſi diuerſae linearum horizontalium apparentium longitudines fuerint inter ſe, vt numeri naturales 1, 2, 3, 4, 5, etc. earundem ſupra veram aberrationes diuerſas, eſſe inter ſe, vt illorum quadrata, 1, 4, 9, 16, 25, etc. Hoc cognito, Tabula iſta facili negotio continuari poteſt, quo vsque libet.

§. V.

§. V.

Huius vſum Tabulae, ſiue ea praeſto fuerit, ſiue minus, in duobus Exemplis oſtendere libet.

I. Sit longitudo lineae horizontalis apparentis $= 1800$ pedibus pariſinis; inuenienda eſt eiusdem aberratio ſupra horizontalem veram. Iam quia eſt $300' : 1800' = 1 : 6$, adeoque horum quadrata ſunt inter ſe vt $1 : 36$, longitudini autem 300 pedum competit aberratio $\frac{1}{3}$ lineolae; inferatur per Regulam auream, $1 : 36 = \frac{1}{3}''' : x$; erit aberratio quaeſita $x = \frac{36}{3}''' = 12''' = 1''$.

II. Sit longitudo lineae horizontalis apparentis $= 4100'$. Requiritur huius ſupra veram aberratio. Cum ſit $300' : 4100' = 3 : 41$, adeoque horum quadrata ſint vt $9 : 1681$; fiat $9 : 1681 = \frac{1}{3}''' : x$; prodibit aberratio $x = \frac{1681}{9} \cdot \frac{1}{3}''' = \frac{1681}{27}''' = \frac{10 \cdot 1681}{27}'''' = 622\frac{1}{2}''''$, ſeu talium partium, qualium continet pes pariſinus 1440, digitus autem 120, et lineola 10, hoc eſt, $= (600 + 20 + 2\frac{1}{2})'''' = (5 . 120 + 2 . 10 + 2\frac{1}{2})'''' = 5'', 2''', 2\frac{1}{2}''''$. Quodſi iam ex alicuius loci linea horizontali apparente iterum deueniendum fuerit in eiusdem loci horizontalem veram; opus eſt, vt bolide ad extremitatem lineae horizontalis apparentis applicata, in huius filo deorſum dimetiamur partem, quae, in primo Exemplo, ſit vni digito, in ſecundo autem 5 digitis, vna cum 2 lineolis et $2\frac{1}{2}$ lineolae decimis aequalis, atque punctum ſic inuentum, ſtabilimento ſuppoſito, actu deſignemus. Tum enim res eodem redit, ac ſi linea horizontalis vera, inde a puncto contactus communi vsque ſub alterum lineae horizontalis apparentis extremum actu eſſet continuata ſeu prolongata.

§. VI.

Quoniam itaque libratio aquarum poſtulat, vt ante omnia pro alterutro duorum locorum datorum lineam horizontalem veram exacte determinare, et vsque ad locorum alterum ſine errore producere poſſis (§ 2); tale Inſtrumentum, cuius praeſidio id ipſum immediate praeſtari poſſet, procul dubio foret libella perfectiſſima (§. 1). At cum viſio et collineatio, ſiue ea per dioptras fiat, ſiue ſine dioptris, non fiat ſecundum lineam circularem, qualis eſt linea horizontalis vera (§. 2), ſed potius ſecundun rectas, quales vtique ſunt lineae horizontales apparentes (§. 3.); hactenus ſatis habuimus, libellas, quarum praecipue abhinc annis octoginta complures diuerſae formae ſunt inuentae, ita adornaſſe, vt earum ope, loci alicuius linea horizontalis apparens detegi, et ad eam, quam res poſtulat, diſtantiam produci poſſit. Hac enim cognita, veſtigia calculi in §. 5 oſtenſa ſequendo, determinare ſtudemus illud lineae hori-

horizontalis verae punctum, quo ad libellationem absoluendam opus habemus.

§. VII.

Etsi vero pro praesenti scopo meo supersedere possum recensendis permultis illis variique generis libellis, praesertim cum earum optimae, eaeque vsitatissimae, his temporibus satis sint notae; id tamen silentio praetermittere nequeo, cur libellae antiquorum, aeque ac eorum libellatio ipsa, si cum recentiorum Mathematicorum in hoc argumento Inuentis conferantur, pro admodum imperfectis et nullius fere momenti haberi debeant. Enimuero 1) libellae Veterum erant nimis exiguae, ita vt hinc error in situ dioptrarum admissus vix ac ne vix agnosci potuerit, et RICCIOLVS obseruauit, in definienda per eiusmodi Instrumentum linea horizontali apparente, facile quantitate anguli 5 minutorum, immo gradus dimidii, a vero situ aberrari posse, cum contra recentiorum libellae eiusdem generis multo maiores parentur, adeoque error in positione dioptrarum longe facilius euitari possit. 2) Illorum dioptrae destituebantur tubis telescopicis, vtpote qui demum ante hos 138 annos sunt inuenti, consequenter in magna distantia punctum, in quod collineandum erat, certo dignoscere non poterant, imo etiam in distantia mediocri infida erat eorum collineatio, si quando Oculus eorum parum valebat ad remota distincte videnda; cum contra recentiorum libellae, non sine insigni emolumento, telescopiis armari soleant, vtpote in quibus tuborum componentium longitudo variari potest, quantum diuersa oculorum constitutio ad visionem distinctam efficiendam postulat: etsi diffitendum non sit, magna cautione opus esse in Telescopiis ad libellas rite adaptandis. Denique vsum libellarum, seu ipsam libellandi operationem quod attinet, Veteres paria cum Recentioribus praestare minime potuerunt, etsi ponamus, eosdem aeque idoneis Instrumentis, qualia nunc haberi possunt, iustructos fuisse. Nam 1) cum illorum aetate vera Telluris magnitudo longe minus perspecta fuerit, quam nostra aetate; haud etiam in eo statu erant, eiusmodi Tabulas condere, quales supra in §. 5 descripsimus, vi quarum, ex longitudine lineae horizontalis apparentis cognita, respondens in linea horizontali vera punctum rite determinare potuissent. 2) Quoniam antiquis temporibus refractio radiorum luminis penitus incognita erat, imo etiam medio aeuo, quo ea aliquatenus cognita habebatur, verae Leges, quas refractio sequitur, nondum erant inuentae: locum alicuius puncti apparentem, quem collineatio monstrat, et locum eius verum putabant esse vnum eundemque; aut, si quam istius diuer-

diuerſitatis notitiam habebant, ignorantia tamen verarum legum refractionis non patiebatur, vt inſigni errori inde reſultanti, prout par erat, mederi potuiſſent: cum contra noſtro aeuo nihil obſtet, quo minus errorem ex refractione reſultantem ad calculum ſic ſatis exactum reuocare, et, ſi non penitus, maximam tamen partem corrigere valeamus, dummodo in eiusmodi negotio non nimis propere res agatur, et libellatio, non niſi Coelo maxime ſudo exiſtente, et non niſi circa tempus meridianum inſtituatur, ac praeterea diſtantia duarum ſtationum aſſumatur non nimis enormis, nec nimium audax conſilium ineatur, a iugo montis vnius in iugum alterius, aliquot milliaribus germanicis inde disiuncti, vna eademque opera collineandi.

§. VIII.

Tametſi enim in Tabulis refractionum nunc obuiis et per multorum annorum obſeruationes aſtronomicas comprobatis nihil deſiderandum videatur, quamdiu altitudo ſtellae ſupra Horizontem ad minimum 4 aut 5 gradibus maior eſt; ipſi tamen Aſtronomi fatentur, refractiones pro altitudinibus minoribus, omnium maxime autem refractiones horizontales (de quibus fere vnice in libellando agitur) multis inconſtantiis obnoxias eſſe, et proinde raro cum Tabulis conſentire. Inde etiam eſt quod mare nauigantibus nonnunquam integrae Inſulae, aut iuga montium in conſpectum veniant, quarum tamen rerum omnino nihil alio tempore, in eadem plane ſtatione, et tempeſtate maxime ſerena, deprehendere poſſunt, ipſa ſcilicet Telluris rotunditate obiecta iſta oculis eorum tum temporis occultante. In hoc enim caſu refractio horizontalis in vaporibus prope ſuperficiem Terrae ordinariis contingens, atque non vltra 32 minuta aſſurgens, non ſufficit ad obiecta iſta ſupra horizontem ſpectatoris ſatis attollenda: cum contra in priore caſu id reuera accidat, propter vapores extra ordinem denſos, in quibus refractio maior ac ante exiſtens, obiecta quoque altius ac ante ſupra horizontem loci attollit.

§. IX.

Hanc tantopere inconſtantem refractionem circa Horizontem, aut 2 vel 3 gradibus ſupra eundem, facili negotio etiam ſuper terra continente experiri licet. Sumatur, exemplo Hugenii a) Teleſcopium, eoque verſus aedificium aliquod altum, aut Turrim, dimidio minimum milliari diſtantem directo, et in iſto ſitu ita firmato, vt omnis vacillatio excludatur, diuerſis diei horis inſpiciatur in Tubum; deprehendetur, non ſemper vnum idemque Turris punctum in axe Teleſcopii comparere, ſed

a) Traité de la Lumiere. pag. 42-46.

plerumque mane et vesperi, quo tempore vapores circum Terram copiosiores constipantur, Turrim videri multo altius ascendisse, circa medium diei autem, quo tempore vapores multo magi disiecti sunt, iterum profundius descendisse. Nimirum (Tab. I. Fig. 1.) sit Telescopium vna cum oculo in B, obiecti punctum in quod collineamus, in A. Iam quoniam aër inter A et B non est eiusdem vbique densitatis, sed potius densitatis versus inferiora B continuo crescentis; radius luminis ex A peruenire nequit in B secundum lineam rectam, sed necesse est vt in suo itinere magis magisque refringatur, atque sic per lineam curuam AHB vsque in oculum B propagetur. Quodsi iam BD designet rectam, quae radii luminis ex A emanantis semitam curuam AHB in B tangit, oculus in B spectabit verum obiecti punctum A in recta BD, in puncto apparente D, atque sic in loco altiore, quam est locus verus A. Si aëris densitas crescit, curuatura quoque radiorum luminis AHB crescit, punctumque A adhuc altiore loco apparet, ac ante, nempe supra D: sin autem aëris densitas decrescit, curuatura quoque radiorum luminis AHB minor est, hoc est, ea propius ad rectam AB accedit, punctumque A humiliore loco apparet, ac ante, nempe infra D, sed tamen inter A et D. Proinde si, in casu posteriore, humilius aliquod aedificium FH, loco inter B et A intermedio situm, assurgat vsque in semitam luminis posteriorem AHB, licet adhuc longe infra huius Tangentem BD; punctum A ex B spectari amplius non potest, sed pone FH occultatum manet: contra autem, in priore casu, obiectum FH ipsi oculo B punctum A occultare nequit, sed videbitur super H in puncto D, aut adhuc altius, quia supponimus, obiectum FH vsque in priorem atque altius excurrentem luminis semitam AHB non assurgere.

Tab. I. Fig. 1.

§. X.

Consimilia phaenomena ab aliis quoque, diu ante Hugenium, obseruata sunt. Ricciolus b) enim prouocat ad Athanasium Kircherum, in litteris d. 17. Febr. 1647. narrantem, saepius se ex Insula *Melita* montem *Aetnam* conspexisse, sed Coelo prorsus sereno redeunte eundem iterum disparuisse. Ab hoc nuncio occasione arrepta RICCIOLVS cum suo GRIMALDO frequenter se contulit in montem prope Bononiam altissimum, et versus Turres Rauennae prospectando detexit, easdem meridiano tempore longe humiliores apparere vertice cuiusdam arboris intermedio loco constitutae, matutino autem et vespertino tempore longe altiores.

§. XI.

b) Geographiae reformatae lib. 5. cap. 15. §. 4.

§. XI.

Quare cum in magni momenti libellationibus, et per ingentem terrarum tractum proferendis, frequenter nobis obiiciantur spatiosae profundaeque valles, aut paludes, aut latissima flumina, stagna, montesque, etc. quorum interuentu vna eademque operatione vsque ad enormem distantiam collineare cogimur; hoc autem rerum statu ex refractione horizontali, eaque valde variabili, errores admodum notabiles et difficillime euitabiles in librationem aquarum irripere possunt: facile colligere licet, Mechanicos practicos vulgares, aut molitores, quod genus hominum in breuibus fossis molendinariis ducendis adhiberi solet, istiusmodi rebus administrandis pares non esse, sed Mathematicorum solertissimos aduocandos esse, quibus tamen ipsis cum impedimentis obiectis haud parum luctandum erit, antequam ad effectum operis peruenire queant.

§. XII.

Imo licet eiusmodi difficultates sub aspectum cadentes (§. 11.) exulent, et libratio aquarum in planitie, sed tamen secundum ductum fluminis ingentis, propaganda sit, ad fluminis decliuitatem intra duos Terminos valde dissitos exacte explorandam; nihilo minus consueta aquas librandi ratio tantis circumsepta est difficultatibus, vt hic solis hydragogorum, aquilegum, aliorumue Opificum actis stare nemo possit, qui aut improuisum atque ex inundatione agrorum resultans ingens damnum vitare velit, aut saltem ingentes sumtus in cassum profundere nolit. Huic certe negotio eiusmodi circumstantiae immiscentur, ad quarum praesentiam detegendam multo ingenii acumine opus est, et praeterea ita comparatae, vt omnino earum rationem haberi necesse sit. E. gr. ante aliquot annos, Amico erudito nunciante intellexi, Praefectum naualem PERRY, Anglum, complura Magnae Russiae flumina, quando alueo ordinario continentur, libellasse, et in iis mensuram decliuitatis mediae vix vt 1 ad 400 inuenisse, id est, superficiem fluminum ibi locorum intra viam 400 pedum vix quantitate pedis vnius subsedisse. At non mihi desunt rationes cur credam, istam decliuitatis mediae mensuram inuentam vera multo minorem esse, et suspicor, eundem parum perspectum habuisse, quantum erroris ex refractione luminis horizontali atque valde variabili nasci possit, praesertim in vicinia aquarum maiorum; et quod, propter circumstantiam posteriorem, tam decliuitas fluminis, quam accliuitas fere semper iusta minor reperiri debeat. Sit (Tab. I. Fig. 2.) superficies fluminis ST, libella LM in A, huiusque linea horizontalis apparens sit VAv; erit VD, item FD $>$ AB, sed vG, item fG $<$ AB. Tab. I. Fig. 2.

 Iam

Iam opus eſt vt recordemur, ex ſuperficie fluminis ST continuo vapores aſcendere (qui etiam oriente aut occidente Sole conſpicui fiunt) et quidem ſub forma nebulae ex fluminis ſuperficie lente admodum ſurgentis, non tamen vbique aeque denſae, ſed magis magisque denſatae, quo propius eiusdem pars a ſuperficie fluminis ST diſtat. Huc quoque pertinet obſeruatio Cel. HALLEII c), ſuperficiem ſcilicet aquae ex vaſe euaporantis ſemper vaporibus adhuc craſſioribus, tanquam tenuiſſima lanugine, obtectam eſſe. Imo quotidie obſeruationes eiusmodi ſeſe nobis offerunt, ſi modo, dum infuſum Theae aut Caffée ſorbemus, attendimus ad phaenomena connexa. Tum enim, vaſculum valde oblique adſpiciendo, diſtincte obſeruare licet, ſuperficiem liquidi calidi copioſis obtectam eſſe vaporibus, ad inſtar tenuiſſimae lanuginis, hic illic aliquantum interruptae, et leui flatu oris depellendae, ſed mox ſponte renaſcentis, nebula denique vaporum continuo ex aqua ſurgente. Quae cum ita ſint, manifeſtum eſt, in negotio fluminis librandi, punctum V, item F eſſe in medio rariore conſtitutum, punctum autem A in denſiore: et contra, punctum f, item v, eſſe in medio denſiore, punctum autem A in rariore. Vnde per notiſſimas refractionis leges neceſſe eſt, vt, oculo prope A conſtituto, obiectum aliquod F, paulo infra horizontem VA conſtitutum, altiore loco appareat, e. g. in V, in linea horizontali apparente VA. Nec minus neceſſe eſt, vt obiectum aliquod f, paulo ſupra horizontem vA conſtitutum, et ex A ſpectatum, humiliore loco appareat, e. g. in v, in linea horizontali vA. Cum itaque centrum vtriusque Tabulae F et f tentando attolatur aut demittatur, donec obſeruatori ad libellam prope A conſiſtenti puncta iſta F et f appareant in libella puncti A, adeoque in punctis V et v, ope ſemitarum luminis curuilinearum FA et fA, aut expreſſius loquendo, ope curuarum ſemitarum FM et fL, et tangentium reſpondentium MV et Lv (§. 9); erit, inter loca fluminis D et B,

declivitas vera $= VD - AB = VC + CD - VC = CD$ - - - - - α

declivitas inuenta $= FD - AB = FC + CD - VF - FC = CD - VF$ - - β

---

adeoque $\beta < \alpha$, ſeu $CD - VF < CD$.

Similiter inter fluminis loca B et G, erit

accliuitas vera $= AB - vG = AB - AH = HB$. - - - - - - - α

accliuitas inuenta $= AB - fG = AH + HB - fv - vG = AH + HB - fv - AH = HB - fv$. - - - - - - - - - - - - - - - β

---

adeoque $\beta < \alpha$, ſeu $HB - fv < HB$.

Hinc

c) in Transactionibus Anglicanis. num. 212. p. 183.

Hinc elucescit, in fluminibus librandis, decliuitatem aeque ac accliuitatem inuentam tanto magis a vera deficere debere, quanto maior fuerit fluminis ST decliuitas CD aut accliuitas HB, quantoque maior fuerit distantia duarum stationum AV aut Av assumta, itemque quanto crassiores densioresque fuerint vapores ex aqua ascendentes; et proinde, praecipue ob horum incommodorum postremum, tempus Vernale et Autumnale generatim, item, si aestiuis diebus res agatur, tempus diei multum e meridie remotum, hisce Operationibus minime aptum esse. Ponamus e. g. $BD = BG = 400'$; $AB = 4'$; $FD = 5'$; $fG = 3'$; $VF = 1'$; $fv = 1'$; $CD = HB = 2'$; erit inter Terminos extremos G et D, aut intra viam GD integram 800 pedum,

integra decliuitas vera $= CD + HB = 2 + 2 = 4'$,

sed integra decliu. inuenta $= CD + HB - VF - fv = 2 + 2 - 1 - 1 = 2'$,

consequenter mensura decliuitatis verae $= \frac{CD + HB}{GD} = \frac{4}{800} = \frac{1}{200} =$ 1 ad 200,

at mensura decliuitatis inuentae $= \frac{CD + HB - VF - fv}{GD} = \frac{2}{800} = \frac{1}{400} =$ 1 ad 400.

§. XIII.

In Meditationibus de Origine Fontium, etc. d) §. 2. *num.* 4. 5. 6. nouam methodum proposui veram Telluris Figuram inuestigandi, ope librationis aquarum secundum ductum longissimorum Fluminum, inde a fontibus vsque ad ostia maris; quam etiam in sequentibus vsque ad §. 18 satis dilucidaui. Quare cum egomet ipse, vna cum Amicis eruditis paulo post idem monentibus, probe perspexissem, tanti Consilii executionem, propter libellarum hactenus cognitarum imperfectiones (§. 7), multaque alia incommoda adiuncta (§. 8. 9. 10. 11. 12), nimium laboris, temporis atque sumtuum postulaturam, et nihilo secius eius rei euentum non adeo iustum fore, quam pro vera Telluris Figura determinanda requiritur; mox mecum agitare coepi de noua Machina excogitanda, aquis expedite, et exiguo labore sumtuque librandis aptissima, et quae tantam accurationem admitteret, vt in spatio 100 milliarium germanicorum, nulla tanta

d) Hoc opusculum latino sermone a me conscriptum primum prodiit A. 1741. cum Anonymi versione gallica ex aduerso collocata, sub Titulo: Meditations sur l'Origine des Fontaines, l'eau des Puits, et autres Problêmes, qui ont du rapport à ce sujet. à Bordeaux. 1741. in Forma 4ta. Huius Versionem germanicam, a me ipso adornatam, et nonnullis accessionibus locupletatam, edidi A. 1746. cum hoc Rubro: Vernünftige Gedanken von dem Ursprung der Quellen, und des Grundwassers, auch von andern damit verknüpften Sachen. Berlin und Leipzig. 1746. in Forma 8va.

tanta inter decliuitatem veram et inuentam metuenda ſit differentia, quae pro ratione ſcopi attentionem aliquam mereatur. Ad quod obtinendum, ſtatim videbam, mihi ſi fieri poſſit, omnem lineae horizontalis apparentis producendae curam abiiciendam eſſe, aeque vt collineationis cuiuscunque ex ſtatione in ſtationem, ſiue id horizontaliter fiat, ſiue ſub angulo eleuationis, aut depreſſionis, et ſaltem id ſpectandum, qua ratione dati loci linea horizontalis vera immediate determinari, et expedite produci poſſit, ſpei plenus, deſideratam machinam fore in ſuo genere ſimpliciſſimam perfectiſſimamque (§. 6). Huius machinae deſignatio animo concepta cum mihi ex voto ſucceſſiſſet, eam A. 1741 latino ſermone in chartam exacte coniectam, priuatim et per vices communicaui, Gedani aeque ac in Germania, cum nonnullis Viris illuſtribus, quorum merita ſuſpicio: neque enim animus erat in ea diuulganda feſtinare; quam ob cauſam etiam in Actis Eruditorum Lipſienſibus A. 1742. pag. 280, nouam hanc machinam aquis librandis deſtinatam tribus ſaltem, quod aiunt, verbis indicaui, exacta eiusdem deſcriptione in aliam occaſionem reiecta. At vero hoc anno currente, cum ſchediaſma illud latine conſcriptum, re ita poſtulante, in Conuentu noſtrae Societatis phyſicae non ſine aſſenſu recitauerim; praeſenti occaſione vtor, ad idem in linguam germanicam transfuſum, et nonnullis additamentis locupletatum, in lucem publicam proferendum.

Problema.

§. XIV.

Inuenire nouam Machinam, quantum licet commodam et accuratam, pro librandis aquis inter duos Terminos longiſſime a ſe inuicem remotos, et ad idem flumen ſitos.

Reſolutio.

Tab.I. Fig. 3. 1) Fabricentur duae eiusdem Figurae et magnitudinis naues actuariae apertae A et B, planae carinae, parietibus ad perpendiculum directis, ne facile ſuper aqua vacillent, longitudinis circiter 20, latitudinis, vbi maxima eſt, 10 vel 12 *), altitudinis 4 vel 5 pedum, vt vix ad 6 digitos in aquam immergantur, dum quaelibet earum 8, 10, vel 12 hominibus, reliquoque neceſſario inſtrumento nautico onerata eſt.

2) In earum prora ſit foramen quadrangulare C et D, altitudinis pedis vnius, latitudinis autem duorum pedum, cuius latitudo inferior planum carinae contingat. 3) Hoc

*) Nimirum latitudo ad proram et puppim ſit 10, et in medio 12 pedum. Nihil tamen obſtat, quo minus, commoditatis gratia, praeferri poſſit latitudo conſtans 12 pedum.

3) Hoc foramen hiet in canaliculum ligneum, aquam non transmittentem, ſuper plano carinae exſtructum Cα, vel Dβ et ſuperne ſaltem apertum, cuius longitudo Cα, vel Dβ ſit 10, latitudo 2, altitudo $1\frac{1}{2}$, vel 2 pedum, ne aqua per foramen C vel D hauſta in reliquam nauis cauitatem irruere poſſit. In fundo Canaliculi faſcia eius media, latitudinis circiter vnius pedis, nulla habeat foramina, at reliqua pars inter faſciam et parietem lateralem vtrumque ſit inſtructa 5 vel 6 foraminulis, diametri vix ſemipollicaris, per quae aqua Canaliculi ad eandem cum flumine libellam aſſurgat, etſi, re ita exigente, foramen maius C vel D, pro fluctuatione aquae in canaliculo cauenda, obturari contingat, tabula cataracta, alioue obturamento conueniente eam in rem praeparato.

4) Ex corio craſſiore, oleo probe impraegnato, et aquae impervio, parentur duo Tubi, aliquantum flexibiles, lacinia coriacea, latitudinis $\frac{3}{4}$ digitorum, iuxta longitudinem exteriorem aſſuta, quae habeat foraminula interuallo 6 digitorum inter ſe diſtantia, et pro funiculis promte admittendis ſatis ampla. Tuborum diameter interior non ſit minor 2 digitis: ob metum enim aëris caſu quodam incluſi, et continuitatem aquae, non ſine totius intentionis detrimento, interrupturi, nimis anguſtos eſſe non oportet; ſitque Tubi vnius longitudo conſtans integra $\alpha\beta$ 600, alterius 1000 pedum pariſinorum, quorum ille deſtinetur flumini maiorem, hic vero flumini minorem celeritatem aut decliuitatem habenti librando. Ad hanc longitudinem, quantum datur, efficiendam, antea opus eſt, vt experimento cum eiusmodi tubo longitudinis 20 aut 30 pedum inſtituto, definiatur, quantum decrementi longitudo eius patiatur, ſi per interuallum 24 aut 48 horarum ſub aquis demerſus fuerit: hinc enim de vera illorum longitudine, quanta in aquis futura ſit, non erit difficile iudicare. Parum tamen intereſt, ſiue deſcripta iſta longitudo $\alpha\beta$ exacte obtineatur, ſiue minus, dummodo, quanta in vſu ſit longitudo $\alpha\beta$, perſpectum habeas. Ceterum tuborum breuior id quoque commodi praeſtat, vt eo vti poſſis, interea dum maior, quoties opus eſt, reficitur.

5) Huiusmodi Tubi extremum vtrumque, ſit, in interuallo vnius pedis, tantillo maioris diametri, et arctiſſime committatur cum Tubo cupreo huius conditionis, vt habeat longitudinem 10 pedum, ita vt pars vna 2 pedum, ſit Cylindrus cauus diametri 2 digitorum, pars autem reliqua 8 pedum, ſit parallelepipedum cauum, baſeos quadratae, lateris 3 digitorum, et, loco huius baſeos clauſae, ſit planum ſuperius, prope extremitatem, pertuſum foramine circulari α, vel β, diametri 2 digitorum,

rum, et cochlea mare orichalcea inſtructum, cui Tubus verticalis vitreus $\alpha\alpha$, vel $\beta\beta$, diametri 2 digitorum, et in altero extremo cochlea femina orichalcea armatus, firmiter coniungi poſſit, Tubi vitrei $\beta\beta$ altitudine 8, alterius autem $\alpha\alpha$ ſaltem 3 pedum exiſtente.

6) Ne vitro facile noceri poſſit, ſit eius ſuperficies exterior faſciis orichalceis verticalibus ita praemunita, vt tres ſaltem vitri faſciae, latitudinis ſemipollicaris, appareant.

7) Tubi vitrei longioris $\beta\beta$ labrum ſuperius habeat formam crateris, ex lamina orichalcea parati, pro aqua commode infundenda, et Tubo recuruo integro $\beta\beta\alpha\alpha$ ſucceſſiue replendo, eum in finem, vt, ſi forte durante infuſione bullulam aëris in Tubo coriaceo alicubi naſci contingat, ſemper locus altior adſit, quorſum aër aſcendere, et tandem per $\alpha\alpha$ euadere poſſit. Nec inutile erit, etiam Tubi vitrei breuioris $\alpha\alpha$ labrum ſuperius ſimili cratere orichalceo inſtruxiſſe.

8) In cuiuslibet faſciae orichalceae margine, ſiniſtro aeque ac dextro, ſit ſcala geometrica in pedibus pariſinis, digitis, lineolis, et lineolarum decimis (aut ad minimum quartis) exactiſſime elaborata, ita quidem vt initium numerationis particularum, zyphra (0) notatum, vbique a plano carinae 4 digitorum interuallo praeciſe diſtet.

9) Porro paretur funis natator, ex tenui vimine cocto ſatis laxe contextus, vt aliquantum flexibilis maneat, et, ne virgarum extremitates hic illic prominentes vſum eius incommodum reddant, aut filamento lineo veſtiendus, aut tenui corio integendus, diametri ſemipollicaris, et amplius, non ſolum aquae notabiliter ſupernataturus, ſed etiam Tubi coriacei natationem ſubleuaturus. Eius longitudo, a longitudine Tubi coriacei, cupro in vtraque extremitate armati $\alpha\beta$ [quae (per *num.* 4) eſt 600 vel 1000 pedum]. 22 aut 24 pedibus deficiat. Duo igitur requiruntur funes natatores, quorum alter 576, alter 976 pedum pariſinorum.

10) Tubo coriaceo vtroque, in extremitatibus iam cupro armato, vna cum reſpondente fune natatore vtroque, per biduum ſub aqua detentis, et deinde in viciniam aquarum deuectis, ipſi Tubo $\alpha\beta$ ſuper planitie, e. g. ſuper prato longe excurrente, extenſo coëxtendatur funis natator, praetermiſſis tamen ab vtroque Tubi extremo 12 pedibus, lacinia illa coriacea foraminulis diſtincta ſurſum ſpectante, et in coëxtenſis, ope decempedae pariſinae, rubrica notentur loca 10 pedum interuallo inter ſe diſtantia, in punctisque ita ſignatis, ope filamenti craſſioris per globum ligneum, diametri 2 digitorum, traiecti, natator Tubo ita alligetur, vt interuallo circiter vnius digiti inter ſe diſtent. Conſultum autem eſt, vt hi glo-

globi antea illinantur colore oleo diluto, alii viridi, alii albo, alii rubro, rursus alii flauo, et sic porro, vt etiam inseruire possint mediocribus distantiis a Tubo vitreo $\alpha\alpha$, quoties opus videtur, commode explorandis. E. gr. ab α versus β computando, primum conspiciantur 9 globi virides, qui, vna cum extremitate Tubi 12 pedum prominente, atque primo globo abhinc interuallo 8 pedum adhuc remoto, conficiunt longitudinem $8.10+12+8=80+20=100'$; deinde sequantur 10 globi albi, itidem longitudinem 100 pedum efficientes; post hos 10 globi rubri; et sic porro. Denique Tubus, ope funiculorum, per foraminula in lacinia 6 digitorum interuallo distantia, traiectorum, cum natatore aliquantum laxe connectatur.

11) His factis, Tubus $\alpha\beta$ denuo secundum rectam extendatur; eius extremum vtrumque, seu parallelepipedum cupreum inter quatuor palos in terram defixos sollicite firmetur, tubique vitrei $\alpha\alpha$ et $\beta\beta$, ope cochlearum in α et β reperiundarum, verticaliter erigantur, et ad baculos humi defixos sollicite alligentur, vt in nullam partem procidere possint. Tum aqua per craterem β infundatur in tubum recuruum $\beta\beta\alpha\alpha$, donec aut ad α, aut ad β exundare incipiat, Instrumento hocce per aliquot horarum interuallum ita relinquendo, vt appareat, an Tubus pressioni aquae 2 vel 3 pedes altae sustinendae par sit, nec ne. Aqua enim in vtroque Tubo vitreo celeriter subsidente, necesse est, vt Instrumentum vel ad cochleas orichalceas α et β, vel in commissura corii et cupri, vel in aliis locis intermediis facile inueniendis vitium habeat, hac occasione corrigendum. Si autem aqua in vitro lente admodum subsidit; id saltem indicium est corii adhuc nonnihil aquae sensim imbibentis: hoc casu expleatur aquae quod deest, quam primum opus videtur, obseruetur que, quanto tempore opus sit, donec corium Tubi aquam imbibere desinat.

12) Fiant quoque duo eiusdem figurae et magnitudinis Pontones E et E (Tab. I. Fig. 4.), cum prora bifurcata F et F prominente. Vtrius- Tab. I. que furcae aut rostri longitudo sit 5 vel 6, latitudo interior 3, et deni- Fig. 4. que interuallum inter vtrumque interiectum 4 pedum. Inter F et F ita adaptetur sucula, vt eadem aut omnino, aut saltem eius scytalae, facili negotio iterum remoueri possint. Rostrorum vsus est, vt operarii ad spatium inter F et F interiectum commode accedere, ibidemque anchoram ferream 100 circiter librarum, quali Piscatores vtuntur, iacere, aut huius loco, contum diametri 3 vel 4 digitorum, aut tignum paulum ab imo praeacutum et ferro munitum, superne autem annulo ferreo cum

annulo mobili annexo instructum, longitudinis, pro re nata, 8, 10, 12 vel 15 pedes longum, ope mallei, aut fistucae manualis, in fundum fluminis, quantum opus est, adigere possint, per suculam deinde facile euellendum. Reliquum Pontonis habeat figuram quadrati, lateris ad minimum 20 pedum. Quodsi ambo Pontones ita colligentur, vt quatuor rostra in directum iaceant, Tuborum coriaceorum maior cum fune natatore connexo (*num.* 4. 5. 9. 10.) iisdem imponi poterit, aliquoties ordinatim in orbem flectendus, et tandem ad locum destinatum deuehendus, opere autem peracto similiter auehendus. Extra hunc vsum Pontones à se inuicem disiuncti manent, quorum vnus perpetuo naui B, praesertim in statione sua firmandae, praesto sit, in anchoris scilicet iaciendis, palisue in fundum adigendis occupatus; alter autem plerumque versatur pone nauim A, circa stationes superiores iam derelictas, pro palis, anchoris truncis cum fune annexo fluitantibus euellendis, colligendis, et pontoni prope nauim B constituto supportandis, ne huic earum rerum copia vnquam deesse possit: nauium enim actuariarum A et B vsus his rebus rudioribus administrandis impediri non debet, nec earum Oneratio, quae constans requiritur, vllo modo variari, Tubo quoque $\alpha\beta$ inter A et B firmato, eiusmodi Operationi prorsus aduersante. Si denique consultius videatur abstinere a Tubo maiore atque natatore connexo aliquoties in orbem adeo arctum flectendo, metu ne inde vitium aliquod contrahant; ad eundem aduehendum et auehendum vtendum erit compluribus permodicae latitudinis ratibus materiariis seu tignariis inter se coniunctis. Eadem plane ratione Tubus minor $\alpha\beta$ (*num.* 4. 5. 9. 10.) supportari posset, non nisi in casu necessitatis (*num.* 4.) adhibendus.

13) Tandem quoque construantur tres naues speculatoriae, seu celoces, ad commercium Consiliorum cum Obseruatoribus in A et B constitutis alendum, aliaque ministeria nauibus A et B praebenda destinatae. His armamentis comparatis, libratio fluminis ita instituitur.

14) Conuocatis hominibus huic nauigationi se commissuris, iubeantur suam quique nauim cum apparatu necessario conscendere. Requiruntur autem pro vtroque nauigio A et B duo obseruatores, socius vnus, famulus vnus (qui simul, ephippiariam facere edoctus, operam praestare possit, si quando Tubus coriaceus $\alpha\beta$ inter vtendum forte vitiatus fuerit), et bis bini remiges, alternatim remos tractaturi; praeterea adsint 6 dolia cereuisiaria vacua, quorum tria ad marginem nauis sinistram, reliqua tria ad dextram collocanda, et in vsum futurum aqua replenda. Pontonum

num quilibet poscit quatuor, et celox quaeque duos socios nauales. Deinde Pontonibus (aut ratibus) coniunctis decenter imponatur Tubus coriaceus (*num.* 12). contra vim Solis et venti materia velari madefacta contegendus. Quibus factis, omnes ingrediantur profectionem ad locum fluminis superiorem, vnde initium capere debet aquarum libratio. Ibidem nauis A, pro natura loci, aut ad anchoras pone nauim iactas, aut ad palum in flumen adactum firmetur, apertura C ostium fluminis spectante; contra autem nauis B, locum fluminis depressiorem occupans, ad distantiam circiter 1000 aut 600 pedum parisinorum (*num.* 4.) consistat, apertura D torrenti fluminis obuersa. Nauium alligandarum causa, earum altera A in parte puppis superiore, altera autem B in parte prorae superiore, annulo ferreo instructa esse debet: ceterum alligatio et relaxatio per socios nauales in celoce constitutos peragitur.

15) Nunc Pontones coniuncti (aut rates compositae) contra torrentem fluminis promoueantur versus nauim A eiusque aperturam C; nautarum duo apprehendant Tubi coriacei $\alpha\beta$ extremitatem cupream α, foramine α antea suo subere probe clauso; hanc inter rostra F et F collocatam, adiuuantibus nautis in celoce constitutis, immittant in aperturam C, vsque in canaliculum Cα; Tum Obseruatorum vnus in A eam attollat ad altitudinem aliquot digitorum, alter autem, exemto obturaculo ex subere parato, Tubum vitreum $\alpha\alpha$, ope cochleae feminae, cum parallelepipedo cupreo arctissime connectat; deinde ambo Obseruatores vtrumque parallelepipedi extremum ad fundum canaliculi Cα firment, ope annulorum ferreorum quadrangularium ibidem afferruminatorum, Tab. I. et eiusmodi furcae ferreae, spatium inter duos annulos interiectum ex Fig. 5. plentis, atque ad extremitates cochleis instructae; praeterea, adhibito tenaculo ligneo, ad latus canaliculi affigendo, et in quo latus annuli interius panno villoso vestitum sit, tubum vitreum in suo situ tutum atque inconcussum praestent; et denique aperturam C obturamento in eam rem praeparato occludi curent. Ceterum in parallelepipedo cupreo ad fundum carinae firmando id quoque sollicite curandum est, vt punctum α obtineat locum, quem longitudo nauis media definit.

16) Iam in Pontone coniuncto duobus nautis locus assignetur in rostris F et F, quatuor autem aliis ad Tubum coriaceum, operam daturis, ne tubus, aut natator coniunctus, vna cum suis globulis ligneis annexis perturbetur, atque damnum patiatur, dum reliqui duo nautae Pontonem remis leniter secundum decursum fluminis incitare iubentur: sic enim procedendo, Tubus cum suo natatore sensim atque satis apte in su-

 perficie

perficie fluminis explicabitur, Tubusque, quando aqua replebitur, ad 2 digitos infra superficiem aquae haerebit, natatore cum suis globulis ligneis aquae supernatante. [Idem multo facilius praestabitur, si, loco Pontonum coniunctorum (*num.* 12.), adhibita fuerit ratis ista paucos pedes lata, sed praelonga].

17) Tubo $\alpha\beta$ propemodum integro, super aquam extenso, nauis B prope accedat ad pontonem (aut ratim), vt alterum parallelepipedum cupreum β per aperturam D in canaliculum Dβ immitti, ibidem ab Obseruatoribus eodem, quo *num.* 15. dictum est, modo ad planum carinae firmari, tuboque vitreo $\beta\beta$ armari possit, ope tenaculi lignei, praesertim cum altero tubo $\alpha\alpha$ multum altior sit, contra concussionem et damnum inde secuturum defendendo: quo facto, apertura D, suo obturamento adhibito, occludatur. Hoc in negotio itidem curandum est, vt punctum β exacte obtineat locum in longitudine nauis medium, eo fine, vt punctum α exacte cadat in punctum β, quando nauis A peruenit in stationem a naui B modo derelictam, et puppim suam aeque longo fune alligandam curauit, quanto prora nauigii B ibidem alligata fuit.

18) Quoniam aqua Canaliculi Cα et Dβ ad altitudinem 4 digitorum supra planum carinae assurgere debet, donec principium numerationis particularum, Zyphra (o) in margine fasciae orichalceae signatum, attingat (*num.* 8); calculus autem ex magnitudine nauium A et B (*num.* 1) descripta, itemque ex proprio nauis pondere, eiusque oneratione (*num.* 14) subductus ostendit, aquam in canaliculis sic non nisi ad altitudinem 2 digitorum supra carinam ascensuram esse: nunc in vtraque naui A et B curandum est, vt sex ista dolia *num.* 14. commemorata, tamdiu aqua impleantur, donec aqua canaliculi punctum illud o attingat. Aqua ad id efficiendum requisita vix adaequabit mensuram quinque doliorum prorsus repletorum. Haec modo determinata aquae altitudo quatuor digitorum constanter est seruanda. Quodsi igitur, re ita postulante, vectorum in naui numerus augendus sit, veluti receptis hospitibus, praesertim regionum, vbi res agitur, bene peritis, aut si alio quocunque modo onerationem augeri contingat; vice versa pondus aquae in doliis contentae minuendum erit, tanta parte aquae emissa et e naui eiecta, quanta opus est ad altitudinem aquae ad punctum o restituendam; et sic porro in aliis casibus. Cur autem naues A et B vltra 6 digitos ad summum, immo, in casu necessitatis, vltra 4 digitos in aquam immergi nolimus, causa haec est, ne nauigatio ista, per loca fluminis vadosa hic illic obuia, impediri possit.

19) Dum

19) Dum haec aguntur, Obſeruatores in B frequenter inſpiciunt tubum vitreum $\beta\beta$, an in eo aquae quidquam compareat, nec ne. Si intra ſemihoram nihil eius comparet, ex eo intelligunt, Tubum coriaceum adhuc ſartum tectum eſſe. Quam ob rem, cum Tubus $\alpha\beta$, aeque ac nauis B, longe minore temporis interuallo, vi Torrentis fluminis, ad ſtatum manentem reducatur; continuo edicunt ſui pontonis nautis, vt ante aperturam D, in diſtantia 15 aut 20 circiter pedum, et prope tubum coriaceum, aut anchoram iaciant, aut ſaltem palum in fundum adigant (*num.* 12). Porro nautae in ſua celoce verſantes funem ſatis longum, quo anchora aeque ac palus inſtruitur, per annulum nauis B traiectum ita adſtringant, vt rigeſcat, nec tamen nauis ex ſua ſtatione emoueatur, atque retrorſum verſus anchoram trahatur; locum autem funis annulo proximum ſignent, forcipulam ligneam cochlea inſtructam ibidem firmando, vt nauis A cum ſua celoce ſuperueniens habeat exemplum, quod ipſi in alligando exacte ſit ſequendum.

20) Iam canat Tuba ex B, ad attentionem nauis A excitandam, Tubusque $\beta\beta\alpha\alpha$ protinus, caute tamen, aqua repleatur, donec in vitro $\beta\beta$ ad altitudinem 2 pedum conſiſtat. Tum per aliquot minuta prima ceſſet infuſio, vt appareat, an interea aqua notabiliter ſubſidat, nec ne. Id ſi non contingit, Tubus omni vitio caret (*num.* 4. 11). Iam Tuba ex B iterum canente, plus aquae affundatur, ſed admodum lente, et per vices, donec audiatur Tuba ex A, indicans, aquam etiam in vitro $\alpha\alpha$ comparere coepiſſe, et hinc in B, ab vitro $\beta\beta$ vlterius implendo prorſus deſiſtendum eſſe. Tum per craterem α nonnihil aquae ſuperaddatur, donec ea, prout viſum fuerit, exacte ad 6, aut 8, aut 10 digitos ſupra o in Tubo $\alpha\alpha$ conſiſtat, et attendatur, an ea intra aliquot minuta ſubſidat, nec ne. Quodſi ea altitudinem ſuam conſtanter ſeruat; omnia ex ſententia ſuccedunt, tubaque ex A denuo canere iubetur, pro vtroque vitro $\alpha\alpha$ et $\beta\beta$ obſeruando, altitudinibusque exacte obſeruatis accurate atque ſuo ordine in commentaria ſua, de libratione aquarum conſcribenda, referendis. Ad infuſionem caute peragendam, opus eſt, vt aeque in A et B (loco crateris) adſit infundibulum orichalceum, cuius tubulus, in diametro vnius digiti, conſtat ex corio parum rigido, longitudine tubuli, pro B, 8 pedum, pro A, 3 ſaltem pedum circiter exiſtente. [Iſthaec prima libratio aquarum inter duas primas ſtationes, vna cum praeparatione annexa, a *num.* 14. vsque ad 20, equidem aliquot horarum moram poſtulabit; at in ſtationibus ſequentibus Operationes erunt tanto promtiores].

21) Hac consignatione in B facta, eius exemplum Celoci tertiae (quam *Cursorem nauticum* appellare possis) traditur, sine mora ad A deferendum, dum interea canit tuba in B, pro naui A per suae celocis homines soluenda. Qua soluta, respondet tuba ex A, pro naui B, per suae celocis homines pariter soluenda, anchora tamen paloue intacto manente, item pro *trunco ligneo fluitante*, 12 circiter librarum, et coloris albi, oleo diluti, ad extremitatem funis forcipula lignea ornati, satis commode firmando, et tum demum fune in aquam iaciendo, ne submergatur, sed ibidem a naui A inueniri, et eodem modo adhiberi possit.

22) His factis, ex sola naui B, Tuba datur signum profectionis, nautaeque in A leniter remigando pergunt prorsum, dum interea Socio, quorum vnus in vtraque naui adest (*num.* 14), commendatur cura Tubi coriacei, ex permultis diuersi coloris globis fluitantibus (*num.* 10) facile agnoscendi, vt scilicet attendat, ne is in itinere tantopere in directum extensus sit, ac ante, nec tamen multum a recto tramite deflectat: quam in rem opus est, vt opportune nautas admoneat, de remis nunc fortius, nunc remissius tractandis, aut plane aliquantisper inhibendis. Inter haec Cursor nauticus appellit ad A, tradit exemplum *num.* 21. commemoratum, sciscitans, num quid responsi sit perferendum ad B, an non. In vtroque casu satis cito dimittitur, vt nauim B adhuc in statione proxime sequenti attingere possit: neque tamen inutile erit, ex A eiusdem generis exempla Obseruationum ad B perferenda dedisse. Post haec obseruatores in A, quae relata fuerint ex B, suo loco in commentaria referunt, nec minus differentiam altitudinum obseruatarum, et nihilo minus litterulas istas secundum ordinem temporis numeratas diligenter asseruant. Naui denique A ad truncum fluitantem (*num.* 21) appropinquante, ex A signum Tuba datur, pro cursu nauis B sistendo, eiusque regimine soli flumini permittendo, nec minus pro silentio Tubicini in B indicendo, ex quo intelligatur, obedienter imperata facta esse.

23) Tum nauis A locum capit, puppi truncum fluitantem et hactenus intactum spectante; deinde cum sua celoce accedit propius, huiusque nautae, Trunco in celocem recepto atque soluto, funem ad annulum nauis A adstringunt, prout forcipula annexa ostendit; tandemque exauditur clangor Tubae ex A, pro naui B pariter, modo supra (*num.* 19) descripto, in noua sua statione firmanda.

24) His rebus in B confectis, ex B signum Tuba datur, pro aqua in vtroque tubo vitreo $\alpha\alpha$ et $\beta\beta$ obseruanda; id quod, interea dum Tuba ex A respondet, peragitur, et protinus in commentaria refertur, hu-

iusque

iusque descriptionis in B exemplum traditur Cursori nautico ad A perferendum.

25) Iam signum tuba datur ex B, pro naui A soluenda. Quo facto, ex A idem signum datur, pro naui B soluenda, et ceteris exsequendis, quae *num.* 21. praecipiuntur. His factis, ex sola naui B canitur profectio; in hoc itinere Cursor nauticus naui A occurrens tradit secundam relationem ex B acceptam, ex praecepto *numeri* 22. adhibendam. [Hoc loco in transitu monendum est, isthac ratione breui obseruationes admodum curiosas prodituras, de decliuitate vnius eiusdemque fluminis in diuersis locis diuersa, longitudine viae licet manente eadem, quae, si vna cum rebus circumstantibus et adiunctis (id est, distincte satis) perscriptae fuerint, Mathematicis quoque, quibus Hydraulices amplificatio cordi est, insignem operam praestare poterunt]. His agendi rationibus (*num.* 21. 22. 23. 24.) insistendo, libratio aquarum magis magisque producitur, a statione ad stationem, a Confluentibus ad Confluentes fluminum lateralium, ab oppido ad oppidum, donec tandem ad mare perueniatur, dummodo Pontones E et E fungantur officio suo *num.* 12. descripto.

26) Quoties in conspectum Ostii fluminis lateralis ventum erit; profunditate fluminis ibidem inuestigata, Sociorum aut Obseruatorum vnus, conscenso Cursore nautico, globulos diuersicolores natatori annexos, et e media regione Ostii sitos, oculis subiiciat, huiusque a vitro $\alpha\alpha$ aut $\beta\beta$ distantiam determinet, ex qua postea per calculum inueniri possit, quanta futura esset altitudo aquae in $\beta\beta$, si, nunc tubo coriaceo breuiori existente, nauis B exacte ante medium Ostii consisteret; eo fine, vt duplici hac notitia vti liceat, quando alio tempore, flumine laterali pariter librato, altitudines comparatiuae omnium locorum ad flumen laterale aeque ac ad primarium sitorum accurate erunt definiendae.

27) Vltimo adhuc admonendum restat, de recenti aqua Tubo coriaceo $\alpha\beta$ frequenter, ad minimum bis quotidie, praebenda, vt eo certius a corruptione integer seruetur. Ad quod circumspecte conficiendum, opus est, vt in commissura parallelepipedi cuprei atque tubi vitrei $\beta\beta$, cochlea lente, nec tamen omnino, relaxetur, dum interea per craterem α affunditur aqua circiter 37680 digitorum cubicorum, seu $2\frac{29}{36}$ pedum cubicorum, [quae est capacitas Tubi $\alpha\beta$ 1000 pedum (*num* 4)], aut ad summum 30 pedum cubicorum, vsque dum, hoc facto, ex A signum Tuba detur, pro cochlea iterum adstringenda, tuboque $\beta\beta$ firmando. Hac ratione Tubus coriaceus $\alpha\beta$ a limo purgatur et eluitur; nec tamen propterea aqua in canaliculo ligneo Dβ ascendet, multo minus

nus superstagnabit, cum per foraminula in carina obuia (*num.* 3) in flumen delabi possit.

His consideratis omnibus manifestum est, aggregatum altitudinum in $\alpha\alpha$ obseruatarum ex aggregato altitudinum in $\beta\beta$ obseruatarum subtrahendo, differentiam inuentam, quantum licet, accurate ostendere debere, quanta sit decliuitas aquae inter stationem nauis A primam, atque nauis B vltimam (id est, quot pedibus parisinis depressior sit superficies fluminis in Termino ad quem, respectu superficiei eiusdem fluminis in Termino a quo, aut, quod eodem redit, quot pedibus altior sit Terminus a quo, respectu Termini ad quem), consequenter in omni eiusmodi casu machinam pro librandis aquis hactenus descriptam insigni cum compendio adhiberi posse (§. *6.* 13. et §. 14. *num.* 26. in fine). E. gr. sit longitudo $\alpha\beta$ 1000 pedum parisinorum, et numerus stationum in librando adhibitarum $=101$; necesse est, vt nauis A per vices deuenerit in 100 stationes diuersas, a prima scilicet inclusiue vsque in centesimam; et nauis B pariter in 100 stationes diuersas, nempe a secunda inclusiue vsque in centesimam primam. Porro (vt Calculus facilior euadat) nunc ponamus, differentiam altitudinum aquae in vtroque Tubo vitreo inter quaslibet duas stationes proximas repertam esse eandem, e. g. $=66''-6''=60''=5'$; integra decliuitas aquarum intra Terminos a quo et ad quem conficeret summam $(100.66''-100.6''=100.60''=100.\ 5')$ 500 pedum parisinorum, id est, intra viam $4\frac{4}{11}$ milliarium germanicorum (§. 3).

§. XV.

Non multa meditatione opus est ad perspicienda commoda ab hac aquas librandi methodo exspectanda. Et de his ipsis nunc, colophonis loco, paucis mihi erit agendum.

I. Quam primum Obseruatores vna cum Sociis et Operariis huic labori assuefacti sunt, id quod intra biduum aut triduum fieri potest; intra spatium vnius horae ad minimum quinque Cursus, mille pedum singulos, conficere, h. e. 5000 pedes parisinos procedere, et hinc, aestate adulta, praesertim aëre tranquillo, intra 15 horas, quas cuique diei aestiuo assignare licet, viam 75000 pedum parisinorum, id est, vltra tria milliaria germanica (§. 3) quotidie librando absoluere poterunt; et quidem nulla fere hominum defatigatione. Obseruatores enim, ad minimum alternatim, interea dum remigatur ex statione vna vsque ad proximam, sub tentorio sedendo, aut cibo capiendo (quem et sibi et Operariis in Pontonum alterutro apparari commoditas exigit) sese reficere, aut

etiam Actorum commentaria conficiendo, calculosque respondentes exiguos subducendo, tempus iucunde fallere poterunt; remigibus in A et B, praesertim non nisi alternatim remos tractantibus, vicissim sua commoditate vsuris, dum obseruatur, aut anchorae iaciendae, nauisque vel alligandae vel soluendae mora interponitur; immo totius instituti ratio ita comparata est, vt etiam operariis in Pontone aut Celoce constitutis tempus et occasio quiete ciboque sese reficiendi deesse nequeat, dum interea nihilo minus Opus sine vlla intermissione feruet. Accedit, quod omnes, aut certe Operarii, partim Pontonibus, partim nauibus A et B pro diuersorio vti, ibique stratis sub tugurio cubilibus, pernoctare possunt.

II. Impedimenta, quae in hactenus vsitatis libellationibus, etsi per pauca saltem milliaria producendis, stupendos labores, sumtus, moras erroresque parere solent, prorsus euanescunt. Hic enim nullae intercurrere possunt valles, colles, montes, stagna, lacus, flumina, nullae paludes syluaeque; non opus est caedendis arboribus, ad syluam hic illic obiectam perspectabilem reddendam; neque opus est, praealtorum ac praeruptorum montium iugis conscensis, ibidem praegrandia ex decorticatis arboribus monumenta exstruere, quae ex aliquot milliarium distantia conspici possint; nec erroribus ex refractione luminis variabili, praesertim, in collineatione horizontali, ortis hic locus est, nec iis, quae a dioptrarum erronea positione, aut a situ lineae horizontalis aliquantum aberrante, proficisci possunt, qui alias tantum non vbique se ingerentes, difficulter agnoscuntur, et multo difficilius corriguntur aut euitantur (§. 11. 12).

III. Errores, qui in huiusmodi machinae, aquis librandis destinatae, vsu forte euitari nequeunt, sunt adeo exigui, vt merito nulla eorum ratio sit habenda, adeoque considerandi, ac si plane abessent. Nam etsi ponamus, in aestimanda altitudine aquae vtriusque Tubi vitrei peccari quantitate $\frac{2}{10}$ lineolae, et quidem ad $\alpha\alpha$ in defectu, ad $\beta\beta$ autem tantundem in excessu, ita vt error totus semper tendat ad lapsum aquarum iusto maiorem exhibendum; posita nunc, per hypothesin, mensura decliuitatis mediae, vt 1 ad 200, inter primam nauium stationem foret altitudo lapsus vera ($=\frac{1.1000}{200}$ ped. $=\frac{1440.1000}{200}$ lin.) $=7200$ lineolae decimis, consequenter altitudo lapsus vera ad erroneam, vt $\frac{7200'''}{10} : \frac{7204'''}{10} = 1800$ ad 1801. hoc est, error metuendus maximus foret $=\frac{1}{1800}$ altitudinis inueniendae, adeoque in longitudine fluminis 36 milliarium germ. error metuen-

metuendus maximus tantum assurgeret ad ($\frac{1.36.\text{ mill. germ.}}{200.\ 1800} = \frac{36.20000\text{ ped. geom}}{200.\ 1800} = \frac{2.1}{1}$) 2 pedes geometricos, quorum 20000 vnum milliare germanicum conficiunt.

IV. Haec noua libella nulli vitio contrahendo obnoxia est, nisi eo, quod aliquando Tubus $\alpha\beta$ alicubi aquam transmittere possit. At vero hoc vitium, vbi accidat, nullum tamen in aquis librandis errorem gignere potest, cum obseruatores latere nequeat, sed statim sese prodat necesse est ex aqua in vitris subsidente, ex eo saltem admonendos, de Tubo altero non vitiato ad tempus arcessendo.

V. Ceterum haec noua libellandi methodus id quoque maximi momenti commodum adiunctum habet, quod simul egregias opportunitates praebeat Geographiae, sine noua notabili impensa, perficiendae. Vtraque enim nauis A et B simul vehere potest Geographum in arte delineandi aeque ac in Geometria bene versatum, nec non aliquot viros prudentes, ex vicinitate euocatos, regionumque, vbi res agitur, peritissimos, consequenter aptissimos ad relationes fide dignas de statu regionis politico aeque ac physico suppeditandas. Ambo Geographi, regionibus ad dextram laeuamque fluminis inter se partitis, quousque prospectus patet, locorum et regionum se offerentium situm diligenter explorare, et, occasione arrepta, sufficientem rerum huc spectantium notitiam sibi comparare, eaque omnia accurate litteris mandare possunt. Enimuero singulis explorandorum capitibus enumerandis supersedeo, contentus Geographos haec tria admonuisse, 1) de profunditate, 2) de flexura fluminis obseruanda, quoties naues A et B in nouam stationem peruenerunt: id quod in naui A, per pyxidem magneticam ex $\alpha\alpha$ versus $\beta\beta$ collineando, et ope declinationis magneticae obseruatae, satis recte fieri potest (quo tamen in negotio simul consultum erit, quotidie, si fieri potest, examinasse, an declinatio magnetica, pro locorum mutatione, variationem aliquam passa sit, nec ne), et denique 3) de latitudine fluminis, in qualibet noua statione, ad minimum quam proxime, definienda; haec namque tria capita praecipue perspecta esse oportet, si obseruationes de decliuitate fluminis in diuersis locis diuersa (§. 14. *num.* 25.) ita distinctae esse debent, vt simul scientiae Hydraulicae locupletandae inseruire queant.

§. XVI.

Iam quoniam horum trium postremum, latitudo nempe fluminis cuique nauium A et B stationi respondens, immediate obseruari nequit;

promta

promta autem, quae desideratur, libellationis continuatio non patitur, vt, expositis qualibet vice in terram Geographis eorumque adiutoribus, iuxta ripam, per artificia geodaetica, latitudinem quaesitam venemur, aut, huius loco, eandem ope Tubi coriacei breuioris 600 pedum (§. 14. *num.* 4.) immediate metiri studeamus: mihi insuper ostendendum erit, qua ratione idem sine his ambagibus praestari possit. Hunc in finem requiritur

I. Vt ad manus sint tres celoces aut nauiculae, ab illis (§. 14. *num.* 13.) diuersae, singulae duobus nautis, et quatuor aut 6 baculis geodaeticis instructae. Harum duae priores continuo praesto sint naui B, altera earum, ad ripam fluminis dextram, baculum II, aut III, etc. altera ad sinistram ripam baculum 2, vel 3, etc. collocante, conuenienter ad iteratam significationem ex B manu factam. Tertia nauicula tantummodo seruit naui A, in eius statione prima, baculos I et 1 ad dextram sinistramque ripam pari modo collocando. Extra hoc officium autem eadem versatur plerumque pone nauim A, et occupatur ad stationes superiores iam derelictas, in baculis ad ripam relictis secundum hunc ordinem I. 1. 2. II. III. 3. etc. iterum colligendis, et ad duas priores nauiculas, quam primum opus videtur, deuehendis, ne his eorum copia deesse possit. Tab. I. Fig. 6.

II. In naui A aeque ac in altera B adsit Instrumentum goniometricum (vulgo, Astrolabium), sed pyxide magnetica instructum, cuius pedamentum commode ad dextrum latus canaliculi lignei $C\alpha$, vel $D\beta$ cochleis firmari possit. Nimirum in naui A, Instrumentum goniometricum ita firmatur, vt eius centrum immineat dextri lateris puncto *a*, quod ab α versus aperturam C, quantitate 4 pedum, sed a linea media $\alpha CD\beta$ saltem quantitate 4 digitorum versus dextram distat; in naui B autem ita, vt centrum Instrumenti immineat sinistri lateris puncto *b*, quod ab β versus puppim, quantitat 4 pedum, sed a linea media modo commemorata pariter tantum quantitate 4 digitorum versus sinistram distat, (facie scilicet versus aperturam C vel D directa), eo fine, vt ipsius rectae *ab* longitudo aequetur longitudini ipsius rectae $\alpha\beta$ (e. g. 1000 pedum parisinorum), et praeterea illa *ab* huic $\alpha\beta$ parallela euadat. Tab. I. Fig. 3.


III. Nauibus A et B in sua quaeque statione prima firmatis, et altitudine aquae in vitris $\alpha\alpha$ et $\beta\beta$ obseruata (§. 14. *num.* 19. 20.), nec minus profunditate fluminis in A explorata; in naui A, ope pyxidis magneticae in *a* constitutae, primo exploretur flexura fluminis (§. 15. *num.* 5), Tab. I. Fig. 6.

 deinde

deinde Inſtrumenti regula mobili ad gradum nonageſimum adducta, inſtrumentum ipſum, ope globi intra pedamenti hemiſphaerium cauum quaquauerſum mobilis, tamdiu conuertatur, donec per dioptras regulae mobilis collineanti appareat pedamentum alterius Inſtrumenti goniometrici in *b* conſtituti. Tum inſtrumento in hoc ſitu, ope cochleae, firmato, fiat collineatio ſecundum diametrum inſtrumenti, h. e. per dioptras regulae immobilis, verſus I et 1, et repetita manus ſignificatione dextrorſum aut ſiniſtrorſum, nautis prope ripam verſantibus detur ſignum, donec baculi I et 1, tentando collocati, appareant in diametro continuata; quibus factis, explorentur anguli obliqui minores II. *ab* et 1. *ab*. Haec dum aguntur in A, eandem agendi rationem in naui B ſequendo, baculi II. et 2 ita conſtituantur, vt angulus II. *ba*, item 2 *ba* fiat rectus, et tandem, ope inſtrumenti in *b* conſtituti, obſeruentur anguli obliqui minores I. *ba* et 1. *ba*: neque tamen opus eſt: vt in naui B ſolliciti ſimus in profunditate fluminis, eiusque flexura, ope pyxidis magneticae, exploranda. Cum itaque in Triangulis rectangulis I. *ab* et 1. *ab*, item II. *ba* et 2. *ba*, praeter crus commune *ab* (1000 ſcilicet pedum pariſinorum) etiam anguli obliqui ad *b* et *a* iam cogniti ſint; ex naui B, crura *a* I et *a* 1, conſequenter prima latitudo fluminis I 1, ex naui A autem, crura *b* II et *b* 2, conſequenter ſecunda latitudo fluminis II 2, ope Trigonometriae facile inueniri poterit.

IV. Nauibus A et B in ſua quaeque ſtatione ſecunda firmatis, punctum *a* ex recta I 1, nunc cadit in rectam II 2, ſeu II *a* 2, punctum autem *b* ex recta II 2, nunc cadit in rectam III 3, ſeu III *b* 3. Altitudinibus aquae in vitris $\alpha\alpha$ et $\beta\beta$ obſeruatis, et ex A ſecunda profunditate fluminis explorata, ope pyxidis magneticae, in ſecundo puncto *a* conſiſtentis, determinetur ſecunda fluminis flexura, obſeruenturque anguli obliqui minores III *ab* et 3. *ab* (baculos nempe III et 3 iam rite locatos ſuppono). In naui B autem nulla alia re opus eſt, niſi vt per regulam mobilem ad gradum nonageſimum inſtrumenti adductam, ex *b* retrorſum collineatur verſus *a*, inſtrumentoque in hoc ſitu firmato, collineatio per regulam immobilem fiat verſus vtramque ripam, pro baculis III et 3 in diametro continuata rite conſtituendis, vt ſcilicet anguli III *ba* et 3 *ba* fiant recti. Cum itaque in Triangulis III *ba* et 3 *ba* ad *b* rectangulis, praeter crus commune *ba*, etiam anguli minores ad *a* obliqui, nempe III *ab* et 3 *ab* iam cogniti ſint; ex naui A, crura quoque III *b* et 3 *b*, conſequenter latitudo fluminis tertia III 3 inueniri poterit, quam primum otium dabitur eiusmodi calculos exiguos perſequendi.

V. In-



Acta litteraria regni Poloniae, trimestre tertium. A. 1755. p. 211.

V. Inter quaslibet duas ſtationes ſequentes ſeruetur agendi ratio, modo expoſita (*num.* IV,) pro ſequentibus fluminis latitudinibus, quarta IV4, quinta V5, etc. inueniendis, ita quidem, vt eum in finem in naui B non opus ſit vllos angulos obliquos explorare, ſola eius ſtatione prima II 2 excepta. Quodſi ergo ductus fluminis, ſeu eius vera directio, quam Tubus $\alpha\beta$ ſequitur, inter duas ſtationes vnam eandemque rectam faciat; diſtantia quoque ſtationum *ab* longitudini $\alpha\beta$ (e. g. 1000 pedum) aequalis erit, conſequenter etiam latitudo fluminis inuenta, prorſus accurata: ſi autem ductus torrentis fluminis inter duas ſtationes aliquantum flexuoſus exiſtat; diſtantia quoque ſtationum *ab* aliquantum minor erit longitudine (flexuoſa) $\alpha\beta$, adeoque latitudo fluminis inuenta veram aliquantum excedet, et hinc tantum vero proxime erit detecta.

Honor huius inuentionis, magni certe momenti et vtilitatis, ad Poloniam pertinet, cuius in ſinu a viro, in republica litteraria illuſtri, et de ſcientiis mathematicis praeclare merito, excogitata fuit. Pertinet ergo iure etiam honor ille ad Poloniam, vt publicis ſumtibus egregia vtiliſſimaque haec inuentio, in Viſtula, Cracouia Gedanum vsque, ipſa re primum exequatur. Sumtus vix duo millia aureorum ſuperabunt. Quam magno autem emolumento eiusmodi expeditio litteraria ſit, vnusquisque, qui rem intelligit, facile capit. Non ſolum enim hydraulica atque in primis geographia Polona, inſigniter locupletarentur, ſed commercium etiam atque oeconomia haud leue inde incrementum caperent. Nauigatio enim Viſtulae, Cracouia Gedanum vsque, omni ex parte ſecura redderetur, et Viſtulae inundationes, ſaepius tam magna damna in adiacentibus agris et pratis facientes, impediri facilius poſſent. Duo enim illi viri, hanc expeditionem litterariam dirigentes, duas vel tres tabulas geographicas deinde delinearent, pro vſu publico in aes incidendas, in quibus non tantum omnes Viſtulae flexurae cum adiacentibus pagis et oppidis, verum etiam Viſtulae profunditates innumeris in locis, inſulae, breuia et ſyrtes, accuratius delineata eſſent. Ob inſignem inde vſum in publicum redundantem, conſilium etiam cum celeberrimo inuentore iniui, vt haec expeditio litteraria ſuo tempore et loco, ea, qua decet, ſubmiſſione, proponatur, qui mecum eam ſuſcipere, aetate licet iam prouectus, in vſum regni Poloniae, in animo habet.

V.

LAVR. MIZLERI *de Koloſ, Med. Varſauienſis, obſeruatio ex medicina practica ſelecta, de phthiſi confirmata, in Virgine XV annorum curata.*

Doctrina phthiſeos illiusque ſymptomata nimis ſunt nota, quam vt ea hic repetere habeam opus. Morbum vero hunc, vt plurimum eſſe lethalem non fugit neminem. Gaudeo igitur me hic afferre poſſe in contrarium exemplum viuum, quod ſumma fuerit correptum phthiſi, non ſolum ab omnibus, qui id inſpiciebant, ſed et a medicis pro inſanabili, et quaſi mortuo, reputatum. Virgo nobilis H. de T. quindecim annorum, menſtrua iam per annum ordinatim paſſa, corporis ſatis obeſi et temperaturae ſanguineae, a matre vidua ob temporis aliquid faciendi neglectum grauiter reprehenſa, illo ipſo tempore cum ex nimia viuacitate, currendo ſaliendoque efferbuiſſet, moeſta ac perturbata cereuiſiae frigidae, paulo ante ex cauea apportatae, maiorem ingurgitat copiam, quam antea in vſu habuit, initio menſis maii, anni praeteriti. Quinque diebus elapſis, loco hilaris animi, torporem mentis, corporisque ſegnitiem obſeruarunt, quae negligebantur. Circa finem Maii quotidie fere animi impatientia creſcebat cum imminutione virium. Tandem ſecunda Iunii noctu febre ſubito fuit correpta calida, quae adhibitis pulueribus nitroſis cum regimine blande diapnoico tertio quidem die recedere videbatur, calor tamen internus cum ſiti remanebat. Illo tempore aegrota valde debilis et inquieta primum tuſſire per interualla coepit, vrina aquoſa ſine ſedimento, flaua tamen. In medio Iunii menſtruis haud rite et per diem tantum profluentibus, manifeſto febris lenta et incipiens contabeſcentia obſeruabatur, phlegma vero album, quod per tuſſim iam crebro eiiciebatur, glandulas bronchiorum pulmonalium materia tenaci et glutinoſa ſuffartas eſſe, haud obſcure probabat. Phthiſin nunc in via eſſe, conuictus eram, quam, praeter reſpirandi difficultatem, aliaque nunc dicta ſigna, et ſanguinis pulſus paruus, creber et repens praeſagiebat. Omnia igitur media contra phthiſin, obſeruato optimo vitae regimine, adhibebantur, in primis ſerum lactis cum ſaccharo lactis. Decoctum pectorale etiam ad diluendum et reſoluendum quotidie aliquoties propinabatur, additis pulueribus digeſtiuis ex lapid. ♋, ♀ ⊕lato, ſale abſinth. et pulu. rad. ari. Sed haec omnia plane nil iuuabant, et de die in diem omnia erant peiora. Circa medium Iulii menſtrua haud apparebant, materia flaua ſanioſa, et aemula puris crebro exſpuebatur, aliquoties cum ſtriis ſanguineis, ſpirandi difficultas

 maior,

maior, inſignis virium et corporis conſumtio, appetitus proſtratus et ſumto prandio febris lenta exacerbata fuit. Iam omnino aegrotae ſtatus deſperatus et conclamatus videbatur, breui vitae extremum ſpiritum editura. Mater vidua eo magis turbabatur, quo plures, filiam vnicam de vita periclitari, praedicebant. Abiectis igitur omnibus mediis, quae vulgo adhibentur, longe aliam et nouam viam ad ſanandam hanc virginem ingreſſus ſum feliciter, quam paucis nunc ſincere deſcribam.

Perſuaſum mihi habui, me nil effecturum, niſi ante omnia menſtrua reſtituam, et quidem ſine internis remediis, quae calidiora febrem lentam tantum augent. Pediluuia igitur quotidie adhibere iuſſi, et deinde venam ex pede ſecare, ſanata ex venae ſectione cicatrice, continuo iterum pedes in aqua tepida lauati fuere, et circa finem Iulii menſes profluxerunt per aliquot dies, bono omine; licet non in debita quantitate. Aegrota quidem aliquod leuamen ſentiebat, phthiſeos autem ſymptomata in eodem manebant gradu omnia, in primis corporis conſumtio ſub oculos cadebat, oſſaque ſub cute apparebant. Menſuram, quarta ſemper die, circa eandem brachii locum, accepi, quae aegrotam contabeſcere adhuc monſtrabat. Tuſſis nimium adhuc vrgebat, et materia ſanioſa flaua mane male odorata. Accedebant ſudores poſt mediam noctem, et aliquoties alui obſtructio.

Ex phyſiologia notum eſt, ſuccum lymphaticum corpus noſtrum nutrire et augere. Cum autem e contrario in phthiſi corpus tabeſcat, ſine dubio ob inſpiſſatam et impuram lympham, et ob hoc nimis acrem euadentem, et corporis nutritioni haud inſeruientem, primam indicationem eſſe credidi, lympham corrigere acrem. Sed quid iuuaret, per varia velle remedia corrigere lympham acrem, niſi prius diligenter in fontem, vnde lympha illa acris generatur, inquiramus. Qui ex phyſiologia in mentem reuocat, inter alias functiones pulmonum naturales et illam eſſe, quando quouis ſanguinis tranſitu, lymphae quantitas excernitur, et ſic refluens cum ſanguine purificata ad nutriendum corpus praeparatur, ſimulque, ex phthiſeos theoria, memoria tenet, ſaepius eam, vt hic caſus erat, ab induratis et ſuffartis glandulis bronchialibus incipere, facile, vt mihi videtur, hanc inuenire poteſt veritatem; *lympham inſpiſſatam et acrem, corpus depaſcentem, in phthiſi ſemper praeſentem, originem trahere ab glandulis induratis bronchialibus, vel etiam exulceratis.* Quem medicum fugit, lympham a capite refluam, in venam iugularem et ſubclauiam, a thorace in ductum thoracicum, ab abdomine in capſam lumbarem ſe exonerare, et cum ſanguine mixtam pulmones ingredi.

gredi. Noua autem chyli et lymphae acceſſio in pulmonibus cum ſanguine non ſolum intimius miſcetur, attritur, vnde calidior fluidiorque ad cor redit, ſed etiam particulae impurae, inutilesque lymphae refluae excerni debent, ſine hoc enim lympha continuo reflua breui impurior ſemper redderetur. Hoc ita eſſe omnino debere, experientia ipſa demonſtrat. Arteriae aſperiae et bronchiorum rami omnes ſemper mucoſa humiditate ſunt tecti, et per tunicam, quae bronchia et arteriam aſperam veſtit intus, continuo magna humiditatis copia pro irrigando hoc canali ſeparatur. Inſtrumenta igitur, ope quorum lympha ex pulmonibus excernitur, ſunt glandulae bronchiales, et tunica arteriae aſperae et bronchiorum. Recentiores quidem vſum nondum ſatis determinarunt glandularum bronchialium, ſed ex analogia glandularum non alium habere poſſunt vſum, quam vt lympham in pulmonibus ſecernant, vel excernant.

Cum ergo nullum dubium ſit, lympham in pulmonibus excerni debere, et quidem per glandulas bronchiales, et tunicam arteriae aſperae bronchiorumque, ita ratiocinatus ſum: *Quia lympha ſpiſſa et acris, corpus depaſcens, in phthiſicis ab induratis et exulceratis glandulis bronchialibus oritur, tota cura phthiſeos in eo conſiſtit, vt glandulae bronchiales induratae reſerentur et exulceratae conſolidentur.*

Dubium hic, ante quam plura dicam, remouere debeo. Doctus medicus mihi forte dicet: phthiſis non ſemper ab glandulis induratis bronchialibus et exulceratis, ſed ſaepius etiam a Vomica incipit, quo in caſu glandulae bronchiales integrae ſunt, et difficile erit, demonſtrare, lympham acrem, in phthiſicis corpus depaſcentem ab induratis et exulceratis glandulis bronchialibus tantum oriri. Ad haec reſpondeo: verum eſt, phthiſin ſaepius etiam a vomica incipere, de qua autem mihi hic non ſermo eſt, ſed hoc non obſtante, ſemper adeſt in phthiſi exulceratio pulmonum, ſit a vomica vel glandulis bronchialibus exulceratis. Vbi vomica eſt, quae verum pus generat, facile intelligitur, puris particulas ſanguinem ex pulmonibus ad cor refluum inquinare et ſic etiam lympham a ſanguine impuro ſecretam, impuram reddere. Et quis dubitare poteſt, vomicam glandulas etiam bronchiales inficere, indurare et exulcerare. Quis enim vidit ex phthiſi mortuum, a vomica coepta, quando verum pus in notabili quantitate euomuit, qui habuiſſet glandulas bronchiales integras, et non etiam exulceratas? Praeter haec exulceratio pulmonum, vel a vomica vel a glandulis bronchialibus coepta, ſemper in cauſa eſt, vt functio naturalis pulmonum, nempe lymphae excretio et ſecretio, impediatur, et ſic lympha impura, acris, et corpus depaſcens reddatur. Videtur

detur

detur mihi maxima pars medicorum in curanda phthisi hanc lymphae in pulmonibus excretionem negligere, quae tamen summi momenti est. Hanc enim si restituere et partes exulceratas consolidare haud possumus, in vanum laboramus. Et hanc ob causam etiam, ni fallor, tam paucissimi veri phthisici curantur.

Redeo nunc ad propositum meum. Cum persuasum mihi haberem, glandulas bronchiales induratas et ex parte iam exulceratas omnino reserari et deinde consolidari debere, optimum, ad id efficiendum, medium eligendum erat, omissis omnibus aliis, quae tanta fiducia a variis sine effectu commendantur. Quid vero melius ad reserandas glandulas et lympham acrem corrigendam inueniri potest, quam mercurius dulcis? Non diu haesitaui eum eligere, licet in Polonia infamia ab ignorantia notatus sit. Caute quidem cum eo semper mercandum, sed si recte administretur, vix in corrigenda lympha et reserandis glandulis inuenitur medicina efficacior.

Notandum nunc qua ratione eum adhibuerim, mixtum nempe cum spermate ceti, oculis cancrorum et saccharo albo, aequalis ponderis, in dosi valde refracta. Ad tres enim vncias huius pulueris duodecim Grana Mercurii dulcis adiecta fuere, aegrota vero accepit singulis diebus huius pulueris quater drachmam dimidiam, et sic granum vnum Mercurii dulcis in die.

Semper superbibebat decoctum ex herbis et radicibus aperientibus, et decima tertia die, cum puluerem sumere coepisset, dedi blande laxans ex tamarindis, foliis sennae, sale tartari, semine anisi, in aqua fontana cocta, addita mannae calabrinae vncia vna. Leniter subducta aluo melius parum se habere mihi aegrota videbatur et hilarior. Erat hoc medio Augusti, quo tempore aerem mutare, ex vrbe secedere iussi, ablegans eam Viastouiam prope Varsauiam, vbi in horto cum matre per duas hebdomadas degebat. Tempus esse credidi simul nunc medium consolidans adhibere, quod proxime ad pulmones deferretur. Omnes quidem fere medici putant, vlcera pulmonum nullo alio modo purgari et consolidari posse, nisi per medicamenta interna et excretiones generales, ideoque medicamenta vulneraria et consolidantia propinant, in quo valde mihi errare videntur. Omnia enim illa medicamenta, ante ad pulmones quam veniant, naturam consolidantem exuunt, et plane mutantur, nullumque alium vsum habent, quam vt vasa subtilia, quae permeant, adstringendo claudant, et obstruant in perniciem sanitatis, quale est antihecticum Poterii, medicamentum perniciosum, quod diu iam ex dispensatorio Brandenburgico eiici debuisset. Miror, alios medicos diu ante me,

modum, ope respirationis medicinam consolidantem ad pulmonum vlcera proxime adhibere, non inuenisse. Qui enim scit per effluuia corrosiua et calcaria cum aere in pulmones delata phthisin produci posse, facile colligere potest, per effluuia balsamica et consolidantia ope respirationis ad pulmones allata, eorum vlcera, si caetera recte se habeant, sanari etiam debere.

Quando mercurium dulcem ad corrigendam impuram lympham et reserandas glandulas bronchiales adhibui, nil noui est, quia alii medici ante me, aethiopem mineralem, et mercurium dulcem in phthisi adhibuerunt, licet ego non experientia et commendatione aliorum, sed ratiocinio ductus eo vsus sim hac in cura. Cum vero inde non speratum effectum viderint, non alia fuit causa, quam quia media efficacia consolidantia non simul, et quidem proxime, ope respirationis, adhibuerunt. Vera enim phthiseos cura maxime in sanatione vlcerum pulmonum consistit. Haec autem sanatio, vix aliter, quam per effluuia balsamica et consolidantia, ope respirationis proxime ad pulmones delata, absolui poterit.

Noua igitur excogitata methodo, iussi quotidie ter super pectus, baccas iuniperi contusas applicare, eum in finem, vt particulae balsamicae, consolidantes, ex baccis iuniperi contusis exhalantes continuo ope respirationis proxime ad pulmones deferrentur. Vix hoc erat factum per hebdomadam, cum aegrota facilius spiritum duceret, et tranquilliori esset animo. Puluis albus supra dictus cum mercurio dulci quotidie quater sumebatur et circa finem Augusti eodem, vt antea, medicamento, aluus fuit blande laxata, in magnum aegrotae solatium, sequenti die menstruis rite profluentibus.

Cum omnia bene succederent, iisdem medicamentis, nempe puluere albo cum mercurio dulci, quater in die sumto, et ter in die baccis iuniperi contusis super pectus applicatis, singulis duabus hebdomadis aluo blande subducta, per duos menses, Septembrem et Octobrem fuit continuatum, menstruis, singulis mensibus, recte se habentibus. Sic tussis paulatim cessabat, phlegma saniosum sensim imminuebatur, vires recuperabantur, et habitudo corporis firmior pedetentim euadebat. Circa initium Nouembris iam tussis et excreatio plane cessabant, et consolidatio vlcerum in pulmonibus omni ex parte absoluta erat. Iussi ergo ab omnibus medicamentis abstinere, et Deo gratias pro restituta sanitate agere. Sed aegrota adhuc per aliquot dies baccas iuniperi applicuit, dicens se odore illarum fragrante recreari. Quamuis vero aegrota iam ad pristinam,

nam ſanitatem redibat, corpus tamen adhuc erat gracile, licet auctius, quam durante phthiſi. Sed tantum tempore hyemis ſequentis profecit, vt non ſolum ſtatura maior, pulchriorque, ſed etiam obeſior, quam antea nunquam, fuerit facta, ne minimo quidem phthiſeos ſigno relicto, cuius indicium, illud maximum eſſe videtur, quando aliquoties in circulo honeſtarum aliarum virginum ac matronarum choreis per ſex horas ſine vllo incommodo indulſit, integra nunc ſanitate gaudens.

Quod ſi medicis, exteris in primis, digna attentione haec obſeruatio videatur, optarem, vt obſeruationes, ſi eadem methodo vtantur, mecum communicare benigne velint in incrementum artis ſalutaris, qui totus in eo ſum, vt phthiſin ſemper curabilem, ſi res nondum ſit conclamata, reddam. Hunc in finem inſtrumentum vitreum excogitaui, quod ſuper caput phthiſici imponitur, longo canali munitum, per quem euaporationes particularum balſamicarum et ſulphurearum ita in inſtrumento illo colliguntur, vt phthiſicus nil niſi aerem valde balſamicum ope reſpirationis hauriat et ad pulmones deferat. Spiraculo munitum eſt, vt liber aer, ſi neceſſarium ſit, ſemper accedere poſſit. Cucurbita vero ſatis ampla balſamicis ingredientibus repleta et ſuper balneum Mariae poſita, cum longo canali iuncta eſt, ope cuius euaporationes balſamicae conſolidantes, vi ignis ad inſtrumentum pelluntur, vbi phthiſicus quaſi concentratas eas inſpirat. De hoc inſtrumento, quo nondum in praxi vſus ſum, alio tempore diſſeram.

VI.

Obſeruatio de Efficacia Moſchi cum antimonio diaphoretico mixti in febre catarrhali petechizante, auctore

D. ERNESTO IEREM. NEIFELD.
Medico Leſnenſi.

Tempeſtatum, aeriſque conſtitutio, plane inſolita, et eorundem ſubitae et vehementes, ex frigido in calidum, ſicco in humidum, et vice verſa, viciſſitudines, tantam, ſub finem anni praeteriti, corporibus humanis, intulit mutationem, vt plures noſtra in ciuitate, febribus putridis exanthematicis, malignitatis ſpeciem referentibus, fuerint adfecti. Optima, vſuque in eiusmodi morbis, comprobata remedia, omni cum cautela, a me fuerunt praeſcripta; ſed minus ſufficere videbantur, ad acrimoniam ſalino ſulphuream, ſanguinis craſin deſtruentem, diluendam, expellendamque.

damque. Hinc de remedio aliquo efficaciori cogitans, in hoc morbo, forte non sine salutari effectu tentari posse moschi virtutem, putaui. Neque spem meam fefellit euentus. Qui enim postea, meae se tradiderunt curae, per Dei omnipotentis gratiam, integram, per hoc remedium, recuperarunt sanitatem. En morbi decursum medendique, qua vsus fui, methodum!

Primis morbi diebus, conquerebantur, de grauatiuo artuum, capitisque dolore, summo virium languore, et inappetentia. Tertio vtplurimum die, horripilationem excipiebat calor praeternaturalis, increscens cum exacerbatione omnium symptomatum. Pulsus erat celer, debilis et contractus: respiratio difficilis et profunda; vrina pallida sine sedimento, leuisque animi defectio, et tussis sicca, adfligebant; In hoc rerum statu, praemissa, si opus, venae sectione, aluus adstricta, clysmate emolliente soluta fuit, atque praeter pulueres Nitroso camphoratos, et serum lactis cum cremore Tartari confectum et debita portione herbae acetosae et acetosellae decoctum, nil fuit exhibitum. Die morbi sexto omnia quidem mitiora esse videbantur; statim vero augmentum capiebant symptomata. Maxima erat inquietudo, mens turbata, somnus nullus, tendines subsiliebant; singultus, animi deliquia, et cardialgia pessimum morbi indicabant statum. In superficie corporis hinc inde maculae coloris purpurei, et liuido fusci in conspectum veniebant. Pulsus inaequalis debilis et contractus erat. Sitis deficiebat. In hoc articulo morbi, die nempe octauo, viginti quatuor grana moschi puluerisati, cum scrupulo semisse antimonii diaphoretici, remixta, exhibui. Vix vna vel altera hora erat elapsa post vsum huius pulueris, cum sudore integrum corpus perfundebatur, per viginti quatuor horas largissime continuante. Aegroti, summam inde patiebantur virium iacturam; statuae similes iacebant sine omni motu et sen, super vnum vel alterum diem. Vndecimo morbi die, vniuersa corporis superficies, confertim obsessa, conspiciebatur maculis liuido fuscis et pustulis albis purpuraceis. Pulsus erat mollior et sedatior, respiratio aequabilior, vrina sedimentum ponebat, et ad se redibant patientes licet summe debiles. Praescripsi mane et vesperi, puluerem ex cremore Tartari c. Lap. cancr. citr. remixto in aquis destillatis adsumendum, et pro potu vinum rhenanum cum multa aqua dilutum, et ita auxiliante Deo cum sanitate in gratiam redibant miseri.

VII.

NOVA LITTERARIA POLONICA.

CELSISSIMIS, ILLVSTRISSIMISQVE POLONIAE MAECENATIBVS

OMNIBVSQVE LITTERATIS POLONIAE HISTORIARVM AMATORIBVS

S. P. D.

LAVR. MIZLERVS DE KOLOF,

SER. REG. POLON. CONSILIAR. AVL. ET MEDICVS ACAD. MOGVNTINAE SCIENT. VTIL. NECNON SOCIET. SCIENT. MVS. IN GERMANIA SOCIVS ORDINARIVS.

Arduum tandem et diu iam ante meditatum opus aggredior, editurus breui Scriptorum hiſtoriarum Poloniae et magni ducatus Lituaniae, quotquot ab initio reipublicae Polonae ad noſtra vsque tempora extant omnium, ordine chronologico digeſtam, collectionem magnam, partim ob exemplarium raritatem, cum annotationibus meis et correctionibus iterum impreſſorum, partim ex autographis celeberrimae bibliothecae Zaluſcianae, primum nunc editorum, cum copioſiſſimis indicibus. In tomo primo continentur ſcriptores topographici omnes, nempe ſequentes;

I. POMPONIUS MELA de Sarmatia, cum commentariis IOACHIMI VADIANI.

II. AENEAE SYLVII, poſtea ſummi pontificis PII II, relatio de Polonia, Lituania et Pruſſia.

 III. ERAS-

III. ERASMI STELLAE, Libanothani, Libri duo, de Boruſſiae antiquitatibus.

IV. ALEXANDRI GVAGNINI, Veronenſis, ſeu potius STRIGOVII, Poloni, (Guagninus enim fuit plagiarius) Chorographia totius Poloniae, Lituaniae, Pruſſiae et Liuoniae.

V. MARTINI CROMERI, epiſcopi Varmienſis, Polonia, ſiue de ſitu, populis, moribus, magiſtratibus et republica regni Poloni, libri duo.

VI. MATTHIAE a MICHOVIA, Med. Doct. et canonici Cracouienſis, de Sarmatia Aſiana et Europaea libri duo.

VII. SIGISMVNDI lib. bar. in HERBERSTEIN deſcriptio Lituaniae.

VIII. HARTMANNI SCHEDELII commentariolus de Sarmatia.

IX. STANISLAI SARNECII deſcriptio veteris et nouae Poloniae, vt et Ruſſiae ac Liuoniae.

X. IOAN. CRASSINII Polonia. Bononiae 1574. Liber rariſſimus, qui duodecim aureis nummis ſaepius fuit emtus.

XI. SIMONIS STAROVOLSCII Polonia, cum additamentis et annotationibus Martini Boehmii, Prof. gymnaſ. Thorunenſ. ex autographo bibliothecae Zaluſcianae.

XII. SIGISMVNDI SWIENCICII deſcriptio ducatus Maſouiae ad Stanislaum Lubienſcium, epiſcopum Plocenſem, miſſa, ex autographo bibliothecae Zaluſcianae.

XIII. ANDREAE CELLARII nouiſſima deſcriptio regni Poloniae, magnique ducatus Lituaniae, omniumque regionum iuri Polonico ſubiectarum, vna cum regni huius geographica delineatione.

XIV. LVCAE OPALENII Polonia defenſa contra Barclaium.

XV. DAVIDIS CHYTRAEI Vandalia, regionum ad mare Balthicum, Pomeraniae, Pruſſiae, Liuoniae, Moſcouiae, Poloniae principes, et ſtatum reipublicae et eccleſiae ſummatim exponens.

XVI. Deſcriptio ſuccincta regni Poloniae, vna cum ducatibus eiusdem, palatinatibus atque regionibus, ex Germanica lingua translata.

XVII. Deſcriptio Vkrainae auctore de BEAVPLAN, ex Gallico translata.

XVIII. MARTINI ZEILERI deſcriptio regni Poloniae et Lituaniae.

XIX. CAROLI OGERII, Galli, iter Polonicum.

XX. BERNHARDI CONNOR, Angli, Med. Doct. antiquus et praeſens regni Poloni ſtatus hiſtoricus, geographicus, phyſicus, politicus et eccleſiaſticus.

XXI. IO. BAPT. PACICHELLI, Itali, de ſtatu ac finibus Poloniae, ex hiſtoria itinerum per Europam chriſtianam (memorie de viaggi per l'Europa.)

XXII. AVGVSTINI lib. bar. de MAYERBERG, de Polonia ex libro qui inſcribitur iter in Moſcouiam.

XXIII. LAVRENTII CORVINI ode Sapphica de Polonia et eius metropoli Cracouia.

XXIV. CONRADI CELTIS carmen ad Viſtulam fluuium.

XXV. eiusd. Salinaria.

XXVI. ADAMI SCHROETERI, Sileſii, iter Salinarium Sarmaticum.

Tomus ſecundus huius collectionis ſcriptores omnes genealogicos comprehendet, de quibus, tomo hoc primo abſoluto, diſſeremus. In tertio ipſa hiſtoria Polona ordine chronologico incipiet, adiectis ſemper variis annotationibus, correctionibusque, iis in locis, vbi ſcriptores Poloni manifeſto hallucinati ſunt. Vnusquisque tomus ex nouem alpha-

 betis

betis in folio, ſeu ex ducentis plagulis, totum autem opus circiter ex tredecim tomis conſtabit, qui Varſauiae omnes mea ſub inſpectione typis nouis typographiae Mizlerianae cum Sereniſſimi Regis priuilegio exacte erunt et nitide impreſſi.

Forte Polonia nunquam tam magnum, tam vtile, tam ſumtuoſum opus ſperauit, neque ſperare potuiſſet, niſi tria feliciter ſimul extitiſſent. Primum eſt alma pax, qua Polonia vltra viginti annos iam gaudet, muſis litterisque arridens. Secundum bibliotheca Zaluſciana, quae omnia ad hoc opus congeſſit et in patriae vſum benigne ſuppeditat, tertium vir talis, qui tam magnum laborem in ſe ſuſcipere et poſſet et vellet, ſimulque ſumtus ad tam magnum opus imprimendum inueniret. Primum Polonia debet Sereniſſimo Regi, diuino noſtro AVGVSTO III, ſecundum celſiſſimo epiſcopo Cracouienſi et illuſtriſſimo regni referendario, Zaluſciis fratribus, bibliothecae publicae glorioſiſſimis fundatoribus, tertium non tam mihi priuato, quam potius illuſtriſſimo ſupremo regni cancellario, IO. MALACHOVSCIO comiti adſcribendum. Hic enim Maecenas in Poloniam me adduxit, in eaque me ſuſtinens haec otia dedit, et praeter ea in erigenda typographia ad imprimendum hoc magnum opus ſingulari ex gratia adiuuit. Quartum nunc Veſtrum eſt, vt alacriter ſubſcribendo omni modo hoc inſtitutum promouere ſimul velitis. Si verum eſt, vt hiſtoria ſalutaria conſilia ad iuuandam rempublicam ſuppeditet, ſi verum, vt ea prudentiam ciuilem adminiſtret, ſi verum denique, vt illa commodum publicum augeat, per reipublicae ſalutem, per Veſtrum poſterorumque et publicum commodum vos rogo, obteſtorque, vt in Poloniae honorem, Veſtrorumque nominum gloriam, ad hoc opus, Vobis poſterisque Veſtris vtiliſſimum, contribuere recto tempore haud recuſetis.

Quia Rudawsky annales regnante Io. Caſimiro, Pol. rege, nuper a me editos, nec non acta litteraria regni Poloniae, benigno animo accepiſtis, ſpero fore, vt hoc opus maioris longe momenti et vtilitatis, eadem benigni animi teſtificatione accipiatis, cum illa leuia tantum ſpecimina fuere, me ad hunc maiorem laborem non plane eſſe ineptum. Ratio mihi nunc danda, cur primus tomus ſcriptores topographicos, ſecundus genealogicos contineat, et cum tertio demum ipſa hiſtoria ordiatur. Rerum ordo, qui omnia gubernat, hoc exigere videtur. Certum enim eſt lectores, qui exacte regni, vel populi cuiusdam hiſtoriam cognoſcere in animo habeant, eo melius intelligere eam, et in aperto verſari vbique, ſi prius

prius mores, regionum diuiſiones, vrbium maiorum deſcriptiones, viros illius populi magnos, familiasque illuſtres cognouerint generatim. Vtrumque docet geographia et genealogia, hiſtoriae oculi, quique chronologia, manu quaſi hiſtoriae dextra, ducitur, vbique apertis oculis firmo pede incedit, omniaque accurate circumſpiciens non facile a veritatis via aberrat.

Opus ipſum quod attinet, varii de rebus Polonis ſcriptores, ex Polonorum, Gallorum, Germanorumque idiomatibus Latinitate erunt donati, ita vt haec collectio magna, ſcriptores alicuius pretii, de rebus Polonis comprehendat ad vnum omnes, exceptis tamen Rudauſcii annalibus, quos nuper edidi, quorumque ſufficiens adhuc exemplarium proſtat Lipſiae et Varſauiae copia. Neque Zaluſcii epiſtolae, pluribus tomis in folio comprehenſae huc pertinent, licet ſint hiſtoricae, quia facile acquiri adhuc poſſunt; ipſa autem facta ex iis erunt extracta, ſuo loco et ordine propoſita. Si quis Veſtrum iam varios rerum Polonarum ſcriptores poſſideat, haec tamen collectio magna Vobis prae illis commoda erit vtiliſſimaque, quia ſcriptores non ſolum correctiores erunt in papyro melioris notae excuſſi, eorumque loca obſcura enodata, ſed indices etiam copioſiſſimi, qui in antiquis editionibus omnibus fere deficiunt, vnicuique tomo adiecti, ita vt omnia, quae deſiderantur, ſine temporis diſpendio, ſtatim inueniri poſſint, ne quid dicam de ſcriptoribus, primum nunc ex autographis editis, quique ſeparatim acquiri haud poterunt. Si praeter omnem ſpem autographa quaedam alicuius pretii, in bibliothecis inuenirentur, de quibus nunc non conſtat, tunc ea materiam ad ſupplementa, abſoluto opere, dabunt. Tabulae etiam aeneae variae, in quibus monumenta publica repraeſentantur, nummi etiam, tam antiqui, quam recentiores, in hac collectione ad illuſtrandam hiſtoriam reperientur, breui, omnem mouebo lapidem, vt hoc opus tam abſolutum ac vtile ſit, ac fieri per diligentiam poteſt.

Supereſt, vt conditiones pro iis, qui pro toto opere ſimul ſubſcribere haud poſſunt, proponam.

I. Impreſſio huius operis incipiet hoc anno medio Nouembris, quem in finem omnia praeparantur, et typi noui iam fuſi. Abſolutus erit tomus primus circa feſtum S. Michaelis anni futuri, et ſubſcriptoribus diſtributus. Quicunque igitur nunc vsque ad d. 16. Nouembris ſoluit aureum nummum, quem ducatum dicunt, iuſti ponderis, ſeu duos imperiales viginti groſſos Saxonicos, tomum primum huius collectionis magnae accipiet dicto tempore, ea conditione, vt recipiendo tomum pri-

mum ſoluat aureum nummum pro tomo ſecundo, recipiendo tomum ſecundum iterum aureum nummum pro tertio, et ſic porro, in cuius fidem datur Syngrapha. Qui vero pro duodecim exemplaribus ſubſcriptiones colligit, et pretium, duodecim aureos ſimul numerat, is tredecim accipiet exemplaria, id quod ad bibliopolas exteros etiam extendimus.

II. Nullum exemplar, neque vnicum, poterit acquiri, niſi ſubſcriptione, et qui emere velit tomum primum iam impreſſum, ſine ſubſcriptione, hac conditione emet, vt pretium ordinarium, quatuor imperiales, pro tomo primo numeret, et ſimul aureum nummum pro tomo ſecundo ſubſcribendo ſoluat, et ſic cum reliquis. Exactus valde ero in obſeruanda hac lege, ne, vt aliquoties fieri ſolet, mihi obiici poſſit, alios etiam non ſubſcribentes, operibus iam impreſſis, eodem ac ſubſcriptores pretio, acquirere ea poſſe. Qui vnicum exemplum in contrarium adducere poteſt, ei debeo integrum exemplar totius operis ſine vlla ſolutione.

III. Ii, qui in charta ſcriptoria hoc opus impreſſum habere volunt, ſoluunt praeter aureum nummum, adhuc tres tynſones et duos ſextarios, ſeu 18. groſſos Saxonicos, id quod ſubſcribendo ab initio tantum locum habere poteſt, quia plura, quam deſiderantur, in charta ſcriptoria, non erunt impreſſa.

IV. Omnium ſubſcribentium nomina vna cum dignitatibus, ordine alphabetico tomo primo erunt praefixa, nominibus procerum ſeorſum poſitis.

V. In Polonia ſubſcribitur apud me Varſauiae in ſic dicta platea cereuiſiae. Gedani apud ſpectabilem Dom. IO. NICOLAVM OEMCHEN, meritiſſimum ciuitatis Gedanenſis ſcabinum et I. C. Schuſterum, bibliopolam. Thorunii apud nobiliſſimum Dom. GILLER, ciuitatis Thorunenſis ſecretarium. Elbingae apud nobiliſſimum Dom. Sigism. Mich. SIEFFERT, ciuitatis Elbingenſis ſecretarium. Lipſiae apud Dom. Io. Frider. GLEDITSCH, bibliopolam, et beati Heinſii haeredes, apud omnes denique in Germania bibliopolas, qui commercium cum his Lipſiae habent. Vbi quis ſubſcripſit, ibi etiam ſyngrapham et exemplar recipit, ſine vllis expenſis. Scribebam Varſauiae pridie Id. Auguſti, et A. R. S. MDCCLVI.




LAVRENTII MIZLERI

MEDICI VARSAVIENSIS

ACTA LITTERARIA REGNI POLONIAE ET MAGNI DVCATVS LITHVANIAE

ANNI MDCCLV

TRIMESTRE QVARTVM



CVM SERENISSIMI REGIS POLONIARVM PRIVILEGIO

VARSAVIAE
EX TYPOGRAPHIA SAC. REG. MAI. MIZLERIANA

SVMMA CAPITVM

I. De iuribus maiestatis Regni Poloniæ, ex collectaneis DAVIDIS BRAVNII.

II. Vita archiepiscopi Gnesnensis, seu regni Poloniæ Primatis, NICOLAI DZIERZGOWSKI, auctore STANISLAO BVZENSKI.

III. Catalogus comitiorum, sub IO. CASIMIRO & MICHAELE I Poloniæ regibus, celebratorum.

IV Lexicon nunc viuentium in Polonia eruditorum, Canonici & Bibliothecarii IANOCII, pars altera.

V. LAVR. MIZLERI de KOLOF, Med. Varsauiensis, obseruationes binæ ex medicina practica selectæ, de ozæna & pernione, quorum morborum vera remedia proponuntur.

VI. Noua litteraria Polonica.



I

DE IVRIBVS MAIESTATIS

Siue Regalibus, tertio cardine, in quo tanquam exercitio & executione legum Regni Poloniae, salus vniuersi corporis publici vertitur, succincta commentatio, ex collectaneis DAVIDIS BRAVNII, *S. R. M. Prussiae Consiliarii. Anno MDCCXXII. Coloniae. (potius Elbingae) typis Theodoti Brabei. in 4. plag. 6.*



Vandoquidem antiqui Duces & Reges Poloniæ, non solum summum, sed & nullis legibus limitatum imperium in subditos omnes habuerunt, ideo de exercitio iurium maiestatis nullum dubium est, quin plenissimum penes eos solos, & ab iis per officiales administratum, fuerit. Cum fide christiana eam quoque mansuetudinem induerunt reges, vt ad episcoporum modesta monita iu-

ra sua secundum æquitatem moderari permiserint. Et ipsum scelus BOLESLAI audacis, in arguentem crimina eius STANISLAVM, episcopum Cracoviensem, hoc euincit, non ex lege aliqua regni principes corrigi, sed Christianæ charitatis argumentis moneri, vel rogari tantum, voluisse. Sublato demum, post vltimum, ex Piasti posteris, CASIMIRVM magnum, iure successionis hæreditariæ in regnum Poloniæ, ab extraneo primo electo, LVDOVICO Hungaro, nobiles Poloni, magna priuilegia & libertates a tributis & cæteris seruitiis, regibus debitis, & post eum, a VLADISLAO IAGELLONE, eiusque filiis, plura sibi acquisiuerunt, quorum in principio tantum tenaces fuerunt custodes, mox cum accessione ad consilia publica, sub IO. ALBERTO & fratribus eius, regalium limitatores, deinque summorum maiestatis iurium cum regibus participes facti, maximam eorum partem exercent. Ab excessu SIGISMVNDI AVGVSTI enim per crebra interregna, singulis pactis conuentis plura sibi stipulati ordines regni, etiam iam a regnantibus per diplomata & constitutiones, non nulla iura regalia, obtinuere, vt tandem nullum ex maioribus regalibus liberæ dispositioni regum relicta, quin imo quam plurima soli ordinum administrationi iam relicta & legibus definita sint. Ex enumeratione iurium omnium regalium res clarior patebit. *Ius successionis haereditarium* regni Poloniæ, ab HENRICI electione, post excessum SIGISMVNDI AVGVSTI, vltimi, titulo Domini & hæredis regni, regis, mox & STEPHANVS rex, in volum. p. 253, & sic omnes sequentes reges, in iuramentis suis ad illorum regum concessa iura & priuilegia prouocantes, renunciarunt.

Primum ius maiestaticum, siue regale maius, est *ius armorum*, hoc est, exercitus scribendi, bella offensiua & defensiua gerendi, auxilia extra regnum mittendi, expeditionem quoque generalem nobilitati indicendi, quod CASIMIRVS III rex, priuilegio suo cum ordinibus in Nieszawa a. 1454. primus communicauit, ibi pro-

promisit his verbis apud Laskium fol. 95. „*item pollicemur: quod* „*nullas nouas constitutiones faciemus, neque terrigenis ad bellum mo-* „*ueri mandabimus, absque conuentione communi in singulis terris in-* „*stituenda*, quae lex postea a IOANNE ALBERTO rege a. 1496, in Laskio fol. 105. item a SIGISMVNDO I. a. 1527, vt mercenarii milites cum eorum praefectis capitaneo generali exercituum regni obedire, & militari obedientia subiecti esse debeant: item a. 1538 & a. 1545 a SIGISMVNDO III a. 1613 const. fol. 1, vbi solae hostium subitae incursiones, cum senatus consilio a rege repellendae excipiuntur, sicut etiam in statuto a. 1527 expressum fuit: denique in pactis conuentis sequentium regum multis circumstantiis clare explicata & amplificata est. Propterea VLADISLAVS IV rex a. 1646. legiones stipendiarias, proprio aere, inscia republica, conscriptas, ab ordinibus in comitiis exauctorare coactus fuit. vid. const. eiusdem anni. Sic rex AUGUSTUS II singulari diplomate in constit. a. 1703 de lege hac, non faciendi bellum absque consensu reipublicae, repromisit & cauit. In campo tamen Rex supremum in exercitus regni habet imperium, quod absens per solos duces exercitus regni & M. D. Lit. gerit.

Secundum ius maiestaticum: *ius foederum*, itidem reges, si noua fuerint, absque consilio totius senatus, & sine mox sequenti confirmatione omnium ordinum reipublicae exercere nequeunt, antiqua tantum renouare, tamen residentibus ad aulam regiam praesentibus senatoribus.

III) *Ius legationum*, reges adhuc tempore HENRICI soli exercuerunt. vid. Fredro in Henrico, p. 97. Sed STEPHANVS in pactis conuentis iam promisit, nihil in publicis negotiis absque senatorum residentium consilio facere. SIGISMVNDVS III demum. a. 1588, in vol. p. 254. expresse legatos mittere, vel venientes audire, absque senatu, sibi vetuit. Postea etiam equestris ordinis consensus ad legationes accessit, constit. 1653 Iam igitur rex legatum mittendum quidem eligit, sed instructio ei ex senatus

consulto datur: reuersus legatus relationem suam scriptam in comitiis ordinibus reddere, & si hi velint, iurare tenetur, quod nihil cum extraneis principibus, præter instructionem, tractauerit. Vid. pacta conuenta IOANNIS III, item AVGVSTI II.

Ex maioribus regalibus est IV) *ius nomotheticum*, h. e. legum lationis, quod olim ante CASIMIRI M. tempora, ex absoluta potestate regis, supremi legis latoris in regno, profluxit. Sed CASIMIRVS III. in Nieszawa a. 1454 priuilegium concessit, vt nouas leges, nisi desideria subditorum e conuentibus prouincialibus audiuerit, non promulgaret. Tandem IOAN. ALBERTVS, assumtis ad comitia nuntiis terrestribus, omne ius nomotheticum cum ordinibus communicauit, a quo tempore huc vsque nulla, neque minima lex, absque nuntiorum consensu, promulgari potest.

Proximum V) *ius iudiciorum* reges & duces Poloniæ, pro summo tribunali sedente, ante VLADISLAVM IAGELLONEM absoluta potestate exercuerunt. Hic vero primus priuilegio a. 1433 iudicialem potestatem suam restrinxit, quod neminem nobilem possessionatum terrigenam non debeat pro culpa aliqua captiuare, nisi prius iudicialiter fuerit conuictus, excepto, si fuerit in furto, incendio, raptu virginum, depopulatione villarum, vel spolio captus. Laski fol. 51, quam legem quidem ALEXANDER rex a. 1505. apud LASKIVM fol. 115, de nobili bonæ famæ, qui ter in regestris criminum non fuerit inscriptus, interpretatus est. Nihilominus ab eo tempore iudiciaria potestas valde restricta & priuilegium hoc a. 1550 & toties repetitum. Aucta denique potentia equestris ordinis, iam rigorem iustitiæ regiæ ferre noluerunt, ac STEPHANVM regem perpulerunt, vt ipsis omnem iurisdictionem cederet & tribunal summum ex nobilium deputatis a. 1578 ordinaret. Ab inde tantum causæ, bona regalia & oppidorum, nulla iam terrestria nobilium, tangentes, ad iudicia regia pertinent, præter causas maximas criminales, ad iudi-

iudicia comitialia pertinentes, quae in constit. a. 1589, quae sint, definiuntur.

VI.) *Ius tributorum & vectigalium* primus rex LVDOVICVS nobilibus & eorum subditis maxima parte remisit. De duodecim grossis enim a singulis iugeribus agri, decem grossos ac omnia alia quaecunque tributa, angarias & operas, perpetuo donauit, duobus tantum grossis in recognitionem dominii reseruatis an. 1374 in Laskio fol. 40. quod priuilegium VLADISLAVS IAGELLO a. 1433 & CASIMIRVS III a. 1454 in Nieszawa repetierunt. ibid. fol. 51 & 93. Inde cum ad necessitates reipublicae praefecturae pleraeque oppignoratae, & duorum grossorum tributum non sufficeret, nobilitas roganda fuit, vt ad tributa necessaria consentiret. Hinc ob eam causam conuentus prouinciales, tandem etiam nuntiorum ad comitia regni accessus a regibus concessus, regi omne ius tributorum extorsit, & ordini equestri penitus addixit. Et propterea, quod tributa non nisi a nuntiis in comitiis scita valent, etiam oppida & agricolae regii & ecclesiastici a tributis, donec in comitiis laudata fuerint, liberi sunt, quod rex STEPHANVS expresse ita promisit a. 1576.

De vectigalibus & teloneis tamen in terris & fluminibus, a mercibus exigi solitis, ibidem Rex STEPHANVS promisit, se nulla absque concilio ordinum introducturum. Nihilominus antiqua vectigalia adhuc regiae mensae relicta sunt, sed quae ab inductis & euectis, noua constituta, atque per constitutiones saepe augentur, reipublicae aerario vindicata sunt, sic vt rex dimidium prouentum teloneorum iam non habeat proprium.

Sequitur VII) *ius monetae cudendae*, quod reges Poloniae, prout in aliis regnis, non suo, sed subditorum commodo, exercebant. Et notatu dignum est, ante quam infelici consilio & damno regnorum Europae infinito, argento aes misceri primo in Germania & Bohemia coeptum est, reges & principes solo regali, quod ipsorum imaginibus moneta signaretur, contentos, nullum

lum lucrum ex eo iure percipere voluiſſe, ſed a tempore miſti metalli, quod initio ſeculi XIV demum accidit, vultures illi artifices monetales, regibus lucra quoque inſuſurrarunt, quibus tandem monetam penitus corrumpere, & pro antiqua argentea æream populis obtrudere, ſuaque æraria, quia maximos e prouinciis habent prouentus, plus, quam priuatorum ſingulorum reditus, defraudari paſſi ſunt. Primus VLADISLAVS IAGELLO a. 1422 & 1433 reipublicæ promiſit, quod ſine conſenſu communi ſenatus monetam pro ſe & filiis ſuis non velit cudere, & cudentes punire, vt per hoc remedium damna & penuria ſubditorum auferantur, in Laſkio fol. 48 & 51. Nihilominus poſtea reges monetarum cudendarum ius, ſecundum conſilia & commiſſiones ex comitiis definitas, ſuo lucro exercuerunt, donec SIGISMVNDVS III rex, vt gratiam ordinibus faceret, & pro liberalibus prouiſionibus filiorum eius rependeret, a. 1632 conſtitutione ius cudendæ monetæ reipublicæ perpetuo ceſſit, quam legem ſucceſſor eius VLADISLAVS, in pactis conuentis, deinde omnes ſequentes reges approbarunt.

Porro VIII.) *ius acquirendi ſibi & alienandi bona*, rex amiſit, vſque adeo, vt iure caducitatis ad coronam deuoluta regalia, vel terreſtria bona, rex non retinere, neque in feudum cuiquam, inconſultis ordinibus, conferre, verum nobilibus indigenis iterum diſtribuere vacantia bona teneatur, quod iam LUDOVICVS rex priuilegio ſuo a. 1374 conceſſit, in Laſkio fol. 40.

Denique IX) *iura venandi, metallorum & omnium fodinarum*, quæ olim regibus propria erant, in omnibus bonis, etiam nobilium, (CROMERVS Lib. VI. p. 107. &c.) vſque adeo, vt nobiles, cum cæteris ſeruitiis, ducum & regum venatores cum eorum canibus alere debuerint, (CROMERVS Lib. II. de rep. Pol.) iam dudum fuere reſtricta, quia bona terreſtria nobilibus cum onere expeditionum belli, ideo etiam cum omnibus emolumentis, tanquam loco ſtipendiorum, ſempiterno iure conceſſa ſunt. Venatio

cer-

certe nobilibus in eorum fundis, iam ante VLADISLAVM IAGELLONEM libera fuit, vt qui a. 1423 lege prohibuit in alterius fundo venari, apud Laſkium fol. 47. Metalli & quasuis alias fodinas, a STEPHANO rege a. 1576 conceſſas, omnes ſequuti reges nobilibus competere in pactis aſſerunt. In bonis vero regiis & præfecturis adhuc venatio & fodinæ ſoli regi competunt.

Notandum *libertatem quoque coniugii* regibus, a tempore SIGISMVNDI AVGVSTI, qui id ordinibus ſolenniter in comitiis Petricoviens. a. 1548. promiſit, inconſulto ſenatu, ademptam eſſe, quod, vt legem perpetuam STEPHANVS in pactis a. 1576, item MICHAEL a. 1669 agnouere. Porro libertatem quoque ſigilli priuati in cauſis publicis, & tandem extra fines regni proficiſcendi facultatem reges amiſerunt. Sic iam SIGISMVNDVS I. ſine conſenſu ordinum in comitiis Cracovienſ. a. 1515, Viennam iter ad Cæſarem, reipublicæ cauſa, non auſus ingredi. Sic poſtea SIGISMVNDVS III in conſtit. a. 1593 & 1598. VLADISLAVS autem conſtituit. a. 1641, pro ſe & ſucceſſoribus, abſque ordinum rei publicæ, non ſolius ſenatus conſenſu, ſe non profecturum extra limites regni, promiſit. De *angariis*, h.e. equis curſoriis, Polonis *Podwody*, poſtquam LVDOVICVS rex a. 1374 ſimul cum cæteris ſeruitiis & penſitationibus nobilitati remiſit, oppida tantum Poloniæ adhuc regibus obligata manent. vid. Conſt. a. 1620. 1647 & 1677. in quibus pecunia, olim pro angariis pendi ſolita, ad ordinationem poſtarum applicari iuſſa. Sic *ius poſtarum* regibus vindicatum.

Enarratis iuribus maieſtatis & regalibus, quæ regibus ademta, iam dicere attinet de iis, quæ integra, vel ex parte regibus reliqua ſunt. Primum ius maieſtatis, quod rex exercet, eſt *ius conuocandi ſtatus* ad comitia regni generalia, et ad conuentus palatinatuum et diſtrictuum prouinciales. Olim regibus liberum fuit, quando, et quo in loco vellent, comitia, conuentus, indicere, ſed iam ſub SIGISMVNDO I. non niſi ex conſilio ſena-

natus, ad certum locum, tam generalia regni, quam & prouincialia, indicta sunt, donec sub filio eius AVGVSTO SIGISMVNDO a. 1569. Varsavia, tanquam in meditullio regni & M. D. Lith. ad comitia regni electa fuit. vid. *vnio illa* a. 1569. Coronationis vero comitia ab antiquo Cracoviæ, propter gazophylacium regni, ibi asseruatum, celebrantur. Tandem a. 1673. Lituani euicerunt, ut tertia quæque comitia in Lituania celebrentur, exceptis interregnorum conuocationibus, electionum quoque & coronationum comitiis, quod IOANNES III. in pactis suis, et per constitut a. 1677. denique constitutione anni 1685. sacrosancte promittere coactus fuit. Idem constitut. a. 1699. repetitum. Tempus ordinariis biennalibus comitiis regni, sex, extraordinariis, duarum, hebdomadarum definitum, quod tamen consensu ordinum prorogatur. Secundum est *ius distribuendi dignitates, officia & beneficia vacantia*, tam secularia, quam ecclesiastica, quod quidem regale maximum, & quoniam dignitates atque beneficia in hoc vasto regno sunt longe splendidissima, opulenta & multa, imo fere innumerabilia, thesaurus regiæ maiestatis inexhaustus appellari meretur. Ex eo enim Rex, opum diues, nihil sibi retinens, infinitos amicos & gratos demeretur subditos, aut ob tristem ambitum, vel insatiatam aliorum auaritiam, magnos creat inimicos & male contentos. Vix enim vllus motus aduersus reges Poloniæ a subditis obortus fuit, cuius primæ causæ non in acceptione dignitatum, vel beneficiorum, infra spem expectantium, latuerunt. Vnde intelligere licet, quanta æquitate in aestimandis meritis vel affectibus potentium subditorum; quanta sapientia & præcautione, Rex in dispensatione officiorum & beneficiorum regni opus habeat, si iustas vel iniquas ambientium querelas euitare velit. Laudatur præ omnibus regibus STEPHANVS, quod tanquam verus virtutum & meritorum æstimator, absque vllo respectu odii vel gratiæ, beneficia etiam non am-

ambientibus, vel talia expectantibus, diſpenſauerit. vid. PIASECIUS in chronicis p. 61. Tamen corruptis per triſtem ambitum animis ſatisfacere, & rigorem iuſtitiæ eius non ferentium, feralia odia euitare nequiit. Limitatam quidem, etiam in diſpoſitione vacantium dignitatum & beneficiorum, habet Rex poteſtatem, vt nempe nulla alienigenis, ſed tantum indigenis nobilibus, Polonis & Lituanis, diſpenſet. Præſertim antiquum ius indigenatus Pruſſiæ, a CASIMIRO in priuilegio incorporationis a. 1454. conceſſum, & poſt multa diplomata regum etiam conſtitutione a. 1647. firmatum, Regem ſtringit, vt vacantias nulli, niſi indigenæ Prusſiæ, impertiat. Porro vt vltra ſex menſes nominationem ad vacantias non retineat, prope autem ante, vel ipſo tempore comitiorum, vacantia officia, intra octiduum aliis conferat: vt leges de incompatibilibus obſeruet. Herburt. fol. 143. nec vni familiæ duo inſignia miniſteria, maximasque dignitates regni conferat: vt quatuor menſibus a Septembri vacantes præfecturas militibus bene meritis: denique nullas præfecturas, vel officia, minorennibus, nec vltra duas præfecturas opulentas vni nobili, omnia vero gratis absque vllo pretio, vel obligatione ſecreta, largiatur & diſtribuat, quemadmodum in conſtitutionibus an. 1576. 1588. 1607. 1662. atque in omnibus pactis regum iuratis a VLADISLAO IV. vſque ad hodiernum Sereniſſimum Regem, cautum eſt. Atque ab hac regia diſpenſatione dignitatum & officiorum nulla omnino in vniuerſo regno excipiuntur, niſi palatinatus Polocenſis, gubernatio Samogitiæ, & omnium iudicum terreſtrium atque tribunalitiorum officia, quæ a nobilibus in ſuis diſtrictibus eliguntur. Nihilominus limitationes hæ legales regibus non adeo difficiles, quam concurrentium importunitas, quæ ſæpius illorum vitio, aut regum obſtinatione, ad graues motus ciuiles exarſit. Neque enim ſemper iuſta meritorum æſtimatio reges ab inuidia liberat, atque ſubditos corrigit, quamuis hoc omnium maximum ſit me-

dium, vt sapiens ille nobilis in scripto, *o Sposobach zawierania Seymow*, bene docet: *non vsque corrupti*, inquit, *sunt Poloni, vt flecti in melius nequeant, maxime si Rex prudenti distributione beneficiorum, maiestatem in animis subditorum formaret, quam sequerentur, si proderit bonos esse. Tunc enim praemiis bene vsus, & poenam securior malis adhibebit & executionem legum bonarum vtilissime, non solum non impediet, sed iubebit.*

Narrat ZAWADSKI histor. arcan. p. 44. *vltimum hoc maximum regale, equestrem ordinem regi Michaeli quoque eripere conatum, proposuisse, vt Rex in comitiis, secundum pluralitatem votorum senatus ex quatuor candidatis, a nobilibus singulorum palatinatuum propositis, nominare cogeretur dignitarios, officiales & praefectos.* Et sunt exempla, vbi in interregnis nobilitas vacantes dignitates distribuit, nempe post discessum HENRICI regis, Russiae rubrae nobiles HIERONYMUM SIENIAWSKI, palatinum, ANDREAM FIRLEY, castellanum, palatinatus Lublinensis, sibi electos, postea STEPHANO electo regi, confirmandos exhibuere. Heidenstein Rer. Pol. Lib. II. p. 94. Prutenici quoque palatinatus , in interregno a. 1696. tale quid audacter tentauerant, sed irrito euentu. Bene enim PIASECKI Chron. p. 531 rationibus euicit: *hoc ius neque toti reipublicae, ne dum singulis palatinatibus competere, sed soli regi.* Certe si hoc considerent, beneficiorum distributionem multo maiori motu & dissidio parium tot ciuium, quam vnius regis, cuius etiam iniusta dispensatio Maiestatis respectu tegitur, exerceri, facile a periculoso hoc, se ipsos ad ciuiles discordias inuitante iure & potestate, abstinebunt.

Tertium regale, quod regibus a statibus regni reliquum, *aerarium aulicum*, a thesauro reipublicae iam sub SIGISMVNDO AVGVSTO distingui coeptum, siue fiscus regius est. Olim enim omnes prouentus ex numerosissimis praefecturis regni, ad regem a praefectis, siue capitaneis, deferebantur, qui cum tributis a nobilibus, ab oppidis & agricolis, ex vastis illis prouinciis,

ciis, ad reipublicae onera sustinenda a regibus dispensabantur. Postquam vero episcopatus amplissimi, magisque semper monasteriorum ac abbatiarum bona a tributis exempta, denique sub LVDOVICO rege a. 1374. nobilium quoque ab ordinariis solutionibus liberata fuissent, tunc quidem sub LVDOVICO adhuc praefecturarum fructus certis summis a praefectis conducti, ad aerarium regis quotannis redimebantur. Cromerus Lib. XIII. p. 228. Sed mox sequutis temporibus, sub dynastia Iagellonica, propter grauissima cum crucigeris Prussiae bella, ad oppignorationes praefecturarum decurrerunt, quas tandem gliscente libertate, tenaces manus, lege publica ad ius possidendi aduitalitium alligarunt. Propterea non sufficientibus prouentibus illis regni, CASIMIRVS III. (qui acpostea ALEXANDER, maxime terras et bona coronae, acceptis summis oppignorarunt & tandem praefectis donarunt) a. 1456. nobiles rogare coactus fuit, vt exemplo episcoporum in extraordinariam contributionem generalem de suis quoque terris consentirent, qui mos tributa per conuentus prouinciales nobilium sciscendi, ab illo tempore inualuit. Idem Lib. XXVII. p. 399. Ad eum vero modum tributorum eo crebrius regibus recurrendum fuit, quanto semper plures praefecturae, ob immensos sumtus belli, denique prodigalitatem regis Alexandri, oppignoratae, aut plane ab aerario abalienatae, fuere.

SIGISMVNDO I. regnante adhuc praefecturae nonnullae nondum alienatae, ipsi regi reditus suos deferentes, reliquae fuerunt. CROMERVS Lib. II. *Descript. Poloniae*: sed iam tunc egestas summa aerarium regis inuasit. Laudat quidem Orichovius SIGISMVNDI I. regis parsimoniam & industriam, qua pleraque aere alieno oppignorata soluerit, & sic inopiae successorum regum prouiderit. Sed & paucas tantum praefecturas e pignore liberauit, & cum post eum aerarium regis multo magis imminutum esset, corrasum parsimonia eius argentum, filii SIGIS-

MVNDI AVGVSTI prodigalitati minus suffecit, nec sequentes reges iuuit. Certe reginæ BONÆ SFORTIÆ, SIGISMVNDI I. coniugis, post obitum mariti a. 1556. opes, inuito filio rege & senatu, in Italiam euectæ, & a GORNICKIO, teste oculato, in historia sua p. 139. tantopere declamatæ, videlicet argento & cimeliis pretiosis, quatuor & viginti seiuga plaustra, quibus insolitæ latitudinis orbitas in Alpium petris excauari oportuit, non ex prouentibus regiis, sed ex corruptionibus Simoniacis & artificiosis emunctionibus mulieris auaræ, congestæ fuere. GORNICKI enim refert, quod illa regina Bona, episcopo Cracouiensi ZEBRZYDOVIO indignata, exprobrarit: *Tu tu, qui episcopatum emisti.* Cui ille, propriam turpitudinem sibi obiicienti, regessit: *emi, quia vendibilis fuit.* GAMRATVM, hominem rudem & flagitiosum, pro pecunia eo vsque extulit, vt episcopatum Cracouiensem cum archiepiscopatu Gnesnensi vsque ad mortem teneret, quod auctor vitæ Kmitæ, Lubienski in vitis episcop. Plocens. Damalewicz & alii, increpant. Sub SIGISMVNDO AVGVTSO iam paucissimæ præfecturæ reliquæ fuerunt, eæque sub titulo oeconomiarum, vix ab auidis manibus, mensæ regiæ vindicatæ & conseruatæ sunt. Quæ oeconomiæ a. 1590. sub SIGISMVNDO III. (constitut. tit. *rationes stolu J. K. M.*) in regno ita enumerantur, regi ad mensam regiam reliqua, nec vnquam alienabilia. Nempe 1) salisfodinæ Cracouienses, Olkussenses & Russicæ 2) telonia regni & Russiæ atque Plocensia. 3) oeconomiæ, Sendomiriensis, Samboriensis, Mariæburgensis, Rogosnensis, Dirsauiensis, & bona magnæ procurationis Cracouiensis. 4) portorium Gedanense, Elbingense & Rigense 5) denique lucra ex monetarum officinis & 6) pecunia ex oppidis regni pro angariis. Verum postmodum ab his sublata iam sunt, oeconomia siue capitaneatus Dirsauiensis oppignoratus, item portorium Rigense, item lucrum monetarium, quod SIGISMVNDVS ille a. 1632. reipublicæ cessit. Porro in Lithuania regi a. 1589. assignata fuere

oeco-

oeconomiæ Grodnenſis, Schawelenſis (quæ tamen a. 1661. oppignoratæ) Brzeſcenſis cum Kobrynenſi, Mohilovenſis, Olitenſis, atque telonium antiquum. Ex hiſce bonis regiæ menſæ, meliori adhuc æuo illo, legati ad HENRICVM, regem electum in Gallia verba facientes, prouentus omnes ærarii regii, vltra tres milliones florenorum Francorum extollere nequiuere. Ex penuria autem publica regis, dicit BRAUNIUS, tædium imperandi & artes emungendi, denique & premendi ſubditos, materia motuum ciuilium, diffidentia, tandem reuolutio ſtatus cum interitu libertatis metuenda ſunt. Dum enim omnis fere poteſtas regibus, circa iura maieſtatis atque ærarium extorta eſt, in pace, ruptis facile comitiis ad ſciſcendum tributa indictis, exercitus, ſtipendiorum egens, ſub diſciplina contineri, in bello autem ad actiones bellicas iuſto numero & tempore educi nequit. Aſt in motu ciuili bonorum ciuium pars, ad regem, etiam optime reipublicæ cupientem, conuolare, quia rex inops eos tueri nequit, non audet. Idcirco CROMERVS Lib. I. epiſtolar. Karnkovianarum epiſt. 64. non male iudicauit: *minus eſſe reipublicae periculum a rege diuite, quam ab egeno, praeſertim indigena.* Tandem BRAVNIVS circa finem ſuæ diſſertationis hæc verba ſcripſit, quæ memoria digna videntur. „Vſque adeo largiſſimi quidem appetuntur reges, ſed prouentus „eorum quaquauerſus extenuantur, vt tandem per imminutionem perpetuam regalium, ex regibus meros ſtatus ſui faciant „miniſtros, quales ſunt duces Venetorum, quod miniſtri regis „Galliæ, principe ſuo HENRICO, rege Poloniæ electo, Polonorum legatis exprobrauerant. Fredro in Henrico p. 97. Hi vtut „iura maieſtatica regum Poloniæ, in oratione illa legati epiſcopi „Poſnanienſis KONARSCII, ſplendidis verbis illuſtrare, eaque „aſſertione exterorum contemtum refutare voluerunt, nihilominus hoc prudentibus politicis exteris cogitandum reliquerunt: *Num recte principibus, abſolutae dominationi a progenitoribus ſuis in*

po-

populum assuetis, ministri eorum consulant, vt sceptrum vsque adeo legibus ac potentia nobilitatis longe maxima, restrictum, coronamque propter solum titulum regium, tam anxie, tantis laboribus & sumptibus ambiant, in cuius tandem difficulter obtenta possessione propter desiderium amouendorum obstaculorum regnandi, pro felicitate meras calamitates populorum gignant, aut taedio status sui tabescant. Laudanda certe fuit Cæsaris MAXIMILIANI apertus animus, qui tandem, post HENRICVM regem, factione externa & interna electus, cum non sibi, sed filio ERNESTO Archiduci, coronam hanc præoptasset, tunc demum penitus cum ministris suis, conditionibus legatorum Polonorum inspectis, tam angustis limitibus constrictam noluit acceptare coronam, donec a legatis scissionis, quæ ipsum elegerat, multis precibus exoratus, ad speciem tantum consensit, electionem tamen non prosequutus fuit, sed magno malo partis illi adhærentis neglexit.

II

VITA ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS XLVII seu regni Poloniae primatis, NICOLAI DZIERZGOWSKI.

Auctore STANISLAO BUZENSKI, *decano & officiali generali Varmiensi, Gnesnensi & Cracouiensi canonico.*

IAm ea tempora veniunt connotanda, quæ defleri magis, quam describi, possunt. Tam enim sæua tempestas contra nauem Petri, ecclesiam, in hoc regno insurrexerat, vt grauissimis quassata fluctibus, nisi in eius auxilio, qui habitat in altis, rabiem compresserit hæreticam. Tam tristis vicissitudo fastos impleuit DZIERZGOVII, cuius origo in terra Ciechanouiensi palatinatus Masoviæ. Fuerat stirpis accipitrinæ, seu Iastrzembecius. Genus illi patricium, cum parens fuisset castellanus Ciechanouiensis, mater Catharina de Wilkanowo, stemmatis vulpium. Amplioris census parens filium liberaliter educauit. Minoribus auctus

sa-

sacerdotiis, vt mihi constat ex epistola CRICII, Plocensi tum, postmodum GAMRATO promouente, cui maioris fortunæ debebat incrementa, Gnesnensi auctus canonicatu, quem cum episcopatu retinuerat Camenecensi. Tanti patroni fretus auxilio, consilio, tum & reginæ BONÆ accedente promotione, ad tantos euasit gradus. Erant ea tempora SIGISMVNDO I. regnante, præsertim ipso iam senectute laborante, vt tota honorum & dignitatum distributio nutu & arbitrio reginæ dispensaretur, & tam sacra, quam ciuilia munera in eius concesserant potestatem, nec nisi iis conferebantur, qui beneficentiæ, promotioni reginæ, aureis reponerent antidotis. Hæc enim mulier Italico sanguine orta, ingentes animo conceperat opes, iisque coaceruandis nullam prætermiserat occasionem, quas deinde in Italiam transtulerat, hisque Polonorum spoliis externum auxit fiscum.

Auspiciis igitur & ductu GAMRATI a Camenecensi, Chelmensi, Vladislauiensi infula, ad metropolitanæ prærogatiuæ culmen euectus anno 1545. Translationem ad ecclesiam Gnesnensem confirmauit, approbauit, PAVLVS III, summus pontifex. Gnesnam & sponsam primum visurus, frequentia procerum, Polonæ nobilitatis, & aulico famulitio comitatus venit. Nomine sacri collegii exceptus & salutatus ab oratore SEBASTIANO ZYDOWSKI, gente Dolivio, episcopo Naturiensi, suffraganeo Gnesnensi.

Vltimum, ante obitum, SIGISMVNDVS rex indixerat conuentum Petricouiæ anno sequenti, 1547, decurrenti & præcipiti autumno, circa diem festi S. Martini episcopi. Publico huic intererat consilio NICOLAVS Arhiepiscopus. Verum hæc comitia vltima concludens SIGISMVNDVS languere occipiebat, graui eaque extrema oppressus infirmitate, ægre Cracoviam carpento deportatus a. 1548, diebus Februarii. Neque multum abiit temporis, cum Sigismundus Rex, princeps im-

mortalem promeritus gloriam, annum agens octogesimum secundum, ipsis calendis Aprilis a. 1548. exuit mortalitatem, ad extrema eum præparante vitæ, sodali Dominicano, suoque theologo. Reliquit regnum pacatissimum, supra vnum & quadraginta annos feliciter in Polonia regnans. Princeps singulari pietate, prudentia, iustitia, fortitudine, temperantia, iniuriarum obliuione, rerum aduersarum tolerantia excellebat, in illos, qui ei fuere obliqui, clemens & benignus, ingenio acuto, memoria felici, corpore sanus & robustus, adeo, vt ætate florente ferreas equorum diffringeret soleas, funes cana binos crassiores rumperet, balistam manu intenderet, chartularum fasciculos discerperet. Parcior plerisque habitus est, non suo vitio, sed ex comparatione antecessorum, qui, perquam prodigi, regios imminuerent census. Poloniam ac Lithuaniam ad ciuilitatem ac omnem expoliuit elegantiam. Ob eximias virtutes ac dotes, magno principe dignas, a Paulo Iouio, episcopo Nucerino, historiarum sui temporis disertissimo scriptore, annumeratur iis principibus, qui tum rerum gestarum gloria vixere celebres, CAROLO V. Imperatori, FRANCISCO I Galliarum regi, qui nisi simul imperassent, digni fuissent singuli, qui totum gubernassent orbem. Quadriennio ante mortem magni ducatus Lithuaniæ dominationem in conuentu Lithuanorum, quem Brestæ indixerat, transtulerat in SIGISMVNDVM AVGVSTVM.

Ad reginam BONAM Dzierzgovius, qui tum Gnesnæ degebat, vulgato de regis morte, vnum cameræ suæ familiarem, cum literis expediuit, certiorem notitiam de SIGISMVNDI excessu, passu quam celerrimo ei adferret, pollicitus se quam primum Cracouiam venturum, vt in tam tristi orbitate publicis consuleret commodis. Vilnam etiam subito misit nuntium SAMUEL MACIEIOVIVS, episcopus Cracouiensis, regni cancellarius ad SIGISMVNDVM AVGVSTVM, rogando hortandoque, vt quantocyus in

Polo-

Poloniam properaret. Verum & consiliarii regni & proceres, qui tum Cracoviam conuenerant, postridie ab excessu regis ablegarunt Vilnam IOANNEM PRZEREMBSKI, Cracoviensem præpositum, Macieiovii familiarem & regni cancellariæ regentem, qui die martis proxima post festum paschæ Vilnam abiit cum præscripto legationis, in quo grauis momenti publica regni negotia, SIGISMVNDO AVGVSTO repræsentanda, commissa fuerunt, rogando, vt quamprimum tempus & diem funeri regio designaret, ac ipsemet curam reipublicæ orbatæ capesseret. Vita & desideria impleuit SIGISMVNDVS AVGVSTVS, & Vilna profectus, relicta ibidem BARBARA RADZIVILIA, *Stanislai Gastoldi*, Trocensis palatini olim consorte, cum qua, inscio parente, paulo ante mortem contraxerat matrimonium, Cracoviam venit, paucisque diebus interpositis, conuocatis, qui Cracoviæ præsentes fuere, proceribus, diem funeri designauit VII. Ca. Augusti. DZIERZGOVIUS intererat funeri, & sacrum piaculare pro anima regis in basilica Cracoviensi decantauit. Sermonem dixit SAMVEL MACIEIOVIUS, episcopus Cracoviensis, qui legitur annexus operibus STANISLAI HOSII Cardinalis, episcopi Varmiensis. Iustis patri persolutis, Rex die Mercurii, legatis ac principibus epulum præbuit largissimum, tumque primum in mensam regiam illatæ carnes, quod ante in Polonia nunquam visum, plurimisque, hoc prisci moris, auitæ pietatis retinentibus, vehementer displicebat. Poloni enim, ecclesiæ primitiuæ consuetudini, an legi, insistentes, abstinentiam a carnibus, die Mercurii, constanter seruabant. Quamuis enim a 1505. ERASMUS VITELLIUS Plocensis episcopus ex vrbe rediens, a IVLIO II diploma Pontificium, cuius autographum CROMERUS in breuiario scripturarum archiui narrat se legisse, attulisset, quo libere omnibus potestas permittebatur, feria IV carnibus vescendi, non fuit tamen quisquam in toto Poloniæ regno repertus, qui ea potestate concessa, vti vellet. Verum in

tiam hoſpitum Germanorum, qui cibos & dies non diſtinguebant, ſane id erat factum. Hoc credebatur præſagium, vetuſtam illam conſcientiarum teneritudinem, hoc rege, in impiam quiduis credendi libertatem breui fore commutandam.

Interim aſſumens reipublicæ curam SIGISMVNDVS AVGVSTVS indixerat conuentum Petricoviæ, qui non niſi circa ortum anni 1549. fuit inchoatus, ad quem multi procerum & equitum confluxerunt. Plurimorum erat diuerſus ſenſus circa regis matrimonium. Rex ipſe Vilna venerat, neque iam in occulto, ſed palam omnibus fuit, eum BARBARAM thori & ſceptri ſociam aſſumſiſſe. Circuli equeſtris, ſeu nuntiorum terreſtrium præſes, IOANNES SIERAKOVIVS, poſtea palatinus Lanciciensis, matrimonium hoc regis magna reprehendit libertate, adductis Polonæ antiquitatis exemplis. Rex ipſemet reſpondit: fidem ſuam erga rempublicam fruſtra in dubium vocari, quæ ipſi omni vita ſua carior, vxoremque, cui fidem obligarit, non dimiſſurum. Non quieuere nuntii repetita poſtulatione, eorum nomine PETRVS BORATINVS, eques Roxolanus, rogabat regem, vt hoc matrimonium, cum reipublicæ contractum præiudicio, dirimeretur. Verum Rex immotus perſiſtebat, neque ſupplici Boratini ſermoni, circa cuius concluſionem, vt GORNICIVS & BIELSCIVS teſtes, in genua prociderant nuntii, non aliud dedit reſponſum, niſi iuramentum & fidem vxori datam, nunquam ſe violaturum. Quo facto ſenatus auctoritate flectendum regem nonnulli autumabant, & DZIERZGOVIVS, ſenatus princeps, ab ordinibus regni requiſitus, ſimplici ac prudenti allocutione vſus, aliud matrimonium boni publici cauſa potius ineundum, reſciſſo priori, ſuadebat, quam vt in præſenti quies publica concuteretur. Inſtante inſtiganteque regina BONA hæc facta fuiſſe, certis habetur comprobatum documentis. Nihil tamen matris reginæ conatus, nurum deteſtantis, nihil procerum, equeſtris

ordi-

ordinis, reginam hanc recusantium, liberiores & asperiores voces profuerunt, quin imo, ne aures diutius molestis obtunderentur querelis, abruptis negotiis, auertendisque ingruentibus periculis, in Lituaniam se ex Polonia Rex proripuit. Non deerant tamen in senatu, qui hoc regis matrimonium, nullo incommodo boni publici, nec etiam regis probro contractum, nec infectum aut irritum posse reddi, magnis rationum momentis euincebant, quorum erat signifer MACIEIOVIUS, episcopus Cracoviensis. Ex ea occasione languida fuerat circa bonum publicum cura, rege & statibus regni non bene cohærentibus. Tartaricæ incursionis procella, tractum Roxolanum atrociter diuexauit, ingentem hominum, iumentorum multitudinem abegit, Peredmirco castello incenso, CONSTANTINVM ducem WISNIOWIECIVM cum vxore in foedam abduxit seruitutem. Forte tum Rex Cracoviam venerat, regni ordines feruenter, tam manifesto auertendo periculo, efficax remedium, regni conuentum indici, flagitabant importunius. Eorum nomine archiepiscopus, qui erat Cracoviæ, regem ad comitia indicenda sub minis hortatus est. Rex theatralem iam illo tempore inualescentem nuntiorum eloquentiam leniter taxauit, dum, inquit quosdam se ipsos, tanquam in scena, ostentandi potius, quam publicum bonum promovendi studio ductos, regiis consiliis obstare: se tamen inuito & cum iurium maiestatis conuulsione, neminem conuentum ordinum regni congregaturum, disertius archiepiscopo respondit. Ab eo cum rege colloquio, cum per aliquot dies Cracoviæ substitisset, archiepiscopus illas minas, quas regi denuntiabat intra verba retinuit, nec vltra progrediendo Cracovia Lovicium reuenit. Non quiescebant nihilominus acerbiores contra regem querelæ. Porro Rex de BARBARA in reginam inauguranda summe fuerat sollicitus. Videbantur quadantenus iam illæ animorum auersiones con-

tra BARBARAM & Regis matrimonium subsedere, vt fere in similibus euenit, acriora initia, incuriosus finis. Sæpe, quod ratio nequit, sanat mora, cumque impar sit consilium, lenit temporis longitudo. Ab illo Petricoviensi conuentu, Dzierzgovius & Kmita, BONÆ matris, præcipua instrumenta, ita fuerunt mutata, vt SIGISMVNDI AVGVSTI desideriis applauderent, orientemque magis quam occidentem adorarent solem. Itaque designata coronationis die reginæ BARBARÆ, quæ fuerat VII idus Decembris, hæc inaugurationis solennia peregit archiepiscopus, & reginam BARBARAM, ritu consueto, sacro chrismate delibutam, corona redimiuit. Actum hunc adornabant vicini ex Silesia principes, Lignicensis & Tessinensis duces, tum legati marchionis Brandenburgici & ducis Prussiæ ALBERTI. Coronationem reginæ Barbaræ præcesserat vno & dimidio mense, obitus SAMVELIS MACIEIOVII, episcopi Cracoviensis, cuius episcopatus non subito a rege competitoribus, anxia spe distractis, fuerat declaratus, consultoque Rex distulerat in tempus & diem corouationis reginæ. Hoc tempore hospitabatur NICOLAUS RADZIVILUS palatinus Trocensis, in domo canonici Cracoviensis Podlodovii, referendarii regni, qui hospitem egregiæ humanitatis officiis excipiebat, quæ in tantum placebant Trocensi Palatino, vt eum ad ampliorem gradum euehere spoponderit. Instabat feruentius, vt per promotionem Barbaræ, Cracoviensis renuntiaretur episcopus, quod quidem non grauatim successit, & Rex iam declarauerat ad eum gradum attollere Podlodovium. Quam primum vero hoc innotuit ordini sacro, aliqui ægris oculis, neque placatis animis, tam subitam Podlodovii euectionem indignabantur. ANDREAS ZEBRZYDOVIUS, episcopus Vladislauiensis, ad illam asperabat cathedram, remque illius apud regem agebant palatinus Vilnensis & Trzebuchovius, regiæ cameræ Secretarius, verum & archiepiscopus

piſcopus cauſæ ZEBRZYDOVII fauebat impenſius. Impetrata licentia alloquendi regem, dixit, minime decere diſtributiuam iuſtitiam a rege conuelli, concludendo interminatus regi, ſe rebus infectis abiturum, necdum enim BARBARA fuerat coronata. Permouit ſermo archiepiſcopi Regem, mutataque ſententia, illum epiſcopatum contulit ANDREÆ ZEBRZYDOVIO, qui erat nepos ex germana ſorore Cricii, archiepiſcopi Gneſnenſis. At non diu licuit reginæ BARBARÆ tanta frui felicitate. Ab ipſo enim inaugurationis die morbo correpta, per hyemem integram ac vernos menſes cum eo conflictata Cracoviæ ipſo die ſacro pentecoſtes throno & vita exceſſit. Non defuerunt, qui non ex vano ſuſpicarentur, a proceribus Radzivilianæ domus æmulis, medici cuiusdam Itali opera, propinato inter medicinas veneno, vitæ finem eidem fuiſſe factum.

Illo tempore plurimi nouis & peregrinis circumuenti doctrinis priscos eccleſiæ ritus contemnebant, & contra ſacrum ordinem inſurgebant. Tam atrox exorta viciſſitudo anxiis fatigabat curis archiepiſcopum, qui, vt narrat IOANNES GROTKOVIUS, tum clero aliud præſtandum, circa fidei catholicæ conſtantem retentionem, iuramentum iniunxit. Inſuper toti clero indixerat contributionem, quæ collecta in donarium regi oblata, vt hac largitione delinitus religionem & ſacrum ordinem ab inualeſcente defenſaret hæreſi, factumque hoc nullo prorſus euentu. Rex enim ipſemet ſuſpicionibus ſermonibusque populi vapulauit, veluti fauens & ſectæ Lutheranæ obnoxius. Nec erat obſcurum, novas hasce doctrinas regem non improbaſſe. Luculentum eius rei documentum & mihi videre contigit a. 1665, dum ab ANDREA OLSZOVIO, Culmenſi epiſcopo, regni procancellario, eccleſia S. Iacobi apoſtoli a Thorunenſibus iure vindicaretur, quæ pro religioſis virginibus ord. S. Bened. a crucigeris olim cum coenobio fuerat erecta. Pars citata ſuper illius

eccle-

ecclesiæ retentionem produxit rescriptum Sigismundi Augusti, manu ipsius subscriptum.

Non vero efficacius remedium visum, vt afflictæ ecclesiæ consuleretur, nisi quam primum congregare synodum, in eaque consultare, quomodo concussa ecclesia posset roborari. Erant nonnulli episcopi, qui facti ecclesiæ columnæ, minime illam sustentabant. Præcesserat STANISLAVM HOSIVM in episcopatu Varmiensi FIDEMANVS GISIVS, qui strictiorem exercens amicitiam cum Erasmo Roterodamo palam nouis fauebat dogmatibus. Vixit ante eum Fabianus de Lusiam, qui Lutheri doctrinam non improbabat. Ioannes Dantiscus, olim Petri Tomicii familiaris, & illius promotione ad Culmensem euectus cathedram, inde ad Varmiensem, cum Georgio Sabino, rectore Academiæ Regiomontanæ, qui fuit gener Philippi Melanchtonis, familiarius vixit, prout testantur mutuo ab vtrinque scriptæ versu epistolæ, quæ impressæ sunt. Congregauit itaque Petricoviæ synodum Dzierzgovius. Præter alios episcopos, ad eam synodum venerat Stanislaus Hosius, Varmiensis episcopus, rogante impensius archiepiscopo, cautionemque præstante, ne in exemplum traheretur, neque intersint synodis prouincialibus episcopi Varmienses, qui nullum recognoscunt metropolitanum, solam duntaxat immediatam sanctæ sedis subiectionem. Eiusdem synodi nomine HOSIVS doctissimo calamo elucubrauit confessionem fidei catholicæ, quod opus Latinum in varias linguas translatum multa fatigavit præla. Interim multi procerum & equitum nouis dogmatibus imbuti, ad cladem orthodoxæ fidei adeo erant intenti, conniuente aut dissimulante Augusto, vt in extremam deuoluere ruinam fidem catholicam Romanam, supra quinque sæcula in hoc regno propagatam, contenderent. Fulti aliquorum protectione, qui nouis adhæserant sectis, catholici

facer-

ſacerdotes ad illicitas conuolabant nuptias. Eorum primus fuit IOANNES de LASKO. Hac eadem doctrina lymphatus STANISLAVS ORICHOVIVS, Roxolanus, canonicus Præmislienſis, vir alioqui doctus. Is, cum aliqua labe incontinentiæ notatus fuiſſet, quod ipſemet recognoſcit, in dialogis materna lingua impreſſis, IOANNES DZIADVSCIVS, epiſcopus Præmislienſis, ſeuerius in vitam & mores Orichovii animaduertit, paternam correctionem impotenter ferens Orichovius. Cum apud PETRVM KMITHAM ex gynecæo conſortis eius nobilis virgo, tanquam ſacerdoti, denegaretur, illicito matrimonio conciliando, ſuam commodarunt auctoritatem ANDREAS comes de GORKA, Poſnanienſis caſtellanus & MARTINVS ZBOROVIVS palatinus Sendomirienſis, vterque nouatorum doctrinis ſeductus, earumque magnus Achilles. Itaque hi duo proxenetæ perfecerunt, vt IOANNES CHELMIVS, eques terræ Cracouienſis, filiam ſuam, Magdalenam, elocaret Orichovio, nuptiæque, non attento voto cœlibatus & caſtitatis, peractæ in pago Liſzczyno, Andreioviæ, oppido abbatiali, vicino. Cum itaque innotuiſſet DZIADVSCIO epiſcopo, Orichovium, eccleſiæ ſuæ canonicum, contemptis iuribus eccleſiæ, iniiſſe matrimonium, illum tanquam in hæreſin prolapſum, citauit, ac contra eundem fulmina cenſurarum mandauit publicari. Archiepiſcopus, qui eodem anno ſynodum Petricouiam conuocauerat, eandem approbauit ſententiam, inſtititque apud regem, vt in Orichouium hæreticum excommunicatum, tum conſueta fieret executio. Rex annuit datque negotium PETRO KMITÆ, palatino Cracouienſi, regni mareſchallo, qui fuerat capitaneus ſeu gubernator Præmislienſis, vt ex lege in Orichovium, iudicio epiſcopi condemnatum, ageret. Verum KMITA cunctando differendoque rem de die in diem extraxit, & ad co-

mitia, quæ anno vertente incidebant, reiecit. Verum ORICHOVIVS tot procerum, qui ab ecclesia Dei recesserant, aut languebant in fide, patrocinio, clientelis, nixus, ingentem contra sacrum ordinem concitauit tempestatem, vt ipsemet in annali quarto & in dialogis iactabundus narrat. Sed is annalis quartus neque typo est impressus. Innotuerat SIGISMVNDO AVGVSTO, Moschoviæ ducem Romam legationem expediuisse, qua illuderet summo Pontifici, se velle a Græco schismate recedere, & ad sacra ecclesiæ catholicæ suscipienda vertere animum, dubia fide profitetur. Rex, quam primum intellexit, Moschorum ducem talem ad vrbem expediuisse legationem, ALBERTVM CRISCIVM, Succamerarium Plocensem, virum ingenio, ciuili prudentia egregium, mittit ad summum Pontificem, adiunctis litteris totius senatus, ne Pontifex Moschorum duci fidem habeat, hæcque speciosa verbis, re inania, sibi proponi aduertat animum. Adiuncta hisce erat scheda pro ORICHOVIO, datumque serio in mandatis CRISCIO, vt pro matrimonio eiusdem stabiliendo, apud Pontificem omnem intenderet curam. Additæ ibidem rationes, & hæc inter alias, ne Orichovius, ab episcopo seueriori condemnatus sententia, in desperationis barathrum protruderetur & partibus adhæreret nouatorum, non absque rei christianæ incommodo. Feruebant interim contra desertores fidei catholicæ episcoporum iudicia, eosque ad normam priscæ legis rigidioribus notabant decretis. Archiepiscopus IACOBVM OSTROROGVM, tum & CHRISTOPHORVM LASSOCIVM, viros natalium claritudine spectatos, ad suum euocatos iudicium, tanquam ab ecclesia Dei transfugas, condemnauit. ANDREAS ZEBRZYDOVIVS, Cracouiensis episcopus, Krupkam Przeclauium, Lutherana doctrina imbutum, necquidquam MARTINI Zborovii protectione obsistente,

stente,

ſtente, hæreticum iudicialiter declarauit, latoque contra eum decreto, eiusdem executionem ad officium remiſit caſtrenſe. IOANNES DZIADVSKI, epiſcopus Præmislienſis, contra STANISLAVM STADNICIVM, hæredem in Dubiecko, hæreſis & doctrinæ peregrinæ manifeſtum, citatum per publicum edictum, non comparentem, vti contumacem, eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtrinxit gladium, contumacem, excommunicatum declarauit, executionem rei iudicatæ ad caſtrum remiſit Præmislienſe. Sed tandem hæreſis potentia præualida, neque rege illi obſiſtente, diſciplinam eccleſiaſticam in proximo generali conuentu Petricouiæ ita labefactauit, ut obtentu libertatis, quam imminutam euincebant iudiciis epiſcoporum, quiduis audendi, quiduis credendi, facta ſit poteſtas. In hoc conuentu præter alias conſultationes & hæc magno motu ab ordine agitabatur equeſtri, ſeu terrarum nuntiis, vt epiſcoporum iudicia contra nouatores, & tam grauis circumſcriberetur poteſtas. Præceſſerant eum generalem conuentum particulares, ſeu terreſtres, quorum vna eademque conſpiratio fuerat, circa imminuendam, aut penitus tollendam, epiſcoporum iurisdictionem contra fidei catholicæ deſertores. Ad conuentum Wiſnenſem, qui eſt terrarum Ruſſiæ, venerat Orichovius, cum ibi quoque archiepiſcopus Leopolienſis, PETRVS STARZECHOVIVS præſens eſſet, is, vt ingenio, facundia pollebat, flens, lachrymabundus ad nobilitatem, quæ ſchiſmate Græco etiam nouatorum doctrina erat imbuta, appellauit, ac ne ſe ad ſupplicium, epiſcopo Præmislienſi dedant, demiſſe rogauit: adeſſe iam mandatum regis, quo ad necem detur, niſi ei celeriter ſubueniatur. Archiepiſcopus hæc audiens, Orichovio compatiebatur, dicebat nihilominus, ea non debere in dubium vocari aut reſcindi, quæ priſcarum legum præſcripto ſint approbata. Nobilitas tota Roxolana, lectis

nuntiis, Orichovii causam diligenter commendauit, nihilque maiori promouendum conatu iis demandauit, quam vt episcoporum potestas, circa iudicia prauis doctrinis infestorum abrogaretur. Eadem, fere tota regni nobilitas, in aliis conuentibus magno motu promouebat. Cum itaque dies, illis comitiis designatus, aduenisset, Rex ipsis Calendis Febr. Vilna venerat Petricouiam, ac vt moris est prisci, pro felici conuentus successu, dum missæ sacrificium celebratur, ventumque ad sacratissimi corporis Christi eleuationem, inuenti nonnulli, qui nullam tanto mysterio exhibuerunt reuerentiam, capitibus coopertis, nec genu flexione Christum saluatorem, in eucharistia præsentem, adorarunt, ominosum quidpiam videbatur, & tristem aliquam in regno metamorphosim exorituram, erant qui præsagerent, quod vaticinium non fefellit. Tanta enim rabies, tam immanis furor, contra episcopos & ordinem exarserat spiritualem, vt conuitiis, contumeliis palam, lacerarentur, talibusque onerarentur opprobriis, quæ nusquam ante in catholico audita regno. Andreas Zebrzydovius, Cracouiensis episcopus, graui ac ad omnem modestiam composito sermone fremitum nuntiorum contra ordinem sacrum emollire contendebat. Verum motus ille non quiescebat. Rex tandem per Ioannem Ociescium, regni cancellarium, declarauit: *causarum religionis cognitionem, dogmatum nouorum discretionem, ad solos pertinere episcopos, verum honoris aut capitis diminutionem, ad illorum iudicium minime spectare.* Hoc edictum regium, sacrum episcoporum collegium adeo anxietate & graui perculerat dolore, vt lamentando, protestando, contra vim ecclesiæ illatam, positamque securim ad exidium catholicæ disciplinæ, triduo a publico senatus consilio abfuerint. Postea tamen regressi, quod iam factum, non poterant reddere infectum, ab eoque tempore

iudici

iudicium episcoporum in causis nouatæ religionis penitus concidit, literæque regiæ ad capitaneos super executione facienda in bonis & personis, de mutata religione conuictorum, ne amplius extraderentur, regia declaratione, tribunitiaque vetitum intercessione. Eo finito conuentu Orichovius, episcopum loci ordinarium, tum & totum sacrum collegium supplex deprecatus, cuius motu, occasione, tantum inflictum erat vulnus ecclesiasticæ potestati, familiariter cum episcopis conuersabatur, consultabatque de restituenda in integrum antistitum prostrata iurisdictione, cuius conuellendæ tollendæque ipse præcipuus erat motor & auctor.

Viduus tum erat Rex, mortua non ita pridem BARBARA RADIVILIA. Nouum ergo connubium suasu amplissimi senatus, CATHARINA Austriaca, FERDINANDI, Romanorum imperatoris, altera filia, GVILIELMI, Mantuæ ducis relicta vidua, digna throno & thoro visa, IVLIO III, Pontifice maximo, ratum gratumque illud matrimonium habente, qui illud dispensandum potius, quam prosperandum dictitabat. Decennio igitur a prioribus nuptiis cum ELISABETHA euoluto, missi a rege legati Græcium Styriæ ad Imperatorem, NICOLAVS RADIVILVS, palatinus Vilnensis, & IOANNES PRZEREMBIVS, regni procancellarius, qui pactis connubialibus constitutis, vna cum FERDINANDO Archiduce, CATHARINÆ fratre, Cracoviam eandem deduxerunt, quam DZIERZGOVIVS matrimonio SIGISMVNDO AVGVSTO iunxit & ritu iunctæ solenni regale imposuit diadema, XII. Calendas Augusti 1553. At interim variæ sectæ ecclesiæ vnitatem & antiquitatem lacerabant, vires & animum sumebant, ab ipsa gentilitia libertate, quæ in licentiam degenerabat, quas & aula indulgenter fouere videbatur. Primariæ, in regno & magno ducatu Lithuaniæ, domus, a fide catholica Romana de-

sciuerant. Per minorem Poloniam Firleii, Zborovii, Olesnicii, Ossolinii, Szafranecii, Lanskoronii, Stadnicii, non impigre ex Germania, Gallia, importatas nouitates promouebant, scholis erectis, templisque catholici ritus profanatis, quorum computum in priuatis procerum & nobilium supra millia quinque fuisse, connotauit Stanislavs Rescivs, canonicus Varmiensis, Hosii Cardinalis familiaris. In maiori Polonia cooperabantur comites Gorcani, Ostrorogii, Leszczynii. In magno ducatu Lithuaniæ Nicolavs Radivilvs, maximis in Lithuania perfunctus muneribus, primus Vilnam Calvini dogma induxit. Nec deerant, alia horum nomina, Sapiehæ, Chodkiewicii, Kiscæ, Dorostayscii, Pacii, holowczynii, a prisca maiorum recesserant fide, quanquam plerique ad gremium matris ecclesiæ postliminio redierunt. Nonnulli ex sacro ordine, quorum erat Orichovius signifer, ad nuptias conuolarunt. Martinvs Krowicki plebanus, Iacobvs Przylvski, presbyter, vxores duxerunt, Picardorum dogma professi, idem per minorem Poloniam propagarunt, vterque protectione Petri Kmitæ fultus. Przylvscivs, promotione Kmitæ notariatum terræ Cracoviensis prensauit, regni statuta compilauit, ac in iis sacrum ordinem insectatus est, merito ab Andrea Lipscio, episcopo Cracoviensi in decade quæst. regni publ. *Cleromastix* appellatus. Neque duntaxat minor clerus deficiebat, etiam maiores columnæ nutabant. Hæc cum innotuissent Pavlo IV, pontifici maximo, misit in Poloniam nuntium apostolicum, Aloysivm Lippomanvm, e primaria Venetorum nobilitate, Veronensem episcopum. Is cum venisset ad Sigismvndvm Avgvstvm, nomine pontificis, monuit regem, vt hæresin acrioribus etiam coerceret mediis. Secretius hæc dicta euulgata, & ad notitiam Ra-

DIVILI, tum ad alios, deuenerunt, qui odium, indignationem apertam contra LIPPOMANVM expromebant, aliquas etiam mordaces ſpargebant chartas, quas ille contemnebat. Narrat BIELSCIVS, etiam in vitam ipſius aliquas fabricatas fuiſſe machinationes. Rex cauſabatur, ita ſibi ligatas manus, vt inanem conatum & operam circa præmiſſa attentaret. Vilnæ hæc acta, vbi LIPPOMANVS non diu moratus Lovicium venit, vt cum DZIERZGOVIO communicaret, & ſuccurreret eccleſiæ tantis agitatæ fluctibus.

Interim regina BONA, SIGISMVNDI AVGVSTI mater, vergente iam in ſenium ætate, cum ſupra annos triginta manſiſſet in Polonia, ingentesque coaceruaſſet theſauros, ſeu amore natalis ſoli capta, ſeu quod in regia filii, non ea pollebat auctoritate, quam retinebat antea, cum omnes ſacros, ciuiles honores, magiſtratus, dignitates publice haberet venales, auctione propoſita, ſequiori conſilio Italorum Neapolitanorum, LAVRENTII PAPAGODÆ, CAMILLI BRANCATII obſecundando, curandæ languentis valetudinis obtentu in Italiam iter, Barium verſus, apparabat. Rex filius, & filiæ tres, ISABELLA, vidua relicta IOANNIS Hungariæ, CATHARINA, ANNA, virgines, lachrymabundæ, totusque ſenatus deprecabantur, decenterque dehortabantur, vt a deſtinata abſiſteret via, & in Polonia regis vxor, mater, vitæ reliquum exigeret honorifice potius, quam in dominationem alterius principis cum ingenti regni detrimento, aſportata maximi pretii gaza, concederet. Verum BONA nullis precibus ſuaſionibusque flecti poterat. Tandem magnis largitionibus regem, ſenatum, in ſuum pertraxit ſenſum, vt non grauatim abiturientis deſiderio aſſentirentur. ANDREAS vero ZEBRZYDOVIVS, epiſcopus Cracouienſis, IOANNES PRZEREMBIVS, regni procancellarius, & IOAN. TARNOVIVS, caſtellanus,

Craco-

Cracoviensis, valde obstiterunt, ne BONA regno egrederetur. Tandem IOAN. OCIESCIVS, regni cancellarius, literas passus obsignauit, & cum STANISLAO TENCINIO, palatino Cracoviens. totam rem confecit, iterque liberum e regno expediuit. Dixisse fertur BONA, voti facta compos, emptis procerum suffragiis: *& filium mihi vendidissent, si voluissem.* Abiit igitur e Polonia, viginti quatuor currus, auro & argento, magnique pretii cimeliis onustos seiuges trahens. Diplomata nonnulla super bona regia, quorum reditu sustentabatur, & quae nomine *contra dotis* retinebat, vna cum eorum tradidit possessione SIGISMVNDO AVGVSTO. Postea vero quam Barium peruenisset, eaque omnia non euenirent, quae animo statuerat, sero de regressu in Poloniam cogitare occipiebat. Non integro igitur completo biennio, cum PAPAGODA, consilii auctor & faber, animaduertisset, BONAM postliminio in Poloniam agitare profectionem, IOANNEM ANTONIVM, Maceratensem medicum, pretio corrupit, vt languenti tum & aegrae BONAE pharmacum toxico permistum propinaret. Scelus sceleri accumulando etiam ipsum medicum pharmacum afferentem, vt praebiberet compulit, cumque dimidium ebibisset, proripientem se medicum, in camera detinuit, neque prius eum dimisit, nisi tam rapido veneno per praecordia diffuso, quod cum iam sentiret medicus, torminibus viscerum correptus, circumstantibus denuntiauit, se vltra octiduum non superuicturum, reginam vero vix triduum superaturam, affirmauit. Atque ita PAPAGODA quaesitissimis artibus illam columbam cum pennis deauratis, ne rursus in Poloniam, cum tam pretiosis auolaret plumis, e vita exturbauit, & conficto testamento amplissimos thesauros fisco regis Hispaniarum intulit, ducatumque Barensem, tanquam additamentum regni Neapolitani, transcripsit, fraude & veneno in re-

in reginam grassatus. Hæreditatem maternam, quæ AVGVSTO debebatur, cum per legatos idem repetundarum causa missos vindicare satageret, frustra & inani opera saxum illud voluebatur.

Cum autem contra Petri nauem in regno & adiunctis prouinciis a nouatoribus decumani fluctus concitati furerent, DZIERZGOVIVS omni cura allaborabat status ecclesiastici conseruationi, prout STANISLAVS HOSIVS S.R.E. Cardinalis, in epistola dedicatoria suorum operum, ad HENRICVM VALESIVM, electum Poloniæ regem, luculenter testatur. Itaque synodos episcoporum prouinciæ suæ frequentius congregauit, conciliaque prouincialia celebrauit, vt conuulsam fractamque disciplinam ecclesiasticam instauraret. Neque minor dumtaxat clerus, peruersis studebat nouitatibus, etiam illæ columnæ, quarum fulcire domum Dei erat, labascebant. IACOBVS VCHANIVS, ex chelmensi ad Vladislauiensem episcopatum translatus, nouatoribus fauebat, qui & sæcularis officii ministerio episcopatus apprehendit possessionem. Is Andream Modreuium, hæreticum, ecclesiasticum, certa bonorum episcopalium non spernenda cumulabat sorte. IOANNES DROHOIOVIVS, Roxolanus, Vchanii in Vladislauiensi cathedra antecessor, non obscure in eas propendebat nouitates. GEORGIVS PETROWICIVS, Samogitiæ episcopus, vt VARSEVICIVS in vita SIGISMVNDI AVGVSTI connotauit, Lutheranismum palam profitebatur. NICOLAVS PAZZIVS, episcopus Kiiouiensis, hisce imbutus nouitatibus, etiam libris scriptis fidem catholicam oppugnabat, ductaque vxore, cedens episcopatu, castellani Brestensis assumto titulo in senatu consultabat, quod tandem PIVS V pontifex indignè ferens, apostolica litera monuit regem, vt eum senatu moueret. ANDREAS DVDITHIVS, in Hungaria episcopus, legatus ab impera-

peratore MAXIMILIANO II. cum ad SIGISMVNDVM AVGVSTUM, Poloniæ regem, venisset, alicuius industriæ, vtinam & constantiæ, in eadem legatione sui quodam modo oblitus, ex episcopo aposcopus factus est, & ad nuptias conuolauit, ducta vxore ex domo ZBOROVIORVM, quæ fuerat in gynecæo CATHARINÆ reginæ. Eundem vero DVDITHIVM, in Tridentino concilio præsentem, Cardinalis HOSIVS apostatam fore aliquando, prædixerat, non vano inde capto præsagio, quod lasciuus fuerat & sibi præfidebat. Obsistere quidem his contendebat DZIERZGOVIVS, maiore tamen voto, quam consilio. Suasu collegii metropolitani, quatuor designauit inquisitores, SEBASTIANUM ZYDOWSKI, suffraganeum, MATTHIAM SLIWNICXI, I. V. D. archidiaconum, Gnesnenses, DAVIDEM PONIATOWSKI, custodem & TROIANUM præpositum Lascensem. Concionatores in collegiatis ecclesiis Lanciciensi, Vnieiouiensi & Carelouiensi, cum annexis canonicalibus præbendis, erexit & in perpetuum ordinauit. Magistro scholæ Gnesnensis in eadem ecclesia altare SS. Petri & Pauli, vt nauiter suum impleret officium, attribuit, accedente consensu metropolitani collegii. Pœnitentiarii maioris in ecclesia Gnesnensi, qui quosuis poenitentes, etiam a casibus S. sedi apostolicæ reseruatis, absolueret, etiam cum irregularibus dispensaret, agitabat erectionem cum aliquo ampliori censu. Sed fuit hoc bonum desiderium & conceptus inchoatus, a morte interceptus, & a successoribus eius penitus neglectus.

Arcem Louiciensem, quam ad confluentem BSVRÆ fluuii condiderat IAROSLAVS BOGVRIA SKOTNICIVS, nouis excitatis ædificiis insigniter excoluit DZIERZGOVIVS, qui ad illius sæculi morem pulcherrimas ædes & grande struxit coenaculum, in quo a LECHO primo, Sarmatiæ principe, ad SIGISMVNDVM seniorem, omnes reges & principes depicti,

bre

breuibus adiectis elogiis, spectabantur. Adiecta erat in porta turris altior, de qua longe lateque in subiacentem patebat prospectus, cum machina horologii, quæ tempus dispensando a longe audiebatur. Successores, DZIERZGOVII, adiectis ædificiis, ad omnem elegantiam hoc consumarunt opus. Verum anno 1655. ab aquilone coorta belli tempestate, Sueciæ rege, Carolo Gustavo foedere abrupto, Poloniam inuadente, hæc ædificia disiecta & in planum acta, hucusque visuntur.

Hoc DZIERZGOVIO apud posteritatem gratam parauit memoriam, dum attentis angustiis mensæ capitularis, KAINOWKAM, patrimonii archiepiscopalis portionem, æuiterna donatione collegio transcripsit metropolitano. Ruenti vero auctoritati ecclesiasticæ frustra supponere conabatur humeros archiepiscopus, cum nouatores in tutela & patrocinio regiæ delitescerent potestatis. Rex habebat etiam intimos ministros aliquos Germanos, Lutheri opinionibus imbutos, eorumque opera in curiosis magiæ & alchimiæ doctrinis addiscendis vtebatur. FRANCISCVS LISMANINVS, Italus monachus apostata, ipsius internuntius Genevæ, Tiguri in Heluetia ea suggerebat consilia, quæ fidem catholicam ad extremum prouoluerent interitum.

Quod superest Dzierzgouius suo non defuit officio, sed augendi euehendique sanguinis vrtica eum sollicitabat, & tumens ambitu aliquo, a pago obscuro comitatus vsurpabat titulum. Fratrem IOANNEM ex humili loco ad palatinatus Masouiæ promouit dignitatem. Cum annis quatuordecim, grauissimis nouatorum insultibus fatigatus, rexisset ecclesiam metropolitanam, XVI. *Cal. Febr.* 1559, e medio viuorum excessit in arce Louiciensi. Non multo ante obitum legerat sibi in archiepiscopatu successorem IOANNEM PRZEREMBIUM,

episcopum Chelmensem, regni procancellarium, eamque adoptionem, seu *coadiutoriam*, ratam habuit PAULUS IV, pontifex maximus. Corpus defuncti Gnesnam deportatum ibidemque tumulatum in sacello propriis sumtibus erecto, vbi hæc inscriptio legitur.

D. O. M. S.

NICOLAUS DZIERZGOWSKI, Archiepiscopus Gnesnensis
Regni primas & Legatus natus

In multis & variis reipublicæ curis & muneris sui
Pontificii grauissimis negotiis

De sempiterna requie sollicitus viuens sibi posuit.

M. D. LIV.

Quietem posteri non inuideant, qui secus illis mentem
Bonam precamur.

ANDREAS TRICESIUS, qui vitas archiepiscoporum, a Ianicio scriptas, euulgauit, hoc de eo scripsit elogium:

Te fauor ad magnos regis prouexit honores
Et primum patriæ fecerat esse caput.
Largus eras inopi, nec certe iniurius vlli.
Non est parua boni laus quoque & ista viri.

III.

Catalogus comitiorum, sub IOANNE CASIMIRO & MICHAELE I, Poloniæ regibus, celebratorum.

Corona-

Annus	Locus	Sucessus.	
1649.	Cracoviae.	integra.	Coronatio. Ob male rem gestam exercitus ad Pilavice contra Cosacos, turbulenta, tandem mitigatis animis ordo equestris in supplementum exercitus, motionem generalem nobilitatis, & tredecim fumalium tributa consensit. Mareschallus FRANCISCUS DUBRAWSKI, Succamerarius Premisliensis, cum duobus deputatis nuntiis subscripsit prima vice.
1649.	Varsaviae.	integra.	In Nouembri. Approbatio sopiti tumultus Cosacorum a Rege, stipendiorum exacta solutio, tributa grandia & alia sancita. (*Statutum in primis, vt conuentus Lubeci cum corona Sueciæ de mutuis foederibus, æternaque stabilienda concordia habeatur. Vid. Rudawskî annales Ioan. Casimiri, reg. Pol. p. 56*) Mareschallus BOGUSLAUS LESZCZYNSKI, generalis maioris Poloniæ capitaneus, (*Postea thesauri regni præfectus factus, vid. Rudawski anales p. 57.*) cum quatuor collegis nuntiorum subscripsit constitutionem.
1650.	Varsaviae.	integra.	Extraordinaria ex concessione praecedentium. Dispositio ærarii ad exsoluenda stipendia. Commissio monetaria, cuius acta volumini annexa sunt. Tributa quoque. Denique regi Angliæ exuli, a mercatoribus Anglis & Scotis in regno, decem pro centum bonorum ipsorum, in subsidium concessa. (*Articuli XIV, horum comitiorum leguntur in Rudawski annal. p. 68*). Mareschalcus VINCENTIUS CORVINUS GONSIEWSKI,

Annus.	Locus.	Successus.	
			WSKI, Dapifer. M. D. Lith. cum quatuor collegis nuntiis subscripsit. (*Integra* GONSIEVII *vita reperitur in Rudauscii annalibus ope indicis, ad hoc opus, quaerenda*)
1652.	Varsaviae.	rupta.	In Martio. Primum exemplum rupti conuentus regni ab vno nuntio, factionibus procerum corrupto. Is fuit Lithuanus, nomen ab historicis, tanquam viri maledicti, suppressum. Kochowski climact. I. Lib. II. pag. 314. Sed recessus in Prussia collecti nomine SICINSKIUM, ex districtu Upitensi fuisse nuntium, dicunt, rumpentique castellanum Brestensem, zelo patriae, in mediis fluctibus abque consiliis relictae, diras imprecatum, & in fine orationis horrendo epiphonemate caput eius execratum, *boday przepadl*, h. e. *vtinam pereat*, cui multos senatores & nuntios Amen, acclamasse. Denique non diu abhinc, patrem, matrem, sororemque Sicinscii, fulmine tactos, periisse, ipso superstite, referunt. [Vid Rudauscii annal. de his comitiis, p. 100.] [Mareschallus ANDREAS MAXIMILIANUS FREDRO, dapifer Leopoliensis. Kochowski climact. I. p. 300 & 312.]
1652.	Varsaviae.	integra	In Iulio. Absente rege aegroto, ordinaria ad duas hebdomadas reducta. Rationes aerarii, tributa, & alia sancita. RADZIEIEWSKI, procancellarius regni, priuato odio regis, perduellionis damnatus, absque suffragiis solitis. Senatus cum equestri ordine

mutua

Annus	Locus	Succeſſus	
			mutua conferentia omnia pertractavit in gratiam regis. (*Vid. de his comitiis Rudauſcius in annal. p. 107 & 108*) Mareſchallus ALEXANDER SIELSKI, capitaneus Stenzycenſis, cum quatuor nuntiis ſubſcripſit. (Kochowſki climact. I. p. 335)
1653.	Breſtiae in Lithuania	integra.	Leges & diſpoſitiones variæ. Caſſationes decretorum tribunalitiorum, contra leges regni latorum, & tributa ſancita. Mareſchallus CHRISTOPHORUS PAC, vexillifer M. Duc. Lithuaniæ. cum ſex collegis nuntiorum ſubſcripſit. (Kochowſki climact. I. p. 363)
1654.	Varſaviae.	rupta.	Nuntii Pruſſiæ PONKOWSKIUM, vexilliferum Culmenſem, petulanter proteſtatum, omnes ſequuti, cum ingenti prouinciæ, periculoſo illo tempore, inuidia. (*Vid. de his comitiis Rudauſcii annal. p. 141.*) Mareſchallus FRANCISCUS DUBRAWSKI ſuccamerarius Premislienſis, ſecundum.
1654	Varſaviae.	integra.	In Iunio. Rationes ærarii diſcuſſæ. Motio generalis nobilitatis, item tributa, & multæ priuatorum aggrauationes, nobilitationes &c. deciſæ. Mareſchallus CHRISTOPHORUS GRZYMUTOWSKI, ſuccamerarius Kaliſienſis cum ſex deputatis nuntiis ſubſcripſit.
1655.	Varſaviae	integra.	Cauſa turpiter dediti Smolenſcii ad iudicium perduellionis tracta, mox limitata, tandem incurioſo fine neglecta. Contra irruptionem Suecorum exercitus & motio gene-

Annus.	Locus.	Succeſſus.	
			generalis nobilitatis, lex ſumptuaria, diſpoſitio ærarii, diſciplina militaris, tributa & alia priuatorum ſancita. (*De his comitiis conferatur Rudauſcius p. 148. 156. 157.*) Mareſchallus Io. CASIMIRUS UMIATOWSKI, iudex terræ Breſtenſis Lituan. (KOCHOWSKI clim. II. p. 15.)
1656.	Tyſkoviciis.	integra.	Palatinatus minoris Poloniæ confoederati, regem profugum e Sileſia reuocantes, libertatem patriæ vindicare coeperunt, & Suecorum ſeruitutem abiicere, auctoribus LUBOMIRSCIO & POTOCIO, hoc ſupremo duce exercitus, illo Mareſchallo regni. (*Male hic Braunius confoederationem Tyskouiciis d. 29 Decembr. 1655 initam, inter regni comitia retulit. Sic etiam, & quidem maiori iure, confoederationem ordinum & exercitus regni Poloniae, Landshuti d. 2 Ianuar. 1656 factam, huc referre debuiſſet, de quibus vid. Rudawski in annalibus p. 221 & 227. Magna eſt differentia inter confoederationem & comitia*)
1658.	Varſaviae.	integra	Arriani, ex voto regis, ad placandam iram coeleſtium, regno banniti. Pacta defenſiua contra Suecos, cum Cæſare, Daniæ rege & Electore Brandeburgico, approbata. Accifa generalis de mercibus & comeſtibilibus, agraria quoque ſcita. Indigenatus, nobilitationes, multis collatæ Inculpati proditores Smolenſcii a crimine abſoluti. Propter vitioſam impreſſionem harum conſtitutionem, per ſequentis anni conſtit. p. 4. authenticum exemplar monſtratum. Ma-

Annus	Locus	Succeſſus	
			Mareſchallus VLADISLAUS LUBOWIECKI, iudex Cracouienſis, cum ſex deputatis ſubſcripſit.
1659.	Varſaviae	integra	Acta commiſſionis Hadiacenſis, qua motus Coſacorum ſopiti, iuramento & beneficiis regis approbata. Commiſſio deliberandi ſuper modo comitia ſemper bene concludendi. Executio pactorum Bydgoſtienſium cum Electore Brandeburgico. Iurisdictionis eccleſiaſticorum & nobilium in fundis prope oppida omnimoda caſſatio. Exercitus & ærarii diſpoſitio, multa denique priuatorum negotia deciſa & ſancita. Mareſchallus IOAN. GNINSKI, ſuccamerarius Pomeraniæ, cum quatuor deputatis ſubſcripſit.
1660.	Varſaviae.	integra.	Extra ordinem tantum ad approbanda pacta Olivenſia, ab archiepiſcopo, & mareſchallo præcedenti ſubſcripta, conuocata. Quæ approbatio cum pactis inter acta ſequentium comitiorum in Volum. exhibentur p. 46. (*Eadem etiam legi poſſunt in Rudawski annalibus.*)
1661.	Varſaviae.	integra	Modus exſoluendi ſtipendia debita militi. Vectigal generale cum noua inſtructione ſiue tabula, ac deſignatione camerarum, teloniorum, contra iura, in ipſa Pruſſia ad Elbingam, Torunium, Mariæburgum. Commiſſio Czudnouienſis cum Coſacis approbata. Tributum inſolens

Annus	Locus	Successus	
			50 agrariarum, multique articuli priuatorum, sancita. Proposita a Rege electio contradictione nuntiorum statim euanuit. Mareschallus MICHAEL CASIMIRUS RADZIVIL (Pincerna Lithuaniæ), qui primus, ante deputatos ad constitutionem ex senatu, subscripsit.
1662.	Varsaviae.	integre	Extra ordinem ad media exsoluendi stipendia exercitui, tertia hac vice confoederato, sub SWIDERSCIO in regno & ZYROMSKIO in Lithuania. Inde commissio magna Leopolim designata, quæ ad debita exsoluenda, reipublicæ immenso & perpetuo damno, vltra facultatem commissionis suæ, solidos cupreos, mox & tynfones, vilem monetam, cudere permisit, partem stipendiorum, vnionibus ex gaza regni, partem ex tributis exsoluit, partem denique ad incerta tempora distulit. In comitiis hisce amnestia & impunitas confoederatis, tributa insolita, nempe prima capitatio, titulo subsidii charitatiui, ne libera capita appretiari viderentur, & alia scita. Nihilominus confoederati iis mediis non sopiti, donec contrarium confoederatum exercitum iis Rex, & Archiepiscopus excommunicationem opponerent. Mentio quoque electionis, viuente rege, lege repetita sublata. p. 3. Vol. Mareschallus IOANNES WIELOPOL-

SKI

Annus.	Locus	Succes sus.	
			SKI, capitaneus Biecensis, itidem ante senatores deputatos subscripsit, insigni argumento, potissimas partes imperandi & consulendi de republica, equestrem ordinem a Rege & senatu ad se traxisse. Kochowski clim. III. p. 11 & 26.
1664.	Varsaviae.	rupta.	Tantum ad reginae LUDOVICAE odium, contra GEORGIUM LUBOMIRSCIUM, Mareschallum regni, factiosae suae electioni potentissimum aduersarium, exsatiandum, indicta, quem iudices, statim a mareschallo nuntiorum, aulae obnoxio, nominati, non attentis protestationibus plerorumque, cum Zabokrzycio abeunte, nuntiorum, perduellionis reum iudicarunt, & capitali supplicio ab homicidiis Gonsievii sumpto, nihil praeterea egerunt. Vid. Kochowski climact. 3. Lib. 3. pag. 155, (Rudawski annales p. 512.) Mareschallus IOANNES GNINSKI. iterum.
1665.	Varsaviae.	rupta.	Et haec comitia, propter implacabile odium reginae in LUBOMIRSCIUM, quod PRAZMOWSKI cancellarius, assentator aulae, fouit, protestatione tandem soluit VLADISLAUS LOS, dapifer Plocensis. Inde bellum ciuile exarsit. Mareschallus Io. ANTONIUS CHRAPOWICKI, Lithuanus, aulae assecla (Succamerarius Smolenicensis. Kochowski clim. III. p. 171)

Annus.	Locus	Succeſſus.	
1666.	Varſaviae.	rupta.	Ex eadem cauſa, iterum irrita fecit proteſtans THEODORUS ŁUKOMSKI, nuntius, & regius exercitus hoc anno a LUBOMIRSCIO & confoederatis, pro libertate electionis, palatinatibus, ad Montwy Cuiaviæ cæſus. Mareſchallus MARTINUS OBORSKI, capitaneus Liwenſis.
1666.	Varſaviae.	rupta.	In Nouembri Propter renitentiam aulæ ad reconciliationem, a GASPARO MIASKOWSKIO nuntio, proteſtatione rupta. Mareſchallus nuntiorum, IOAN. ODROWąZ PIENIĄŻEK, capit. Oſwiecimenſis.
1667.	Varſaviae.	integra	Turbulenta, ob recoctam a regina mentionem electionis viuente rege, nepti ſuæ thronum cum damno reipublicæ & opprobrio mariti regis, ſtruente. Tandem amneſtia generalis confoederatis palatinatibus & Lubomirſcio, cum approbatione tractatus ipſorum ad Lengonice, item diſpoſitio exercitus & ærarii, priuatorum gratiæ multæ, denique tributa ſcita. Mareſchallus ANDREAS KOTOWICZ, M. Duc. Lith. notarius. Sub hæc comitia tandem regina LUDOVICA, tot incendiorum Poloniæ fax, mortua eſt, cui tamen WYDZGA epiſcopus Varmienſis, antea reginæ cancellarius, in hiſtoriæ ſuæ libello rariſſimo, magnas virtutes aſſeruit.
1668.	Varſaviae.	irrita.	In Ianuario. Ob diſtributionem vacantium dignitatum; monetam corruptam, prodiga-

prodiga-

Annus	Locus	Successus	
			prodigalitatem regis, &c. turbulenta, licet relatione SOBIESCII, exercitus ducis, de bene ad Podchayce gesto finitoque bello cum Tartaris, deliniti fuerint ordines, tamen MARTINO DEMBICKIO, vexillifero Sendomiriensi, non nisi sub conditione in prorogationem termini consentiente, valedicentibus omnibus nuntiis, irrito soluta. Mareschallus, CAROLUS DUX CZARTORYISKI, succamerarius Cracouiensis.
1668.	Varsaviae	integra	Die 16 Septembris. Abdicatione regis (consilio GNINSKI & aliorum eius confidentium, ordines regem non dimissuros, putantium) obstinati facta, & ab ordinibus, post cæremoniales planctus, diplomate renuntiationis coronæ accepto, vicissimque regi reuersalibus suis datis, nihil præterea actum. vid. Vol. Mareschallus STEPHANUS SARNOWSKI succamerarius Lenciciensis, post senatores, tanquam throno vacante, senatu cum primate regiam dignitatem repræsentante, subscripsit.
1668.	Varsaviae.	integra.	Die V. Nouembris. In conuocatione generali, confoederatio ordinum solitis clausulis scripta, insolito primati dato titulo serenissimi. Præter ea, iudicia capturalia, securitas regni, electionis futuræ solennia & cætera negotia, ordinata. Mareschallus IOAN. ANTONIUS CHRAPOWICKI, succamerarius Smolenscensis,

Annus	Locus	Succeſſus.	
			iterum. Poſt ſenatores ſubſcripſit, tanquam in interregno. (Zaluſki in epiſt. Tom. I. p. 71.)
1669.	Varſaviae	integra	Electio. Dum proceres ſuis factionibus immerſi negotiantur, tædio moræ, vulgaris nobilitas turmatim adequitans arma oſtentat, & nominat regem MICHAELEM, qui poſt feſtinato, antecedentium fere tenore conſcripta pacta conuenta, die 7. Julii ſolenniter iurauit. Mareſchallus nuntiorum FELIX POTOCKI, ſubdapifer regni, adhuc poſt ſenatum ſubſcripſit. (Zaluſki Tom. I. p. 118.)
1669.	Varſaviae.	rupta.	MICHAELE I. REGE. Coronatione regis vix expedita, factione Primatis PRAZMOWSKI & Mareſchalli regni SOBIESKI, Regis inertiam deſpicientium, turbulentiſſima. Tandem prætextu cauſæ nobilium exulum, ab hoſte bonis exutorum, ab ADAMO OLIZAR, nuntio Volhyniæ, proteſtatione rupta. Mareſchallus ANDREAS KRZYCKI, ſuccamerarius Kaliſſienſis.
1670.	Varſaviae.	rupta.	Iterum, iisdem factionibus infenſorum regi procerum, per BENEDICTUM ZABOKLICKIUM præfracte rupta. Mareſchallus IOAN. CASIMIRUS KIERDEY, mareſchallus terræ Grodnenſis
1670.	Varſaviae.	integr	In Septembri. Tunc demum confirmatio iurium generalis, & reconciliatio

mutua

Annus.	Locus.	Successus.	
			mutua statuum a rege perfecta. Motio generalis nobilitatis, ordo iudiciorum tribunalitiorum, dotalitium reginæ CATHARINÆ Austriacæ, & alia, cum tributis, sancita. Mareschallus STANISLAUS LUBOMIRSKI, subdapifer regni, capitan. Scepusiensis, ante senatores subscripsit, & sic postea semper.
1672.	Varsaviae.	rupta.	In Ianuario. CASIMIRUS GRUDZYNSKI castellanides Ravensis, homo infamiis & bannitionibus obtectus, licet vltra numerum legitimum se nuntium Podoliæ finxisset, tamen ab insensis Regi fultus, proterve rupit. Ideo Mareschallus nuntiorum regi valedicens, *Herostratum*, cancellarius a throno respondens, *parricidam*, appellarunt. Episcopus Cuiaviæ vindictam diuinam, vt qui diuina & gentium iura effregerit, imprecatus. Mareschallus MARTINUS OBORSKI, capitan. Livensis. iterum (Zaluski T.I. p. 313.
1672.	Varsaviae	rupta.	Extraordinaria in Majo. Ex eaden factione procerum, STANISLAVS UBYSZ, vexillifer Gosinensis, protestatione rupit, & nuntii omnes, vno palatinatu excepto, sine regis valedictione dilapsi. Mareschallus IO. GABRIEL SOKOLINSKI, M. D. Lit. Notarius.
1673.	Varsaviae.	integra	Post infelicem tot comitiorum exitum, odio regis ab Archiepiscopo & Mareschal-

lo,

Annus.	Locus.	Successus.	
			lo, Duceque exercitus regni, ad abdicationem regem vrgentibus, tunc ordines, periculo a Turcis, qui Camenecum proditione interceperant, excitati, confoederationem generalem pro salute regis & regni inierant, quam, ad Golembiow, cum motione generali nobilitatis congregatam, inde Lublinum, tandem Varsaviam translatam, in concilium magnum, denique in hæc comitia transformarunt. Pacificatio interna cum male contentis proceribus, Lovicii concilium suum habentibus, perfecta. Defensio patriæ ab extra, exercitus & ærarii ordinatio, vectigal generale, & subsidium capitale, sancita, cum actis priuatorum. Mareschallus STEPHANUS STANISLAUS CZARNECKI, notarius campestris regni, ante senatores, ac post eos, duodecim nuntii deputati subscripserunt. (Zaluski Tom. I. p. 439, & 464.)
1674	Varsa-viae.	integra	Mortuo rege, conuocatio generalis ordinum in Ianuario. Confoederatio clausulis vsitatis scripta. Multa negotia publica quoque ordinata. Mareschallus FRANCISCUS BIELINSKI, ensifer Regni, post senatores subscripsit. (Zaluski Tom I. p. 554.)
1674.	Varsa-viae.	integra.	Electio IOANNIS III. in Aprili peracta, & pacta conuenta clausulis solitis firmata. Mareschallus BENEDICTUS SAPIEHA, thesaurarius curiæ M. D. Lith. (Zaluski T. I. p. 558 & 678.) continuatio in trimestri sequente.

Lexicon

IV

Lexikon derer itztlebenden Gelehrten in Pohlen, hoc est: *Lexicon nunc viuentium eruditorum in Polonia, editum a Canonico & bibliothecario JANOZKI. Tomus II. Vratislauiae apud Io. Iac. Kornium. 1755. in 8 mai. plag. 14.*

Hic tomus posterior lexici Ianociani continet litteram Z, ex quo, prout ex priori, nomina eruditorum vna cum eorum scriptis suppeditamus.

ZALESKI (*Iosephus*) Scholar. piar. prouinciae Polonae. Scripta eius 1) *cornu copiae eloquentiae, Varsauiae. a. 1724. II) Latifundia oratoria* Vars. 1729.

ZALUSKA (*Teresia*) nata ROSTWOROWSKA, Iosephi Zaluscii, capitanei quondam Rauensis vxor, breui, inito matrimonio, diuortio ab eo seiuncta. Singularis pietatis, eruditionis etiam haud vulgaris matrona. In suada Polona Daneykowiciana Tom. I. part. II. p. 72 reperiuntur duae, memoria dignae, orationes, in lingua vernacula graui in causa ad regni tribunal ab ea habitae. Latina lingua opusculum scripsit: *de virtutibus & vitiis mulierum Polonarum*, quod vero nondum impressum. Gallicam Italicamque linguam bene callet, variaque, in his linguis scripta opuscula, Polono idiomate donauit, quae lucem autem nondum viderunt.

ZALUSKI (*Andreas Stanislaus Kostka*) Episcopus Cracouiensis, Dux Severiae, perpetuus Academiae Cracouiensis cancellarius, ord. aquilae albae eques. Magnus Poloniae Maecenas atque eruditorum aestimator, qui omni modo litterarum in Polonia incrementum promouere studet, qua de re fundatio bibliothecae publicae Varsauiensis maxime testatur. Integram auctor huius celsissimi maecenatis vitam & accurate & concinne exhibet, quae ab omni erudito, in primis in Polonia, legi meretur.

Scripsit libellum: *De iudaeis, Christiano nomini infensissimis, in Masoviae ducatu non ferendis & sustinendis*, vernaculo sermone. Vars. ex typographia Soc. Iesu. In lucem etiam emisit: *Constitutiones & decreta Synodi dioecesanae Plocensis A. 1733 Pultaviae celebratas*, Varſ. typis coll. regii Soc. Iesu 1735. in 4. Alphab. 1. plag. 15. chartæ augustæ. Porro *Constitutiones Synodales*, cum episcopus Culmensis & Pomesaniensis esset, in dioecesana synodo, in ecclesia archipresbyterali Lubaviensi, celebrata diebus XVI. XVII. & XVIII. Sept. A.D. 1745. Brunsbergæ typis. coll. Soc. Iesu 1746. in 4. Alphab. I. plag. 3.

Zaluski (*Martinus*) Suffraganeus Plocensis, episcopus Dresnensis in Pamphylia, episcopi Cracouiensis frater germanus, natu maximus. Magnus litterarum amator, eruditorumque æstimator, prout Zaluscii omnes. Varia opera composuit multaque opuscula ascetica Italice scripta, lingua Polona explicauit, inter quæ Didaci Zuniga de vtraque fortuna libellus.

Zaluski (*Iacobus*) capitaneus Suleioviensis, episcopi Cracouiensis frater natu minor, nuper defunctus. *De ouibus tuendis* librum condidit. Idem quoque Ludov. Burdaluei, orationes sacras Gallicas, Polona versione, nitide satis & accurate expressit, & dissertationes quasdam Dom. de *Reaumur* physicas Polono idiomate donauit.

* Zaluski (*Iosephus Andreas comes*) supremus regni Referendarius &c.&c. Academiarum scient. Berolinensis, Bononiensis, Petropolitanæ socius, frater episcopi Cracoviensis natu minimus, magnus ille mæcenas & Polonorum Varro, qui ad incrementum litterarum in Polonia quam maxime fecit, bibliothecam publicam Varsauiensem condidit, variaque scripta doctissima edidit, nempe sequentia, Latino idiomate:

1)

I) *Analecta historica, de sacra in die natali Domini, a Romanis pontificibus, quotannis vsitata caeremonia, ensem & pileum benedicendi, eaque munera, principibus christianis, mittendi.* In quibus exterarum nationum plurima, Poloniæ omnia exhibentur exempla, præcipue vero exacta relatio vltimæ horum Benedicti XIII. P. M. munerum collationis *serenissimo & Augusto, Regio Poloniae & Electorali Saxoniae principi,* e fontibus auctorum ecclesiasticorum, tum & profanorum varii idiomatis, petita & collecta. A. MDCC. XXVI. Varsaviæ typis S.R.M. Scholar. piar. in 4. pl. 16.

II) *Specimen historiae Polonae criticae, constans animaduersionibus in hist. Ludouici Polon. & Hung. regis ab Augustino Koludzki descriptam, quibus ab eo ibidem inserta & vindicata, a classicis vero aliis scriptoribus commemorata narratio, de violenta statuum reipublicae confoederatione, vulgo ROKOSZ, ad Glinianij a. 1381. d. 26. Aug. XII. procerum Polonorum decapitatione soluta, indissolubilibus argumentis refellitur, & merum nugamentum pronuntiatur. A. MLCCXXXIII. in 4. Alph. 1. pl. 5.*

III) *Conspectus nouae collectionis legum ecclesiasticarum in Poloniae,* titulo *Synodicon Poloniae orthodoxae, tum & aliae collectiones scriptorum ecclesiasticorum Polonicae ineditorum, tum & editorum quidem, sed rarissime obuiorum. Varsauiae ex typographia Schol. piar. 1744. in 4. plag. 10*

Recensionem huius scripti vide in bibliotheca. Vars. part. III. p. 219.

IV.) *Opera omnia Pauli comitis in aureo Potok Pilauitae POTOCKI, Castellani Camenecensis in Podolia, senatoris regni Poloniae. Quae anecdota ex sua bibliotheca, iam nunc publica, edidit, quaedam ex Polonico idiomate, Latina metaphrasi interpretatus est. Notulis & indicibus illustrauit, sextuplici genea-*

logia POTOCIANA, tum & epitaphiis sepulcralibus POTOCIORVM, ac denique testimoniis historicorum, de pilauitis & Potociis locupletauit. Varsauiae ex typographia collegii regii Soc. Jesu A.D. 1747. in folio. alphab. 4. plag. 14.

V) *Duae epistolae, altera eminentissimi principis, ANGELI MARIAE Cardinalis Quirini S.R.E. bibliothecarii & episcopi Brixiensis, ad IOSEPHVM ANDREAM comitem ZALVSKI supremum regni Poloniae Referendarium &c. iuxta exemplar Brixiense recusa: altera vero eiusdem illustrissimi Referendarii ad eminentissimum Cardinalem illum, nunc primum edita. Varsauiae MDCC. XLIX. in fol. plag. 7.*

Polono idiomate impressa sunt.

VI.) *Duo gladii, aduersus dissidentes a fide catholica in regno Poloniae, euaginati, alter defendendo, alter offendendo agens. Varsauiae, ex typographia Schol. piar. MDCCXXXI in 4. Alph. 3 pl. 12.*

VII) *Programma litterarium, ad bibliophilos, typothetas, & bibliopegos, tum & quosuis liberalium artium amatores, sermone partim Polono, partim etiam Latino, conscriptum. Vars. An. 1734. in 4. plag. 8.*

Recensionem huius scripti vide in bibliotheca Varsauiensi part. II. p. 123.

VIII.) *Matthiae Marciani Ładowski, secretarii quondam Regii, & Metricae maioris cancellariae regni praefecti, index constitutionum regni Poloniae & magni ducatus Lithuaniae, in annum MDCCXXVI. continuatus. Lipsiae ex officina Weidmanniana. 1733. in fol. Alph. 8.*

Quae manuscripta nondum sunt edita, haec maxima ex parte iam elaborata, nempe Latina lingua:

Catalogus bibliothecae Zaluscianae: Synodicon Poloniae orthodoxae: collectio scriptorum rerum Polonicarum ineditorum: Elenchus vniuersalis codicum manuscriptorum,

in

in quibusuis Poloniæ bibliothecis latentium. Lexicon vniuersale historico Polonicum: Descriptio status præsentis Poloniæ. Historia Polona critica, ad speciminis editi formam elaborata: Memorabilia domus Zaluscianæ: Itinerum suorum relationes: Lingua Polona vero sunt manuscripta: Syntagma de familiis Polonis a Niesiecki omissis: de Secretario regni Poloniæ maiori, liber singularis: de Referendariis regni Poloniæ, liber singularis: Orationes funebres, in exequiis variorum procerum recitatæ.

ZATORSKI (*Paulus*) eques Pol. qui secundum præmium inter oratores, cum bibliotheca Zalusciana aperiretur, obtinuit. Edidit a. 1746 Vratislaviæ *elogium de matrimonio*. in 8. Polono idiomate.

ZAYKIEWICZ (*Ludouicus*) S. Theol. D. conuentual. minorit. auctor est vitæ S. Antonii, Paduæ, nuper Leopoli Polono idiomate in fol. impressæ.

ZEBROWSKI (*Thomas*) Soc. Jesu prouinciæ Lithuanæ, mathes. in Acad. Vilnensi professor, edidit a. 1754. duo specimina scientiæ mathematicæ.

ZEGLICKI (*Arnolphus Casimirus*) Scholar. piar. colleg. Varsav. rector & prouinciæ Polonæ assistens, edidit. I.) collectionem adagiorum Polonorum selectorum, Vars. in 8. 1735 II) Bibliothecam Gnomico historico symbolico politicam, in duobus tomis in 4. Vars. 1742. III.) Inuentarium, seu indicem realem omni exparte absolutum, in omnes regni constitutiones, in fol.

ZELECHOWSKI (*Joannes*) ord. stæ trinit. de redemptione captiuorum, singularis, fidei catholicæ contra dissidentes, defensor, quem in finem edidit Leopoli: *Scutum fidei orthodoxae*, in fol. 1749. qui vero liber maxima ex parte ex TOBIÆ ARENT, Soc. IESU, studio Polenico, pro doctri-

na catholica suscepto, Vilnæ a. 1716, impresso, exscriptus est, nulla facta mentione ARENTI.

ZEROMSKI (*Martinus*) ord. stæ trinitat. de red. capt. scriptum eius: testes fideles, amoris in Deum, charitatis erga proximum, officiorum in rempublicam Polonam, captiui origine Poloni & Lithuani, religione orthodoxi, ex dira barbararum gentium seruitute, a patribus discalceatis ordinis sanctissimæ trinitatis, redemptionis captiuorum, prouinciæ Polonæ, sub titulo S. *Ioachimi institutae* , ab anno Christi 1688, ad annum 1752 emancipati, eidem serenissimæ reipublicæ, ordini tam senatorio, quam equestri, cæterisque cuiusuis status Polonis & Lithuanis, ex authenticis documentis, producti & repræsentati. Anno redemptoris Christi MDCCLIII. Leopoli typis Soc. JESU in 4. plag 72.

ZIENKOWICZ (*Michael Ioannes*) episcopus Vilnensis aq. alb. eques, singularis litterarum in Lithuania promotor. scriptum eius: *synodus dioecesana Vilnensis*. Vilnæ. 1744. in 4.

ZLOTNICKI (*Arsenius*) Carmelita discalceatus, nunc Prouincialis. Præter varias disputationes theologicas edidit: integrum cursum theologicum, secundum mentem Diui Thomæ. Leopoli 1752. in fol.

Sequuntur nunc catalogi professorum in omnibus Academiis & collegiis regni Poloniæ & m. d. Lith. Vtilissimus certe labor litteratissimi canonici IANOCII. Iuuat autem nunc prius ex additamentis, in fine adiectis, quosdam litteratos Poloniæ, in prima parte, omissos hic enumerare.

ALEXANDROWICZ (*Thomas*) Samogitiæ nobilis, Polono idiomate donauit Petri Cornelii tragoediam HERACLIUM. Leopoli 1749. in 8. & fabulam Romanensem *Cleonniram* Varsaviæ. 1754. in 4.

BAL-

BALSAM (*Gaspar*) Soc. JES. Polonæ prov. abeo disertissima oratio ex Esai. XLVIII. 17.18. Cracouiæ habita, impressa extat.

CARRIERE (*Joan. Salomon*) Med. D. & celsiss. primatis medicus, scripsit dissertationem: de qualitate & quantitate alimentorum infantibus a prima natiuitate, vsque ad septimum ætatis annum conuenientium, quam, speciminis inauguralis loco, eruditorum beneuolo examini submisit. Ienæ, litteris Ritterianis & 1753. in 4. plag. 3

DOBROWIEYSKI (*Gabriel*) ord. minor. historiam hominis in statu innocentiæ, lapsus, & erectionis secundum scripturam sacram versibus Polonis expressit. Tom. I. II. in 4. Leopoli 1753.

FELKEL (*Romualdus*) Paulinus, prouinciæ Polonæ definitor, edidit ordinationes & decreta pro sacræ Paulinæ religionis proto eremiticæ prouincia Polona, per reuer. olim P. fratrem IOAONEM KERY, S. Th. D. totius ord. S. Pauli primi eremitæ priorem generalem facta, & a S. sede apostolica confirmata. in 4. czenstochoviæ a. 1746.

GLISZCZYNSKI (*Matthias*) notarius terrestris, palatinatus Calissiensis, edidit: Compendium legum ex statuto & constitutionibus regni Poloniæ &c. ex farragine legum per alphabetum. Calissii 1754.

KOMOROWSKI (*Nicolaus.*) filius præfecti venationum Buscensis, celsissimi primatis nepos, librum de elemosynis ex Gallica in Polonam transtulit linguam. Leopoli 1753.

KOSTRZEWSKI (*Chrysostomus Nepomucenus* S. R. M. Consiliar. & Med. Doctor, varias habuit disputationes medicas Montis pessulani, sub præsidio D. de SAUVAGES. In flore ætatis, mense Martio huius anni, mortuus.

MINASOWICZ (*Josephus Epiphanius.*) Sacr. Reg. M. Secretarius, inter optimos nostris temporibus poetas Po-

lo

onos numeratur. Multa eaque varia scripsit elegantia carmina, quae nunc his diebus in duobus tomis, in 4. collecta, quartum & quintum tomum collectionis poematum viuentium poetarum constituunt, de quibus mox in nouis litterariis huius trimestris recensio legenda.

In vsum lectorum tandem hic catalogum professorum Academiae Cracouiensis adponere non dubitauimus, qui sub protectione celsissimi principis episcopi Cracouiensis, cancellarii Academiae perpetui, docent.

in Collegio maiori.

1. PETRUS SZYMAKOWSKI, S.Th.D. senior, & theologiae professor primarius, praepositus eccles. collegiat. Sti Floriani.
2. STANISLAUS IO. PHILIPPOWICZ, S. Th. D. & professor ordinarius, ecclesiae coll. Sti Floriani decanus.
3. CASIMIRUS PALASZOWSKI, S. Th. D. & professor ordinarius, canonicus Cracouiensis & custos eccles. coll. Sti Floriani.
4. FRANCISCUS KALEWSKI, S. Th. D. & professor ordinarius, praepositus eccles. colleg. omnium Sanctorum canonicus ecces. coll. S. Annae.
5. ADALBERTUS GRZYMALA, S. Th. D. & professor ordinarius, eccles. colleg. S. Annae decanus, & custos eccl. colleg. Sti Georgii.
6. ADALBERTUS GOSZKOWSKI, S. Theol. Licent. & Professor ordinarius, eccles. coll. Sti Floriani canonicus, & eccles. coll. Wislicensis decanus.
7. ANDREAS CYBULSKI, S. Th. Lic. & professor ordinarius, eccles. colleg. S. Flor. & om. Sanct. canonicus, Bibliothecae & typographiae Acad. praefectus.

8. IOSEPHUS POPIOŁEK, S. Th. Lic. & professor ordinarius, canonicus eccles. colleg. S. Floriani.
9. ANTONIUS CHRZANOWSKI S. Th. Lic. & profess. ordinarius, canonicus eccles. coll. Sti Floriani.
10. CASIMIRUS STENPLOWSKI S.Th. Lic. & prof. ord. canon. eccles. colleg. S. Floriani.
11. LAURENCIVS SALTSZEWICZ S.Th. Professor ord.& canonicus eccles. coll. S. Floriani.
12. PAVLUS POLACZEK, theol. profes. ordin. & eccles. coll. S. Annæ scholasticus.

In eodem collegio.

13. MICHAEL CZERNICKI, regius professor philosophiæ ord. canonicus eccles. coll. Stæ Annæ.
14. ADALBERTUS IO. CANTIUS BIEGACZEWICZ, regius prof. philos. ordinar. canonicus eccles. coll. Stæ Annæ, simul fungitur professione eloquentiæ, ab episcopo Cracoviensi, PETRO TYLICKI, fundata.
15. ANTONIUS IOSEPHUS ZOLENDZIOWSKI, regius philos. prof. ord. canonicus eccles. StæAnnæ, præpositus Ilcuensis.
16. IO. IOSEPHUS PRZYPKOWSKI, regius philosophiæ & matheseos prof. ord. & regni geometra iuratus, eccle. colleg. S. Floriani archidiaconus.

In collegio Iureconsultorum.

17. STANISLAUS SEBASTIANUS MAMCZYNSKI, I. V. D. & professor primarius, vniuersitatis rector, canonicus eccles. metrop. Cracouiensis.
18. IO. IOSEPHUS PALASZOWSKI, I.V.D. & professor ord. archidiaconus eccl. coll. Omnium Sanctorum præposit. Casimiriensis.
19. CASIMIRUS IARMUNDOWICZ, I. V. D. & professor ord. eccles. colleg. O. Sanct. canonicus & decanus Ilcus-

sensis, academiæ procancellarius.

20. THOMAS MUSZYNSKI, I. V. D. & profess. ordin. canonicus O. Sanctorum, præpositus Koniusensis.

21. ANTONIUS FRANCISCUS WILKOSZOWSKI, I.V. Licentiatus & profess. ordinar. eccles. colleg. S. Annæ custos, & canonicus eccles. colleg. O. Sanct.

22. MATHIAS LUZARKIEWICZ. I.V. Doct. & professor extraordinarius

23. IACOBUS MARCISZOWSKI) professores iurium
24. SEBASTIANUS DLUGAYSKI) extraordinarii.

In collegio minori

25 FRANCISCUS LUCZYNSKI, professor ordinarius historiarum & geographiæ.

26. STANISLAUS FOLTANSKI, eloquentiæ professor ordinarius.

27. IOANNES CIOLKIEWICZ) professores ordinarii
28. BLASIUS KOSCINSKI) poeseos.

29. THOMAS ALEXANDER MAŁYSZKO, professor ordinarius linguarum orientalium.

30. SEBASTIANUS SALOMON, professor extraordinarius linguarum orientalium.

31. IACOBUS ANGROCKI,) professores ordinarii
32. IOSEPHUS MARKIEWICZ) Græcæ linguæ.

33. HYACINTHUS SOIECKI) professores ordinarii
34. STANISLAUS BARANSKI) Latinæ linguæ.

35. AMBROSIUS BUSZYDLEWSKI, professor ordinarius linguæ Gallicæ.

36. CHRISTOPHORUS STRZEDULSKI, professor ordin. Germanicæ linguæ.

37. ANDREAS KOLENDOWICZ,) Professores philos.
38. NICOLAUS IWANSKI.) extraordinarii.

39. STANISLAUS KORCZYNSKI.) profesf.
40. ANTONIUS WOYCIECHOWSKI.) philos.
41. PETRUS PHILIPPOWSKI) extra-
42. CASIMIRUS GURSKI) ordinarii.

43. MATTHÆUS TEMPROWSKI) Professores
44. MATHIAS TRAIANOWICZ) mathe-
45. IACOBUS NIEGOWIECKI,) seos
46. MICHAEL KASIMIRSKI,) extra-
47. ADAMUS IAGIELSKI) ordina-
48. MARTINUS SWIĄTKOWSKI.) rii.

Notandum omnes professores Theologiae & philosophiae, nec non iurium & artium liberalium professores, debere cœlibes & sacerdotes esse. Professores tantum medicinae vxores ducere possunt, qui in sic dicto lectorio Galeni exercitationes academicas instituunt, nempe:

49. STANISLAUS WADOWSKI, med. D. & professor anatomiae ordinarius.
50. ANTONIUS LASKIEWICZ, Med. D. & professor physiologiae ordinarius. Hic iam mortuus.
51. NEPOMUCENUS A WEDYK, med. D. & professor pathologiae ordinarius.
52. Io. CAMELIN, Med.D. & professor botanices ordin.
53. NICOLAUS SZASTER. Med.D.& prof. Therapiae ord.
54. PAULUS SOLDADINI, professor medicinae extraord.

In scholis Novoduorscianis, cum academia Cracouiensi arcte coniunctis, sub directione perpetui earum prouisoris, CASIMIRI PALASZOWSKI. canon. Cracov. & theol. prof. ord. docent:
55. CHRISTOPHORUS SLEWERYNOWICZ, dialectices professor.

56. SIMON SZAFRANSKI, rhetorices professor.
57. CAROLUS CHOLEWINSKI) poeseos
58. LAURIENTIUS ZURKOWSKI) professores
29. STANISLAUS ZIETARSKI) grammatices
60. FRANCISCUS POCHORECKI) professores.

In cæteris ad academiam pertinentibus scholis, nempe Stæ Mariæ virginis, omnium Sanctorum, Sti Stephani, Stæ Annæ, sti. Floriani, Sti Nicolai, Sti spiritus & corporis Christi, rudimenta eruditionis docentur a iuuenibus academicis, quos academiæ rector nominat.

Catalogos professorum, in cæteris Poloniæ academiis & gymnasiis, docentium, alio tempore inseremus.

V.

LAVRENTII MIZLERI de KOLOF Medici Varsauiensis, obseruationes binae ex medicina practica selectae, de ozaena & pernione, quorum morborum vera remedia proponuntur.

A

Nil videtur in medicina practica vtilius, atque honestius etiam esse, quam vera ad curandos morbos in vsum generis humani euulgare media. Scire enim nostrum in medicina nihil est, nisi nos hæc scire, sciant & alteri. Neminem medicorum fugit, quam difficilis sæpissime sit curatio ozænæ, seu exulcerationis interiorum narium, quæ, etiamsi abinitio sine carie sit, semper tamen, nisi in tempore curetur, septum nasi corrodit, & sic loquelam, vna qum faciei symmetria, perturbat. Non oritur hic morbus semper ex lue venerea, sæpius etiam ex polypo exulcerato, & catharro acri. Vltimus casus est, de quo nunc dicam. Poloniæ procer, honestissimus adolescens, graui laborabat & valde acri catharro per

tres menses tempore hyemis, debilitatem etiam sentiebat haud exiguam in pedibus. Profectus in Bohemiam vsus est sequentis æstatis tempore thermis Carolinis, quæ sanitatem omnino restituebant, sed exulceratio interioris vtriusque naris relicta. Cum deinde Varsaviam veniret, meumque consilium expeteret, curaui hanc sine carie adhuc ozænam intra tres hebdomadas sequenti modo.

Nullum plane adhibui internum medicamentum, ob brevi ànte adhibitas thermas Carolinas, sed decocto ex sabina & scordio, in cuius vnciis octo solutum erat vnguenti fusci Wurzii vncia vna, iussi quotidie vlcera narium mane & vesperi eluere, tali modo, vt liquorem ore acceptum per canalem nasalem & nares exspueret, & sic vlcera purgaret. Hoc enim decoctum, omnibus chirurgis notum, non sine vlcera sanandi, sed repurgandi tantum, adhibui. Peracta purgatione statim turundæ, balsamo vulnerario Basilii Valentini illitæ, naribus fuere profunde applicatæ, alterna vice, ad conseruandam liberam per nares respirationem, & hoc modo curatio ozænæ, elapsis tribus hebdomadis, feliciter fuit absoluta.

Superest, vt de diuino hoc balsamo vulnerario Basilii quædam dicam, quod in pharmacopoeis publicis non inuenitur, quia forte nimium laboris ad id elaborandum desideratur & pretiosum est. Nostris enim temporibus omnia illa magna & efficacia medicamenta, quæ alicuius pretii sint, negligi, & ea tantum in promptu haberi videntur, quæ stante quasi pede, methodo Ludoviciana, sine labore parari possint. Mea experientia edoctus stupendum huius balsami vulnerarii effectum sæpius deprehendi, & optandum esset, vt omnes medici & chirugi in vsum iterum hoc non satis laudandum medicamentum vocarent. Miror valde, Gallos, qui cæteris

nationibus palmam in chirurgia præripere videantur, hoc balsamum plane neglexisse, neque cum eo experimenta instituisse. Omnis chirurgus, qui arte sua felix esse cupiat, non tam aurum, quam hoc balsamum acquirat, & maioris pretii id inueniet, quam hic explicari potest. Paratur autem hoc balsamum ex tinctura antimonii, ex vitro eiusdem, cum spiritu aceti vini, extracta, & per balneum aceto iterum destillato, puluis remanens quater aqua destillata edulcoratur, qui puluis leni calore exsiccatus & in vitro tritus, in cauea per deliquium, in balsamum illud præstantissimum vulnerarium mutatur. *Vid. currus triumph. antimonii Basilii Valentini.*

B

Perniones sæpius difficillime curari, experientia docet. Non centies balsamum meum vulnerarium, cuius ingredientia in trimestri secundo enumeraui, manus & pedes frigore læsos sanauit, sæpius etiam, cum eiusmodi perniones iam per aliquot annos molestiam creassent. Nullum autem hucvsque exemplum habui, vt pernio, per triginta annos inueteratus, tandem curari possit. Matrona vidua, quadragesimum quintum annum agens, pedis læui digitum minimum frigore adussit, puella quatuordecim annorum, a quo tempore per singulas hyemes malum recruduit. Varia adhibuit media &, per longum tempus, oleum etiam terebinthinæ, sed sine solatio. Tandem quæsiuit ex me, si balsamum meum vulnerarium certo curaret perniones, prout ex variis audiuisset. Consului experimentum instituere, additis admonitionibus, vt ter illud quotidie imponeret, & tam diu continuaret, vsque dum dolor omnis & rubor cessarent, neque id curaret, si ab initio maiores forte dolores haberet. Præterita hyeme per tres menses, Decembrem, Ianuar. & Februarium id perfecit, & se tandem post triginta annos ab hoc malo liberatam

tam

tam esse, gaudio exsultans, mihi dixit. Res quidem mihi memoria non indigna videbatur, dubius tamen fui, vtrum perfecta esset curatio, & malum sequenti hyeme non iterum recrudesceret. Cum autem nunc sequenti hyeme, qua hæc scribo, malum haud fuerit renouatum, id quod ipse vidi, audeo balsamum meum vulnerarium in curatione pernionum, tanquam remedium, quod fallere non posit, in publicum vsum proponere.

VI

Nova Litteraria Polonica

Egregium opus, insignis in Polonia vtilitatis, hic commendamus & Polonis & exteris etiam, qui nunquam antea simile quid ex Polonia prodire viderunt. Nil magis optamus, quam vt, quam primum fieri possit, desiderium publicum expleatur ipsa huius operis editione. Vt amatores sciant, quam in codice diplomatico regni Poloniæ spem ponere possint, prospectum operis, ita vt reuerendus P. Dogiel eum imprimi curauit, omni ex parte hic inseremus:

Prospectus Operis, cui titulus: CODEX DIPLOMATICVS Regni Poloniae et magni Ducatus Lithuaniae, in quo pacta, fœdera, tractatus pacis, mutuae amicitiae, subsidiorum, induciarum, commerciorum, nec non conuentiones, pactiones, limitum distinctiones, commissiones, transactiones, declarationes, statuta, constitutiones, ordinationes, concordata bullae, decreta, edicta, rescripta, sententiae arbitrales, infeudationes, homagia, pacta etiam matrimonialia, & dotalia. Literae item reuersales, concessionum libertatis, immunitatis, donationum, oppignorationum, renuntiationum, erectionum, obligationum, venditionum, emptionum, permutationum, cessionum, protestationum, aliaque omnis generis publico nomine actorum, gestorum monumenta, nunc primum ex archiuis publicis eruta, ac in lucem protracta, rebus ordine chronologico dispositis, exhibentur.

Ad

Ad
Præſtantiſſimos Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ ciues, MATHIAS DOGIEL ſcholarum Piarum.

Cum ſingularem aliarum gentium in congerendis, diuulgandisque patriæ ſuæ monumentis curam, ſtudiumque expenderem, reuoluerenque ingentes illos editorum Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Italiæ, diplomatum apparatus, ſæpe mecum cogitaui, quid cauſæ fuerit, quamobrem rerum Polonicarum ſcriptores, iique viri ſollertes, & rerum publicarum vſu, atque exercitatione præditi, non antiquiora tantum, ſed ſui etiam temporis monumenta nobis inquirenda reliquerint. Quid enim illi aut argumenti præſtantia dignius, aut ad communem vtilitatem accommodatius, aut quod rationibus Reipublicæ magis conduceret, agere potuiſſent, quam ſi tabulas publicas, rerumque geſtarum monumenta, e tumulis ſuis eruta, ac in vnum congeſta, in lucem emiſiſſent, ex quibus, & rei patriæ notitia, fuco, atque figmentis libera comparari, & maieſtas illa Poloniæ, cui olim ingens cum vniuerſi prope orbis imperiis, regnis, populis, nationibus, vſus, ſocietas, conſuetudo, atque commercium, ab exteris, quibus pleraque horum incognita ſunt, merito ſuſcipi poſſet. Neque video, quo telo acrius, expeditiusque iniquorum Poloniæ ſcriptorum opiniones, & ſententiæ labefactari poſſent. His enim documentorum ponderibus re examinata, facile eſſet oſtendere, egregios illos chronographos, partium ſtudio abreptos, fidem inter poſtremas curas habuiſſe, fines imperii, quantum libuit, extendiſſe, gentibus, quæ nunquam ſeruierant, tributa impoſuiſſe, atque in odium finitimorum lepidiſſimarum fabularum ſeriem texuiſſe.

Hæc nobis, cum eo tempore in Galliis eſſemus, ita cogitantibus, ingens conquirendorum vndequaque patriæ mo-

numen-

numentorum inceſſit ſtudium, reique a nemine adhuc tentatæ dare operam, apud animum conſtituimus. Fauit inſtituto noſtro loci opportunitas, neque enim in tanta præſtantisſimorum, atque alta quadam mente præditorum virorum frequentia, aut patrocinio carere, aut ſubſidiis potuimus. Itaque archiua ſtudioſe reuoluimus, forulos bibliothecarum excuſſimus, libros editos, in quibus hac de re tractari nouimus, perluſtrauimus, reſque hinc inde diſperſas in collectanea noſtra retulimus. Idem, cum in Germania, idem cum alibi verſaremur, egimus. Non contemnenda hæc noſtra nobis primo videbatur collectio, ſed breui aliter ſenſimus, totamque rerum ſeriem, præterquam quod ex archiuis publicis profectum erat, nauci habere coepimus. Cum enim perficiendæ huius lucubrationis cauſa ad reuoluenda cancellariæ regni, & magni Ducatus Lithuaniæ acta (metricas vocant) acceſſiſſem, atque tranſactionum exemplaria ex libris editis deſcripta, cum copiis authenticis conferrem, omnia plane infinitis ſcatere mendis deprehendi, pleraque vero ſic vitiata, & corrupta, ut diuerſa omnino a ſuis authenticis eſſe viderentur. Huius rei, exemplum aliquod adferamus, (nam ſingula recenſere longum eſſet) in literis, quæ breuiculæ ſunt, & inuentu faciles, incorporationis ducatus Curlandiæ cum regno anno 1569. factæ, in corpore diplomatico DUMONT Tom. 5. p. 1. fol. 169. contentis, quindenos errores, eoſque non leues, offendimus. Vt enim copiæ quædam inſtrumentorum regni Poloniæ ab ineptis librariolis collectæ, in Germaniam delatæ, ita deinceps cum aliis communicatæ, typisque impreſſæ ſunt. Hæc nobis cauſa fuit, quamobrem ſcripta illa, quorum nullum in archiuis publicis, vnde emendari poſſent, exemplar deprehendimus, ſtudio in ſupplementum reiecerimus, atque ad comparandam codici

noſtro publicam auctoritatem, ſummum operæ pretium exiſtimauimus, nihil iam in eum referre, quod aut ex originalibus aut ex copiis authenticis, quæ in priuatorum tabulariis extarent, congeſtum non eſſet. Ne vero exilis, ieiunaque hoc modo noſtra redderetur lucubratio, in id omnes neruos induſtriæ noſtræ contendimus, ne quid in actis cancellariarum intactum relinqueremus, quod quidem, multis difficultatibus conflictati, præſtitimus. Ex illa igitur immenſa ſcriptorum omnis æui, maximam partem ad cauſas priuatas accommodatorum multitudine, quæ noſtri erant inſtituti, ſumma cum fide delegimus. Equidem quantum elaborauimus, quam graui opere perfuncti fuimus, illi probe ſciunt, quibus rationes metricarum harum ignotæ non ſunt.

Hoc nobis noſtrum inſtitutum ita proſequentibus accidit, vt vix dum collectioni illi ſummam manum impoſuisſemus, cum tota quanta, quanta fuit, ſubito diſperierit. Suborto enim Varſauiæ anno 1754. nocte intempeſta incendio, domus, in qua paulo ante verſabamur, vna cum collectaneis noſtris flammis abſumpta eſt. Graue certe erat, theſaurum illum ex tot optimarum rerum copiis conflatum, tam raris opibus inſtructum, tot laboribus, & impenſis comparatum, tam facile, tam repente amittere. Piguit quidem laboris, non tamen deſtitimus incepto, reuocatamque a calce, vt aiunt, operam, eadem, qua prius animi viriumque contentione, iterum egimus. Cumque beneficio celſiſſimi Principis ſupremi Cancellarii magni Ducatus Lithuaniæ, nec non Illuſtriſſimi comitis procancellarii regni, liberior iam nobis actorum regni, & magni Ducatus Lithuaniæ copia fieret, rem feliciter, ad exitum perduximus.

Iam quod ad multiplicia tabularia Illuſtriſſimi, Iosephi comitis Zaluski, Referendarii regni, attinet, penum illam inſi-

gnium patriæ monumentorum, nullo plane negotio lustrauimus. Cum enim propositum nostrum tanto viro non potuit non probari, comem ille se nobis, & facilem, vltra quam dici potest, præstitit. Ex ipsius igitur promptuariis, in quibus ingens anecdotorum numerus, quæ in rem videbantur, decerpta accepimus.

Grati æque animi testificationem debemus Illustrissimo domino comiti DĘBOWSKI Episcopo Cuiauiensi, viro summo, atque incomparabili, qui, cum in publicis patriæ gerendis negotiis consenuerit, non solum multas momenti maximi, ad euincendum, quæ iuris Poloni sunt, ex archiuis Hispaniæ, regnique Neapolitani literas conquisiuit, verum etiam quotidie (quæ hodieque exactæ iam ipsius ætatis oblectamenta sunt) res actas in aduersaria referendo, admirandos negotiorum reipublicæ codices (protocolla vocant) ipse sua manu confecit, atque has omnes opes mecum liberaliter communicauit. Ex quibus, quanta collectioni nostræ documentorum, quæ alibi frustra quærerentur, ad negotium summarum Neapolitanarum pertinentium, accessio facta est, suis locis notamus.

Refertissima antiquiorum æque, ac recentiorum diplomatum illa series, a perfectione quidem proxime abesse videbatur, multa tamen desiderabantur, & quod nos maxime anxios, sollicitosque habuit, supplendi ea, quæ deerant, præterquam ex archiuo Cracouiensi, nullus omnino erat modus. In difficilem sane nodum incideramus, nec quidquam iam tot difficultatibus implicatum, & quod Herculis, ut aiunt, labor diceretur, tentari potuit. Aditus quippe ad archiuum illud non iam arduus, perdifficilis, & qui magna custodia teneatur, sed omnino interclusus est. Namque omnes tabulæ authen-

ticæ, omnia instrumenta originalia, aliaque scripta momenti maximi, in arce Cracoviensi, simul cum thesauro regni recondita, sub sigillo, & clauibus supremi Thesaurarii Regni, & septem Senatorum, asseruantur: legeque cautum est, ne locus ille, nisi scito ordinum regni recludi, & adiri possit. Arcta hac monumentorum regni, quorum nusquam extant copiæ, custodia, id demum effectum fuit, vt pleraque fœdera cum exteris icta ignorarentur. Ita enim in literis pactorum inter Sigismundum I. & Pomeraniæ, atque Magapolensis duces anno 1525. initorum legimus: *Vt cum Illustribus principibus &c. Foedus, societatem, & amicitiam ineamus, quam nostros maiores, etiam cum maioribus eorum tenuisse, & seruasse, literae vltro citroque desuper confectae, ac in scriniis repertae testantur &c.* Extant in archiuo regni literæ originales Ferdinandi II. Imperatoris, ad Vladislaum IV. Regem Poloniæ, anno 1633. in eo solum negotio scriptæ, vt compacta, ex parte regum & regni Poloniæ, cum domo Austriæ inita, typis imprimi mandaret, quo melius subditis constare possent leges, quibus inuicem obligati tenentur.

Nos quidem vehemens desiderium, quo bene merendi de patria tenebamur, impulit, vt rei non modo arduæ, sed etiam, vt videbatur, impossibilis, periculum faceremus, spe ducti Deum O.M. bonis conatibus non defuturum. Neque vana fuit hæc nostra fiducia. Namque patrocinium huius operis a Celsissimo magni ducatus Lithuaniæ supremo cancellario, quod immortale optimi principis monumentum futurum est, susceptum erat.

Itaque illius numine effectum fuit, vt, cum senatus consilium Fraustadii anno 1755. ageretur, apertio archiui Cracoviensis decreta fuerit, nosque propitiam nobis Sacram Regiam Maiestatem, Dominum Nostrum Clementissimum, uni-

uer-

uersumque senatum habuerimus. Quo nomine etiam Illmis & Excell: D.D. Cancellario, Thesaurario, supremis, ac Procancellario regni, maximam, quam animus capere potest, obligationem perinde profitemur: quorum singulari præsidio quantum hoc opus debeat, in dissertatione ipsi operi præfigenda, clarius fusiusque narrabimus.

In illo igitur celeberrimo antiquitatis domicilio, ac rerum reconditissimarum admirando thesauro, qua accuratione & fide, veterum iuxta atque recentiorum instrumentorum exemplaria confecimus, quaue ratione multa insignia patriæ monumenta ab interitu vindicauimus, luculentissimum nobis ea de re a D.D. Commissariis, auctoritate publica ad id delegatis, in quorum præsentia elaborauimus, testimonium datum est. Sane quam pro eo, ac debuimus, sollicite, perattenteque id pensi peregimus, fideliorque opera, ne voto quidem, fingi poterat.

Prodit, itaque in publicum codex diplomaticus Regni Poloniæ, omnis æui diplomatum, pactorum, tractatuum, conuentionum, foederum, aliarumque huius generis transactionum refertissimus: quo in genere haud video quicquam, a scriptoribus vicinarum gentium, quod huic operi diligentia, & ausim dicere, fide, comparari possit, diuulgatum vnquam fuisse. Quid enim inter hanc nostram collectionem, & illorum coagmentationes intersit, æquis rerum æstimatoribus pronum erit aduertere. Nos enim auspiciis S. R. Maiestatis, Domini Nostri Clementissimi, auctoritate amplissimi senatus, Celsissimorum, Illustrissimorumque Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellariorum approbatione, ex archiuis publicis non solum ea congessimus, quorum singula auctoritatis publicæ sunt, verum etiam in iis ipsis secernendis, ad rerum momenta magis, quam molem attenti sin-

gularem rerum delectum instituimus, atque vt nonnulla consulto in supplementum retrusimus, ita a plerisque, quæ leuiora videbantur, prorsus temperauimus. Illi dum in hoc se conterunt, vt immanem, sequioris æui maxime, diplomatum copiam aggerant, nunquam dicunt, vnde sua hauserunt apographa, nisi plerique forte eos citent, e quibus res huiusmodi consarcinatas acceperint. Quo effectum est, vt magnam litterarum turbam ciuitate donarint, cuius potior pars, si rationum calculi bene subducti essent, exilio mulctanda erat. Sed de his cumulatius in ipsa præfatione agetur. Iam vtilitatem, necessitatemque operis non est, cur multis explicemus. Ineruditus enim admodum, rudisque sit oportet, qui hæc ignorat. Sane cum *ad consilium de republica dandum caput est, nosse Rempublicam*, exiguam illi rei patriæ habent notitiam, qui eam e monumentis publicis non compararunt. Neque vero huius argumenti, Historici fidi interpretes sunt Quis enim scriptorum legibus historiæ vnquam obtemperauit ne, qui eam scribit, quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit, ne qua simultatis. Nam vt antiquiora omittamus, in quibus illi, præter auditum, nihil habuerunr, commune id omnium pæne historicorum vitium est, vt occultis odiis, quæ gentibus finitimis insita penitus sunt, exstimulati, genio indulgeant, res patriæ, quam maxime possunt, figmentis etiam exornent, in illorum nomine, ex quibus ea corrogant, quæ ad argumentum conducunt suum, facile conquiescant, tum si quid opinione forte per se ipsos inuenerint, mordicus tueantur. Sed demus, plerosque eorum (si quidem ita mens sana fuisset) a partium studio omnino liberos fuisse, cum tamen non e monumentorum fide, sed e commentariis, atque hypomnematis, vt tum erant tempora, ex variorum lectione congestis, annales

les suos confecerint, fieri non potuit, quin multis in locis fucum facerent. Verum enim vero *quis tam lynceus, qui tantis tenebris nihil offenderet, nusquam incurreret?* Liuium quoque celeberrimum historiæ conditorem, quod monumenta Romanæ gentis fortasse minus perspecta, cognitaque habuerit, plures narrationi suæ falsi maculas aspersisse, iam in hac litterarum luce videre est. Sic noster CROMERUS aliter certe de rebus Russiæ scripsisset, si veteres Russorum tabulas exploratas habuisset.

Cum vero studium rei diplomaticæ ad illustrandam historiam, resque patriæ gestas tantopere conferat, tum in iis, quæ ad negotia regni publica, atque vsum rerum faciunt, præcipua illius necessitas est. Qui enim multiplices conuentiones, pacta, stipulationes, fœdera cum exteris icta ignorat, minimeque compertum habet, quæ inter rempublicam, aliaque regna & dominia intercedit necessitudo, quid cui a quoquam præstari necesse sit, qui modus administrandæ vtrinque iustitiæ, quæ rerum conuersiones, earumque causæ, consilia, exitus, quæ rationes finium, accessionesque regni, & diminutiones, *caetera*: Ille iuris publici patrii omnino ignarus est, neque intelligi potest, qua ratione, non iam ministri, non senatoris, non officialis regni, vel magni Ducatus Lithuaniæ, sed ne priuati quidem patriæ ciuis, cui in sententia locus est, officio probe defungi possit.

Superest, vt de methodi, ac distributionis modo, quem in hac collectione seruauimus, aliquid dicamus. Primum igitur confusam rerum seriem sectionibus, quæ ex operis instituto nascebantur, dispunximus, deinde earum ipsarum sic digestarum rerum capita, ordine chronologico collocauimus. Cum vero multa sese offerrent, luce quidem, quam nunquam viderunt, digna, sed quæ lectorem rerum momentis

in-

intentum longo perſæpe contextu interpellarent, ea ad ſupplementum reuocauimus, vt pleraque alia ex libris editis collecta, quorum in archiuis reipublicæ, nec vola, nec veſtigium. Indicem tandem totius operis, prima ſui parte, chronologico diplomaticum, altera res ordine alphabeti demonſtrantem, texuimus, atque opus in ſex tomos, eo, qui ſequitur, modo, diſpertiuimus.

TOMUS I.

Bohemia, Hungaria, Auſtria, Tranſyluania, Turcia, Bauaria, Marchia Brandeburgenſis, Saxonia, Gallia, Hiſpania, Anglia, Imperium Ruſſiae, Tartaria Crimenſis, Ducatus Brunſuicenſis, Suecia, Hollandia, Perſia. Quod attinet ad negotia Regni, & magni Ducatus Lithuaniae.

TOMUS II.

Pars Prior. *Lithuania.* Pars altera *Maſouia, Ruſſia, Podolia, Terra Belzenſis, praefectura Scepuſienſis, Ducatus Oſviecimenſis, & Zatorienſis.* Pars tertia. *Prouinciae, quae olim ſub Imperio Polono erant, Sileſia, Pomerania, Marchia noua, Valachia, & Moldauia, Beſſarabia.*

TOMUS III.

Liuonia, & Pruſſia.

TOMUS IV.

Iura, libertates, & priuilegia, nec non ſtatuta, & antiquae conſtitutiones regni, aliaque huius gentis monumenta, quorum nullum adhuc in publicam lucem prodidit.

TOMUS V.

In quo litterae pontificiae ac Ducum & Regum Poloniae concordata, priuilegia, ordinationes, ſtatuta, edicta, reſcripta, mandata, ad ordinem ſpiritualem, & res Regni eccleſiaſticas pertinentia, continentur.

TOMUS VI.

Regeſtum Chronologicum codicis diplomatici, cum indice rerum in eo contentarum &c.

Editio operis, quæ certe nitidiſſima futura eſt, abſoluetur hoc modo.

Tomus primus, prodibit anno 1757. menſe Nouembri, quos reliqui quantocius ſequentur. Ad comparandum igitur totum hoc opus in charta magno folio, typis pulcherrimis ex conſulto ad id conductis, impreſſum, binos aureos pro ſingulis tomis, id eſt duodecim pro ſex tomis aureos ſimul ſoluendos, dimidium nempe valoris, quo opus in poſterum conſtabit, intra octo menſium ſpatium, prænumerandos proponimus.

Exiguum ſane hoc pretium iis videbitur, qui de operæ impendio recte exiſtimare, iudiciumque facere poſſunt. Nam præter ingentes ſumtus, qui in typographiam inſumendi ſunt, multa nobis obuenerunt huius modi ſcripta, vt, ſi adpondus auri emerentur, minoris veniſſent.

Nos Reuer. P. DOGIEL, viro & doctiſſimo & diligentiſſimo de feliciter coepto egregio hoc vtiliſſimoque pro Polonia & exteris opere, gratulamur, qui maxime firmam ei ſanitatem, ad edendum hoc opus praeſtantiſſimum, apprecamur.

Ex libris nouis Polonis, typis iam exſcriptis, ſequentes notandi:

1. *Zebranie Rytmow przez Wierſzopiſow zyiących, lub naſzego wieku zeſzłych piſanych, Tom czwarti y piąty. w Warſzawie w Drukarni J.K.Mci y Rzeczypoſpolitey XX. Scholarum piarum. Roku, 1755. in 4.*

hoc eſt,

Collectio poematum, a poetis viuentibus, vel noſtris temporibus defunctis, ſcriptorum, Tomus quartus & quintus, Varſauiæ ex typographia S.R.M. & Reipubl. Patrum ſcholarum piarum. A. 1755, in 4. Tomus quartus alphab. 3. plag, 14. Tom. V. alph. 3. pl. 10.

De tribus tomis præcedentibus, vtiliſſimæ huius ele-

gantissimæque poematum collectionis iam in quarta bibliothecæ Varsauiensis parte verba fecimus, eaque, qua par erat, laude ornauimus. Recensebimus nunc duos sequentes tomos, quorum omnium, quæ in iis contineantur, poematum & translationum auctor est, poeta in Polonia clarissimus, vir omnibus humanitatis atque elegantiæ studiis excultus, nobilissimus IOZEPHUS EPIPHANIUS MINASOWICZ, secretarius regius, qui tomum quartum illustrissimo comiti MNISZECH Mareschalco curiæ, quintum vero, illustrissimo comiti ZALUSCIO, Referendario regni consecrauit. Ille iterum in duas partes diuisus, quarum in priori hæc comprehenduntur.

1. *BOHATYR Chinensis, drama musicum METASTASII,* ex italico translatum.
2. *TROAS, tragoedia, ex Gallico viri cl. PRADON.*
3. *CLEOPATRA, tragoedia ex Gallico De la CHAPELLE.*
4. *RHADAMISTVS & ZENOBIA tragoedia, ex Gallico IOLLYOT de CREBILLON.*
6. *Dialogus Charontis & Mercurii, ex Luciano translatus.*
7. *Auctio sectarum philosophicarum, ex eodem translata.*
8. *Luciani dialogus Doridis & Galateæ, ex latino IOANNIS SECVNDI Hagiensis Bataui.*
9. *Eiusdem dialogus Polyphemi & Neptuni.*
10. *Eiusdem laus muscarum.*

In posteriori vero parte

1. *Thronus patrius, seu vitae principum ac regum Polonorum, a LECHO I. ad AUGUSSUM III. usque, sereniss. nostrum Regem.*
2. *Septem miracula, seu vitae reginarum Polonarum.*
3. *Pulcher Polonus (le beau Polonois) ex Gallico PRECHACII*
4. *De obedientia ac fide uxoria mythologia, ex latino FRANCISCI PETRARCHÆ.*

5. *Virginia, Romana, tragoedia ex Gallico le CLERC.*
6. *Metamorphosis Apisti in gallum gallinaceum ex Latino IO. BARCLAI.*
7. *Orpheus, ecloga ex libro syluarum IO. SECUNDI.*
8. *Ex historia sacra, Graeca & Romana, varia argumenta, deprompta ex libro carminum P. FRANCIS. GABRIELIS le IAY. S.I.*

Tomus quintus itidem in duas partes diuisus, quarum in priori continentur:

1. *Vita S. Iosephi, scriptoris hymnorum, poetarum praesidis ac custodis.*
2. *Ode de inuiolata incorruptaque conceptione Mariae Virginis, ex Gallico R.P. Caroli DE LA RUE Soc. Ies.*
3. *Inscriptiones septem, Virgini Dei Matri, ob compressum draconem ex Latino ALBERTI INES, e Societate Iesu.*
4. *Hortus conclusus, Maria.*
5. *Maria, vera virgo mater, Maria generis humani mater, ecloga in natiuitatem Domini, secundum P. F. G. le JAY. S.I.*
6. *Heroica gesta S. Francisci Xauerii ex Emanuele Thesauro.*
7. *Iosephus vet. testam. filius Iacobi patriarchae, ex eodem*
8. *Varii hymni & odae sapphicae.*
9. *Varia poemata ex auctoribus classicis translata.*
10. *Variae Satyrae, ex Latino ANTONII PONINSCII, palatini Posnaniensis.*
9. *Picturarum sculpturarumque variarum inscriptiones ex Emanuele Thesauro, patricio Taurinensi, equite S. Lazari.*
10. *Varii casus, ex eodem.*
11. *Varia epigrammata IO. OVENI, & ex libris acroamatum Alberti Ines, e Societ. Iesu.*
12. *Disticha selecta, ex libro epigrammatum MATTHIÆ SARBIEVII, S.I.*

13. Ex libro epigrammatum & funerum IOANNIS SECUNDI.
14. Victus & cultus ratio, expoſita quaternis in ſingulos menſes verſibus, ex Latino IOACH. CAMERARII.
15. Supplementum variorum Latinorum verſuum, cum translatione Polona.
16. Hiſtoria de Halybeg Perſa, ex Gallico archiepiſcopi Salignac Fenelon.
17. Hiſtoria Walteri comitis in Tynca & Adelgundis, vxoris eius, ex Latino Boguchwała, epiſcopi Poſnanienſis &c.
18. Lamentatio Veneris ob interitum Adonidis, ex Græco BIONIS.
19 Varia ſelecta poemata ex Gallico translata.
20. Noua Parnasſia. *In poſteriori parte inueniuntur.*
1. Fabularum PHÆDRI libri V.
2. Additamentum fabularum ex variis auctoribus.
3. L. Annaei Senecæ & publici Syri, mimographi, ſingulares ſententiæ, metaphraſi Polonica adornatæ.
4. Collectio variorum poematum variis ex auctoribus.
5. Adagia varia ex aphoriſmis moralibus & politicis And. Max. FREDRO, caſtellani Leopolienſis.
6. Adagia nonnulla moralia, ex oeconomica IAC. CASIM. HAURI.
7. Centum & una oblectationes, varias veritates morales & hiſtorias continentes.
8. Mantiſſa breuis carminum miſcellaneorum, I. E. MINASOWICIO auctore.

Hæc ſunt, quibus clarisſimus MINASOWICIUS Muſas Polonas donauit. En venæ poeticæ Latinæ ſpecimen, Polonæ haud cedentis

Ad Illuſtrisſimum comitem IOSEPHUM ANDREAM ZALUSKIUM, regni Referendarium.

Quantus es o præſul, quantúſque videris in orbe,
Id tua teſtatur bibliotheca palam.
Quantus es, o præſul, quantuſque videris in orbe.
Teſtatur caput, id, bibliotheca, tuum.
Nempe tuum caput eſt, prohibet quid vera fateri,
Spirans muſæum, os, bibliotheca loquens.

2. Liſty rozne ku chwalebney ciekawosci y Chrzesciańſkiemu zbudowaniu słuzące, z Azyi, Afryki, Ameryki, niegdys od Miſſyonarzow Soc. Jezu w rozmaitych Językach do Europy przesłane, teraz pragnących wiedziec o progreſſach Wiary S. Katolickiey Rzymſkiey w tamtych kraiach, iako tez o obyczaiach, tak odległych narodow, o ſytuacyi Panſtw, Miaſt, Rzek, Gor, &c. Polſkiemu swiatu ięzykiem oyczyſtym Kommunikowane. Roku 1756. Przez iednego Kapłana Soc. Ieſu. w Warſzawie w Drukarni J. K. M. y Rzeczypoſpolitey Kollegium Societatis Ieſu. hoc eſt.

Litteræ variæ laudabili curioſitati, chriſtianorumque vtilitati inſeruientes, ex Aſia, Africa, America, olim a viris fidei Chriſtianæ propagandæ cauſa ablegatis, Misſionarios vocant, ex Societ. Ieſu, in Europam variis in linguis miſſæ, nunc cum iis, qui de progresſibus fidei S. Catholicæ Romanæ illis in regionibus nec non de moribus harum longe remotarum gentium, de ſitu prouinciarum, vrbium, fluuiorum, montium, reliqua, cognitionem deſiderant, gente

Polona

Polona, lingua patria communicatæ. Anno 1756. a ſacerdote e ſocietate Ieſu. Varſaviæ ex typographia S.R.M. & reipublicæ collegii Soc. Ieſu in 4. Alphabeta tria.

Vtiliſſimus hic & lectione digniſſimus liber omnem meretur laudem commendationemque, quia varia eaque multa, hiſtoricis, geographis, phyſicis, medicis etiam, inſeruientia in ſe continet, hiſtoriæ denique eccleſiaſticæ, vel eorum, quæ religionis chriſtianæ propagandæ cauſa, acta in America, Aſia, Africa, fuere, fontem haud contemnendum aperit. Debet certe, inclyta gens Polona gratias doctiſſimo & reuerendo patri Michaeli Iuniewicz e Soc. Ieſu, nunc rectori Pultouienſi qui librum (Lettres edifiantes,) ex lingua Gallica in Polonam tranſtulit & patriam eo donauit, cuius continuatio magnopere expetitur.

3. Hiſtoria ſkrocona Karola XII. Krola Szwedzkiego z Francuſkiego na Pol ſki iezyk przetłumaczona R. 1756. *hoc eſt*

Hiſtoria contracta Caroli XII Sueciæ regis, ex Gallico in Polonum idioma translatum, Varſaviæ anno 1756. in 8. plag. 16.

Translator breuis huius hiſtoriæ in præfatione dicit, ſe quædam ſtudio omiſiſſe, quæ lectorem inficere potuiſſent, ſine damno tamen, vt ait, veritatis hiſtoricæ.

4. Utopia Dydaka Bemardyna, czyli IAKUBA BIDERMANA Soc. Ieſu, zarty uczone, w ktorych rzeczy smieſzne y powazne dowcipnie y ucieſznie opiſane, a z Łacinſkiego na Polſkie przetłumaczone. w Lublinie w Drukarni J.K.M. coll. Soc. Ieſu, roku panſkiego MDCCLVI.

hoc eſt.

Utopia Didaci Bemardini, ſiue Iacobi Bidermani, e Societate Ieſu, Sales litterati, in quibus & ridicula & ſeria ingenioſe & lepide deſcribuntur, ex Latino in Polonicum idioma tranſlati. Lublini ex typographia S.R.M. coll. Soc. Ieſu. Anno Domini MDCCLVI. in 8. Alphab. 1. plag. 1.

Qui & vtilitatis & animi cauſa libros legunt, illi certe, euoluendo hunc librum, tempus non perdent. Reuer. enim Bidermanus omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

5. Komedye przez X. FRANCISZKA BOHOMOLCA Soc. Ieſu napiſane. w Warſzawie za pozwoleniem ſtarſzych w Drukarni I.K.M. y Rzepltey w Koll. Soc. Iezu. Roku MDCCLV. *hoc eſt.*

Comoediæ, auctore R. P. Francisco BOHOMOLEC, Soc. Ieſu. Varſaviæ, cum venia ſuperiorum. Ex typograpia S.R.M. & reipubl. in coll. Soc. Ieſu. Anno MDCCLV. in 8. Tom. I. Alphab. I. plag. 2. Tom. II. Alphab. I. plag. 5.

Nunquam antea, quantum ego ſcio, meliores in Polonia in lucem prodierunt comoediæ, quique regulas earum bene intelligit, cognoſcet lectione, reuer. P. Bohomolec quam proxime inter veteres Terentium, inter recentiores Molierium, attigiſſe, neque clariſſimus auctor laude ſua defraudandus, qui Polonorum iuſte audit Molierius. Plura Polonia litterata ab hoc viro doctiſſimo, diligenti & modeſto, recte expectare poteſt. En comoediarum tomi prioris argumenta.

I. Comoedia prima. *Figlacius*, *Politicus noſtri temporis*. Argumentum:

Towar-

Towarſki & Zarobſki, mercatores, quorum alter alterum non noſcit, rixantur inter ſe litteris. Accidit, vt ambo proficiſcantur ad nundinas vrbis cuiusdam. Figlacius, aliquam de eodem inter ſe ſimultatibus notitiam habens fingit ſe vtriusque amicum, cumque lucri cauſa magis alterum in alterum adulatorio ſermone concitaret, tandem, nefario detecto ſcelere, merita afficitur poena.

II. Comoedia ſecunda. *Figlacius, politicus noſtri temporis.* Argumentum: Figlacius ſimulans magnam eruditionem, munere morum, ſtudiorumque moderatoris filii iam adulti, cui pater ſenex ditisſimus Lakomſki, blandiebatur, fungitur, cumque nimium patris erga filium amorem cognoſceret, captat inde ad decipiendum ſenem occaſionem.

III. Comoedia tertia. *Imprudentia propoſito ſuo infeſta.* Argumentum: *Lelius* iuuenis, nimius muſices amator, cum ſciret mercatorem Truſaldin venditurum cantorem Hippolitum a Turcis emtum, omnem mouet lapidem, vt eum adipiſcatur, cumque ipſe id efficere haud poſſet, ſeruum ſuum fidelem Figlacium ſumme obſtringit, vt hoc officium ſibi præſtet. Variis vtitur mediis Figlacius, vt domini voluntati reſpondeat, ſed Lelius, qui quam citisſime cantorem domi ſeruare velit, omnes Figlacii conatus deſtruit. Tandem liquet, cantorem illum eſſe fratrem Lelii germanum.

IV. Comoedia quarta: *Iuuenis qui aliorum ſalſe dicta ſiniſtre de ſe interpretatur.* Argumentum a nullo forte huc vsque poeta comico tractatum. Iuuenis, licet ſtultus fuerit, conſuetudinem tamen viuendi, Gallorum more, diſcere in animum induxit, quem in finem amicitiam contraxit cum Bywalcio, ex Gallia reuertente, homine ignorante, magnoque iactatore, a quo, licet iuuenis ille ſæpius fuerit de iſta vitioſa conſuetudine admonitus, tamen eam non prius, quam bene verberatus, depoſuit.

V. Comoedia quinta. *Pater Imprudens.* Hæc comoedia Latine ſcripta a Sacerdote Carolo Poree, Soc. Ieſu, & Polono idiomate, mutatis quibusdam, donata.

Tomus alter pariter quinque comoedias in ſe continet, nempe *hiſtrionem, quem tædium, conſuetudinis hominum cepit: hæredem callidum: ardeliones: Dominum ad tempus: philoſophum regnantem.*

6. Rozmowa Filoſoficzna z Ethyki o Uſzczęsliwieniu człowieka w zyciu przez uczących ſię Konwiktorow collegii Nobilium, Scholar. piar. miana. Roku P. MDCCLVII. w Marcu. w Warſzawie w Druk. J.K.M. y Rzpltey u XX. Scholar. piar. hoc eſt,

Colloquium philoſophicum ex ethica de hominis felicitate vitæ, per philoſophiæ ſtudioſos, collegii nobilium ſcholarum piarum conuictores, habitum, anno Domini MDCDLVII, menſe Martio. Varſauiæ ex typographia S.R.M. & Reip. RR. PP. Schol. piar. in 8vo. plag. 4.

Nil magis iuuenes liberaliter educatos ad addiſcendas cum voluptate & aſſidua animi applicatione ſcientias inuitat, quam honeſta æmulatio, quæ vix melius poſſit excitari, quam ſi ea, quæ didicerunt, coram proceribus, ſtudia eorum excitantibus, cum honore exponant. Hunc ſalutarem in finem nuper ab egregiis philoſophiæ, apud rever. Pp. ſcholar. piar. ſtudioſis, variæ reci-

tatæ

tatæ fuere oratiunculæ, eleganter idiomate patrio ſcriptæ & lectione dignæ. Primam habuit generoſus ALEXANDER BORZECKI filius ſubdapiferi Magni Ducat. Lit. ſecundam gener. ADAMUS KONARSKI filius caſtellani Biecenſis tertiam gener. ANDR. TARLO, filius caſtellani Lublinenſis, quartam gener. STEPH. WROBLEWSKI, filius dapiferi Inowroclawienſis, quintam Celſiſſimus HIERONYMUS princeps SANGUSZKO, filius Mareſchalli M.D. Lith. ſextam gener. IOAN DABSKI, filius palatini Breſtenſis Cuiav. ſeptimam gener. STANISLAUS KOSSOWSKI, filius theſaurarii curiæ, octauam gener. IOACH. MORSZTYN, filius caſtellani Viſlicenſis, nonam gener. ADALB. JARUZELSKI filius pincernæ Bielſcenſis, decimam gener STANISLAUS PRZEREMBSKI, filius vexilliferi Pietricovienſis, vndecimam gener. ONUFR. OZAROWSKI, filius pocillatoris Sendomirienſis.

7. Commentariolum philoſophiæ, Logicæ ſcilicet, Metaphyſicæ Phyſicæ generalis & particularis a P. ANTONIO SKORULSKI, Societatis Ieſu, AA. LL. & philoſ. Doctore, eiusdemque facultatis ſeniore. Ex variis, cum veterum, tum recentiorum placitis collectæ, dictatæ, repetitoque multoties certamine, publica in luce almæ Academiæ & vniuerſitatis Vilnenſis, toto triennio propugnatæ. Nunc opera eiusdem conſcriptum & in lucem publicum prolatum, præbente doctrinæ ſpecimen, vltimo in certamine philoſophico E.R.D. MICHAELE KOLYSZKO, alumno ſeminarii Dioeceſani AA. LL. & philoſ. Baccalaureo. Anno 1755. Vilnæ typis S.R.M. academicis. in 8. plag. 16.

Teſtimonio hic liber eſt, eruditos in Polonia haud ſpernere ex ignorantia, recentiorum philoſophorum phyſicorumque inuenta, prout varii exteri, non recte edocti, id Polonis obiiciunt. Reverendus doctiſſimusque P. SKORULSKI, Academiæ Vilnenſis ornamentum, ſatis id refutat, qui non ſolum antiquiorum, ſed et recentiorum philoſophorum placita perſcrutando, ea ſtudioſæ iuuentuti proponit cum laude atque inſigni vtilitate. Præ cæteris RR.PP. Soc. Ieſu, vna cum RR. PP. Scholar. piar. hanc merentur laudem, vt margaritas philoſophiæ Ariſtotelicæ conſeruando, illius quisquilias in regno Poloniæ expurgent, & ſane eſſet optandum vt alii etiam, qui in verba philoſophiæ Ariſtotelicæ male iurarunt, eos quam primum, in incrementum ſcientiarum, ſequerentur. HOC vero, vt mihi videtur, nullo modo fieri poterit, niſi prius phyſica experimentalis, matheſis ſublimior cum algebra, & chymia vera, maiori ſtudio excolantur.

8. Polniſcher Bücherſaal, darinn die rühmlichſten Bemühungen derer Mæcenaten und Gelehrten in Polen, auch andere zur Polniſchen Litteratur gehörige Merkwürdigkeiten aufrichtig angezeiget werden. Erſtes ſtück Breslau bey Ioh. Iac. Korn. 1756.

hoc eſt,

Bibliotheca Polona, in qua laudabilia ſtudia Mæcenatorum atque eruditorum in Polonia, vna cum aliis, ad litteraturam Polonam pertinentibus memorabilibus, ſincere connotantur. pars prima. Vratislauiæ apud Kornium 1756 in 8. plag. 4.

In nouo hoc diario litterario Polono paucis multa dicuntur, cuius auctor litteratiſſimus canonicus IANOCIUS, qui non niſi ſelecta de rebus Polonis littera-

teratis suppeditat. Vehementer optamus, vt quam diligentissime huius diarii continuatio in lucem prodeat. Primæ partis summa capitum hæc est:

I. De amore Regis IO. SOBIESKI in eruditionem, ac propenso in literatos animo.
II. PETRI TOMICII, episcopi Cracouiensis ad IO. COCHLÆUM epistola nondum edita.
III. Enarratio de STANISLAI ZBOROWSKI libro: de natura iurium & bonorum Regis Poloniæ.
IV. PETRI ROYSII ortus, habitatio in Polonia, ibidemque edita scripta.
V. Vita & scripta PAULI PIASECKI, episcopi Premisliensis.
VI. Vita & scripta Cardinalis DENHOFII.
VII. Epitome epistolæ HOFFMANNI, *Seyleri* Poloniam numismaticam, manu scriptam, attinens.
VIII. Quis auctor libri: Europa in serenissima LESZCZYNIORUM domo inclusa: & quid in eo contentum?
VIIII. Enarratio catalogi scriptorum Polonorum & Lituanorum, Principis Iablonovii.
X. Catalogus poematum theatralium defunctæ principis RADIVILIÆ.
XI. Epitome Dom. MACHNICKI epistolæ de bibliothecæ, principis RADIVILI, statu.
XII. Elogium defuncti mæcenatis Lithuani, Io. Frid. Lucæ comitis SAPIEHA.
IXII. Eruditorum in Polonia excessus e vita, memoria digni.
XVI. Nouæ viuentium in Polonia litteratorum vicissitudines

9. *Selectae ex philosophia propositiones*, mense Aprili, nuper apud RR. PP. Scholar. Piar. publice defensæ fuere a IOANNE LINOWSKI, thesaurarii Posnaniensis filio, in Varsauiensi nobilium collegio Scholar. piar. philos. & matheseos auditore, optimæ spei adolescente, præside doctissimo illo, & in erudienda veris in scientiis iuuentute diligentissimo viro, R. P. schol. piar. ANTONIO WISNIEWSKI.



In Charta augusta maximæ formæ, splendide & egregie hic in æs incisa legitur *arbor gentilitia illustrissimorum comitum de Ociesżyno BRVHL, gentis in regno Poloniæ auita nobilitate præclaræ, confirmata in iudiciis ordinariis generalibus tribunalis regni, Petricouiæ feria sexta post Dominicam sexagesimæ A. D. 1749. CASIMIRO RVDZIENSKI, Castellano Czerscensi, nunc palatino Masouiæ, illo tempore Mareschalco tribunalis regni.* Illustrissimo atque Excellentissimo Domino HENRICO comiti in *Ociesżyno* BRUHL, hæc arbor gentilitia consecrata est, qui cum multis aliis proceribus hunc sua, prout in musas gratiosus est, decorauit actum præsentia. Quid iucundius mihi, illo ipso tempore, quo hoc trimestre typis exscriberetur, accidere potuisset, quam arbor hæc gentilitia, a qua nullo modo mihi temperare possum, quin acta mea inclytæ huius illustrissimæque gentis tabula genealogica, correctis quibusdam calcographi mendis, ornarem, in vsum non solum historiæ Polonæ, sed exterorum etiam cognitionem, ardenti & submisso voto expetens, vt illustrissima hæc gens & in Polonia & in Saxonia ad consumtionem orbis terrarum floreat.

Impressum Varsaviae, mense Maio A. 1757.

